[illegible]

wy Vitory y Panijest

THEOLOGIA MORALIS

JUXTA SACRÆ SCRIPTURÆ,

CANONUM, ET SS. PATRUM MENTEM,

Jussu Eminentiss. ac Reverendiss. Stephani Cardinalis LE CAMUS Episcopi Gratianopolitani, Gallica lingua, & deinde Latina exarata,

AUCTORE

FRANCISCO GENETTO

Avenionensi, Episcopo Vasionensi.

EDITIO NOVISSIMA

A plurimis aliarum mendis diligenter expurgata, & præter varia Conciliorum Provincialium, Synodorumque Italiæ Decreta, omnibus BENEDICTI XIV. & CLEMENTIS XIII. Constitutionibus ad rem moralem pertinentibus nunc primum illustrata.

TOMUS TERTIUS

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem INNOCENTII XII. *super celebratione Missarum, plures* BENEDICTI XIV. *Encyclicas litteras cum aliis Decretis, & Instructiones pro Confirmatione, & prima Communione.*

BASSANI, MDCCLXXV.

SED PROSTANT

VENETIIS APUD REMONDINI.

SUPERIORUM PERMISSU.

INDEX
TRACTATUUM, CAPITUM, & Quæstionum
TOMI TERTII.

TRACTATUS PRIMUS.

De Sacramentis in genere.

CAPUT PRIMUM.

De diversis significationibus nominis Sacramenti, & de ejus definitione.

CAPUT II.

De necessitate Sacramentorum in lege naturæ, & in lege Mosaica.

CAPUT III.

De necessitate, numero, & institutione Sacramentorum in lege gratiæ.

CAPUT IV.

De partibus necessariis ad constituendum Sacramentum.

CAPUT V.

De mutationibus, quæ accidere possunt materiæ formæque Sacramentorum.

CAPUT VI.

De Ministro Sacramentorum.

CAPUT VII.

De Sacramentorum effectibus.

TRACTATUS SECUNDUS.

De Sacramento Baptismi.

CAPUT PRIMUM.

De Definitione, institutione, & necessitate Baptismi.

CAPUT II.

De Materia Baptismi.

CAPUT III.

De forma Sacramenti Baptismi, & de Baptismo sub conditione.

CAPUT IV.

De Miniſtro Baptiſmi.

CAPUT V.

De his qui poſſunt baptizari, & de diſpoſitionibus ad Baptiſmum requiſitis.

CAPUT VI.

De effectibus Baptiſmi.

CAPUT VII.

De Cæremoniis Baptiſmi.

CAPUT VIII.

De suscipientibus, vulgo Patrinis.

TRACTATUS TERTIUS.

De Sacramento Confirmationis.

CAPUT PRIMUM.

De Definitione, institutione, & necessitate Confirmationis.

CAPUT II.

De materia, forma & Ministro Confimationis.

CAPUT III.

De Dispositionibus ad Confirmationem, & de ejus effectibus.

CAPUT IV.

De cæremoniis Sacramenti Confirmationis.

TRACTATUS QUARTUS.

De Sacramento Eucharistiæ.

CAPUT PRIMUM.

Nomen, essentia, dignitas, ac definitio Sacramenti Eucharistiæ.

CAPUT II.

De materia remota Sacramenti Eucharistiæ.

CAPUT III.

De præsentia, & determinatione materiæ.

CAPUT IV.

De forma Sacramenti Eucharistiæ.

CAPUT V.

De præſentia reali Corporis & Sanguinis D. N. J. C. in Eucharistiæ Sacramento.

CAPUT VI.

Explicantur aliquot Scripturæ ſacræ & Divi Auguſtini loca, quibus abutuntur Hæretici.

Patres

CAPUT VII.

De actione, qua Corpus Christi est in Eucharistia, ac de modo quo ibi realiter existit.

CAPUT VIII.

De speciebus Sacramentalibus.

CAPUT IX.

De Ministro Sacramenti Eucharistiæ.

CAPUT X.

De neceſſitate Sacramenti Euchariſtiæ.

CAPUT XI.

De Frequentatione Sacramenti Euchariſtiæ.

CAPUT XII.

De effectibus Sacramenti Euchariſtiæ.

TRA-

TRACTATUS QUINTUS.

De Sacrificio Missæ.

CAPUT PRIMUM.

Nomen, definitio, & existentia Sacrificii Missæ.

CAPUT II.

De Ministro Sacrificii Missæ, & de dispositionibus ad illud requisitis.

CAPUT III.

De Institutione & partibus essentialibus Sacrosancti Missæ Sacrificii.

CAPUT IV.

De obligatione audiendi Missam.

CAPUT V.

De Retributionibus Missarum & applicatione fructuum.

CAPUT VI.

De iis, pro quibus offerri potest Missæ Sacrificium.

CAPUT VII.

De Tempore, & loco, aliisque necessariis ad Missæ Sacrificium.

TRA-

TRACTATUS PRIMUS
DE
SACRAMENTIS
IN GENERE.

CAPUT PRIMUM.

De diversis significationibus nominis Sacramenti, & de ejus definitione.

Quæst. 1. QUID significat nomen Sacramenti?

Resp. Nomen hoc Sacramenti, generaliter loquendo, sumitur pro omni eo, quod respectum & ordinem habet ad rem sacram: & in hoc sensu Divus Thomas ait (3. *p. q.* 60. *art.* 1. *ad* 2.): *Sacramentum idem est, quod sacrum secretum.* Unde cum apud antiquos, quicquid violari nefas erat, sanctum, aut sacrum vocaretur; omne secretum Divinum, vel humanum, quod violare minime licebat, Sacramentum dicebatur; & in hoc sensu Raphael Angelus Tobiæ dixit (*Cap.* 12.), *Sacramentum Regis abscondere bonum est.*

Sacramentum autem in Jure Civili & Canonico sæpe pro juramento sumitur: *Sacramentum*, inquit Canon. (*Can. Sacram.* 2. *q.* 4.), *id est, juramentum a Summis Sacerdotibus, vel Dei Ministris exigi, nisi pro fide recta minime cognovimus, nec sponte eos jurasse reperimus.* Et quidem Sacramentum dicitur, quia sacrum Dei no-

men

men invocatur. Idem habetur in lege 2. *Cod. Si adversus venditorem*.

Significat aliquando in Scriptura rem sanctam & sacram, absconditam & secretam, quo sensu Ephes. 2. dicitur, *Ut notum nobis faceret Sacramentum voluntatis suæ*; & Sapientiæ cap. 2. *Nescierunt Sacramenta Dei*; & ad Timotheum c. 3. *Magnum pietatis Sacramentum*, hoc est magnum Mysterium, seu res sancta & sacra, quæ ab æterno in Deo erat abscondita, Angelis & hominibus ignota, usque ad tempus quo completa est.

Hic non ita sumimus Sacramentum, sed Sacramenti nomine intelligimus, quod communiter Concilia, sancti Patres, præsertim Latini, & Theologi, S. Augustinus & S. Thomas hoc nomine significatum volunt, quibus *Sacramentum sacrum signum est*, ut Divus Augustinus lib. 10. de civ. Dei c. 15. & D. Th. 3. part. q 60. art. 1.

Synodus etiam Parisiensis ann. 1557. ait: *Sacramentum ex more Catholicæ Ecclesiæ dicitur sacræ rei signum*.

Quæst. 2 Quomodo potest definiri Sacramentum hoc modo sumptum?

Resp. In Catechismo Concilii Tridentini (*P*. 2. *c*. 10.) ita definitur: *Sacramentum est res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis & justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet*.

Ut hæc definitio melius percipiatur, ejus singula verba sigillatim sunt explicanda.

Dicitur primo, *res sensibus subjecta*, quia, ut ait S. Thomas, 3. q. q. 60. art. 4. in corp. post antiquos Patres, *Divinæ providentiæ congruum erat atque conveniens*, quæ homines juxta eorum naturam instruit, res spirituales atque divinas per corporea & sensibilia signa nobis manifestare. *Si enim incorporeus esses*, inquit sanctus Chrysostomus (*hom.* 83. *in Matth.*), *nuda ipse dona & incorporea tibi tradidisset, sed quia corpori conjuncta est anima tua, ideo rebus sensibilibus tibi intelligenda traduntur*.

Dicitur secundo, *Quæ ex Dei institutione vim habet justitiæ significandæ*. Quod ut recte intelligatur, observandum est, res quæ sensibus cognoscuntur, duplicis esse generis; aliæ enim ex destinatione sua ducunt in aliarum rerum notitiam; aliæ ex seipsis cognoscuntur, nec destinatæ sunt ad alias significandas: hujus secundi generis sunt fere res omnes naturales; verum primi generis sunt verba, scriptura, & hujusmodi, quæ ex vi institutionis suæ ducunt in alterius cognitionem. Quare, ex sancto Augustino (*l.* 2. *de Doctr. Christ. c.* 3.): *Signum est, quod præter speciem quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire*.

Observandum secundo, signa esse duplicis generis; alia naturalia, ita quidem dicta, quia non ex hominum instituto, sed ex ipsa rei natura, nos inducunt in cognitionem alterius; ita fumus natura sua manifestat ignem,

ita

ita ut sufficiat fumum videre, ut statim colligamus, ignem esse ibi, licet sit absconditus: ita vestigium pedis hominis, vel alterius animalis nivibus impressum, ejus transitum demonstrat. Alia vero sunt signa, quæ talia non sunt ex natura sua, sed ex hominum tantum instituto, quæque arbitraria vocantur, quia secundum hominis voluntatem aut beneplacitum significant, v. gr. bellicorum tormentorum explosio, quæ significat gaudium in adventu alicujus Principis; & Campana, quæ ideo signum in Rituali vocatur, quia dum sonat, indicat tempus divinorum Officiorum. Et similia.

Sacramenta sunt signa in hac ultima acceptatione, quia significant, & efficiunt gratiam ex institutione Dei, qui solus est sacramentorum author, & instituor, ut innuunt communiter sancti Patres; Sanctus Ambrosius ait (*l.* 4. *de Sacr. c.* 4. *Conc. Trid. sess.* 7. *Can.* 1.): *Author Sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus? de cælo ista Sacramenta venerunt*. Et Concilium Tridentinum ait: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu-Christo Domino nostro instituta, anathema sit*.

Denique dicitur: *Justitiæ efficiendæ vim habet*; quia Sacramenta novæ legis sunt signa practica, quæ Deus non solum instituit ad significandum, sed etiam ad efficiendum quod significant; per quod differunt a Sacramentis legis naturalis & legis scriptæ, sive Mosaicæ, in quibus non continebatur virtus producendi gratiam, quam producebant solum intuitu meritorum ejus, qui ea suscipiebat: verum Sacramenta novæ legis in se continent virtutem producendi rem sacram quam significant, & hoc vocatur a Concilio Tridentino sess. 7. Can. 8. producere gratiam: *Ex opere operato*: quare Apostolus loquens de Circumcisione vocat eam *Signaculum justitiæ fidei* (*ad Rom.* 1. *ad Gal.* 4.): & similiter Sacramenta veteris legis *Infirma & egena elementa* vocat: & Divus Augustinus ait (*l.* 13. *contra Faustum, c.* 8.) *Vetera Sacramenta promittebant gratiam, nostra vero eam exhibent*.

Quæst. 3. Explica hujus definitionis verba in aliquo exemplo particulari.

Resp. Id facile fiet in Sacramento Baptismi: ablutio enim corporis exterior, quæ in eo fit, est res sensibus subjecta, quia cadit sub sensibus & oculis cernitur; quæ vim habet significandi, quia præter id, quod exhibet oculis, scilicet corporis ablutionem, nobis significat, & repræsentat internam animæ ablutionem: quare Divus Augustinus explicans illa verba Joannis 15. *Mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis*, sic habet; *Unde tanta vis aquæ ut corpus tangat, & cor abluat? Ex Dei institutione*, quia ex voluntate divina corporis ablutio habet, quod significat ablutionem animæ. *Efficiendæ Sanctitatis & justitiæ*, quia in hoc Sacramento

ani-

anima abluitur & sanctificatur per gratiam, statim atque corpus abluitur aqua.

Quæst. 4. Jesus Christus, quatenus homo, est-ne Sacramentorum institutor?

Resp. Sanctus Thomas huic quæstioni satisfacit, cum ait (*1. p. q. 64. art. 3. in corp.*) „Dicendum, quod interiorem Sacramentorum effectum operatur Christus, & secundum quod est Deus, & secundum quod est homo: aliter tamen & aliter. Nam secundum quod est Deus, operatur in Sacramentis per authoritatem; secundum autem quod est homo, operatur ad interiores effectus Sacramentorum meritorie & efficienter, sed instrumentaliter; quia Passio Christi, quæ competit ei secundum humanam naturam, causa est nostræ justificationis meritorie & effective, non quidem per modum principalis agenti, sive per authoritatem, sed per modum instrumenti, in quantum humanitas est instrumentum divinitatis ejus.

Quæst. 5. Quare solus Deus instituit Sacramenta?

Resp Rationem affert Divus Thomas (*3. p. q. 64. art. 2.*), quia virtus Sacramenti est ab eo, qui instituit Sacramentum, ut patet in instituentibus leges; cum igitur virtus Sacramenti sit a Deo, juxta id quod dicitur *Romanorum 8. Deus est qui justificat;* consequens est, quod solus Deus sit Sacramentorum institutor.

Quæst. 6. Quemnam fructum ex hactenus dictis percipere possumus?

Resp. Observandum primo, quod ait Sanctus Carolus (*Act. p. 1. Const. 2. De his quæ ad Sacram. administr. generatim pertinent.*), *Quo major*, inquit, *& uberior est Sacramentorum fructus, quam ut ejus vis explicari facile possit, eo diligentius & intima animi pietate & externo cultu ac veneratione tractanda, & percipienda sunt.* Et, ut dicitur in Canone (*Canone, Omnia, 1. q. 1.*), *Omnia Sacramenta obsunt indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus.* Unde idem S. Carolus alibi sic loquitur (*Act. p. 4. de Sacram. administr.*): „Parochus omnisque Sacerdos, cujus est Sacramenta administrare, meminisse debet, sancta se tractare, omnique fere temporis momento paratum esse oportere ad tam sanctæ administrationis munus. Quamobrem is, cum alios per Sacramenta ungat atque illuminet, hoc maxime studebit, ut ipse vitam pure, caste ac religiose agat, mentemque item & animum ab omni peccati labe purum, adjutrice Dei gratia, conservet diligenter. Quacumque diei aut noctis hora ad Sacramenta ministranda vocabitur (cum præcipuum ejus munus, cujus causa a reliquo populo separatur, ab Ecclesiaque sustentatur, præter cætera sit eorum administratio) nullam tam sanctis pietatis officiis moram interponet; imo populum sæpenumero, prout occasio tulerit,

„ ac-

„ accurate præmonebit, ut, cum opus eſt Parochiali mi-
„ niſtratione atque officio, ſe quam primum & libere ac-
„ cerſat, nulla habita nec temporis, neque loci longe di-
„ ſtantis, neque alterius cujuſcumque incommodi ratio-
„ ne. Cum autem accerſetur, tantum abeſt ut verbis, vel
„ vultu, vel alio ſigno oſtendat, ſe gravate iturum, ut
„ illius, cui miniſtrare debet, ſalutis deſiderio ſe accen-
„ ſum patrem præbens, verborum benignitate vultuque
„ hilari charitatem paternam ſignificante, libentiſſime,
„ & ut poteſt celerrime accedat“.

CAPUT II.

De neceſſitate Sacramentorum in lege naturæ & in lege Moſaica.

Quæſt. I. QUare neceſſaria fuerunt ſemper Sacramenta poſt peccatum?

Reſp. Quia, ut ait Divus Auguſtinus (*l. 9. contra Fauſtum, c.* 11.) „ In nullum nomen religionis, ſeu verum
„ ſeu falſum, coadunari homines poſſunt; niſi aliquo ſi-
„ gnaculorum ſeu Sacramentorum viſibilium conſortio
„ colligentur“.

Divus Thomas, Auguſtini perpetuus diſcipulus, tres adducit hujus neceſſitatis rationes (3. *p. q.* 6. *art.* 1. *in corp.*): „ Sacramenta ſunt neceſſaria ad ſalutem tripli-
„ ci ratione, quarum prima ſumenda eſt ex conditione
„ humanæ naturæ, cujus proprium eſt, ut per corpora-
„ lia & ſenſibilia in ſpiritualia & in intelligibilia dedu-
„ catur: pertinet autem ad divinam providentiam, ut
„ unicuique rei provideat ſecundum modum ſuæ condi-
„ tionis, & ideo convenienter divina ſapientia homini
„ auxilia ſalutis confert ſub quibuſdam corporalibus ſi-
„ gnis, quæ Sacramenta dicuntur. Secunda ratio ſumen-
„ da eſt ex ſtatu hominis, qui peccando ſe ſubdidit per
„ affectum corporalibus rebus; ibi autem debet medici-
„ nale remedium homini adhiberi, ubi patitur morbum.
„ Et ideo conveniens fuit, ut Deus per quædam corpo-
„ ralia ſigna hominis ſpiritualem medicinam adhiberet:
„ nam ſi ſpiritualia nuda ei proponerentur, eis animus
„ applicare non poſſet corporalibus deditus. Tertia au-
„ tem ratio ſumenda eſt ex ſtudio actionis humanæ,
„ quæ præcipue circa corporalia verſatur. Ne ergo eſſet
„ homini durum, ſi totaliter a corporalibus actibus ab-
„ ſtraheretur, propoſita ſunt ei corporalia exercitia in
„ Sacramentis, quibus ſalubriter exerceatur ad evitanda
„ ſuperſtitioſa exercitia. Sic igitur per Sacramentorum
„ inſtitutionem homo convenienter ſuæ naturæ eruditur
„ per ſenſibilia: humiliatur, ſe corporalibus ſubjectum
„ cognoſcens, dum ſibi per corporalia ſubvenitur; præ-
„ ſervatur etiam a noxiis actionibus per ſalubria exerci-
„ tia Sacramentorum“. Idem habet Divus Bonav. Cen-

tiloquii 3. p. sect. 47. *de Sacramentis in generali*. „ Quoniam eramus cæci quoad rationalem, ideo data „ sunt Sacramenta sensibilia ad eruditionem. Quoniam „ eramus elati quoad irascibilem, ideo data sunt Sacra„ menta corporalia ad humiliationem. Quoniam eramus „ proni ad malum quoad concupiscibilem, ideo data sunt „ Sacramenta plura ad exercitationem ".

Quæst. 2. Sacramenta fuerunt-ne homini necessaria in statu innocentiæ?

Resp. Nequaquam, cum *Non sit opus valentibus Medicus, sed male habentibus*, ut ait Christus Dominus (*Matth.* 5.). Sacramenta autem instituta sunt tamquam remedia contra peccata, proindeque non fuerunt necessaria in statu innocentiæ.

Quæst. 3. Nonne Sacramentum Matrimonii institutum est in statu innocentiæ, ut dicitur Genesis primo: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram?* qua igitur ratione dici potest, Sacramenta non fuisse necessaria in statu innocentiæ?

Resp. Sic respondet Divus Thomas huic difficultati (3. *p. q.* 61. *art.* 2. *ad* 3.); „ Matrimonium fuit institutum „ in statu innocentiæ non secundum quod est Sacramen„ tum, sed secundum quod est in officium naturæ ".

Quæst. 4. Fuerunt-ne aliqua Sacramenta in lege naturæ?

Resp. Certum est fuisse; quod probatur primo ex Divo Augustino, qui ait (*l.* 5. *contra Julian. c.* 9.): „ Non est credendum, ante datam Circumcisionem, fa„ mulos Dei (quandoquidem illis inerat Mediatoris fi„ des) nullo ejus Sacramento opitulatos esse parvulis „ suis: quamvis quid illud esset, aliqua necessaria causa „ Scriptura sacra tacere voluit ". Et Divus Thomas (4. *sent. dist.* 4. *q.* 1. *art.* 2. *q.* 3. *ad* 2.); „ Ante legem scri„ ptam, *ait*, erant quædam Sacramenta necessitatis, sic„ ut illud fidei Sacramentum, quod ordinabatur ad de„ letionem originalis peccati, & similiter pœnitentia, „ quæ ordinabatur ad deletionem actualis ".

Quæst. 5. Quid intelligis per legem naturæ?

Resp. Intelligo legem, in qua vivebant homines ab Evæ peccato usque ad Moysem: Vocatur lex naturæ, non quasi in hac lege non esset opus gratia Jesu-Christi ad bona opera efficienda, cum necessaria fuerit ad observanda præcepta fidei, spei, charitatis, cæteraque Decalogi præcepta quæ ad legem naturalem pertinent, ut ostendemus primo tractatu in Decalogum; sed solum quatenus lex naturæ distinguitur a lege scripta, quia hoc tempore nullam legem scriptam tradiderat Deus, sed sola fuit lex naturalis, lumine naturali nota, & lex supernaturalis, divina inspiratione cognita.

Quæst. 6. In quo consistebant Sacramenta legis naturæ?

Resp. Certum est 1. hæc Sacramenta sita fuisse in aliquo actu externo fidei, quoniam, ut diximus in initio hujus capitis, tum ex sancto Augustino, tum ex sancto Tho-

Thoma, fideles quibusdam Sacramentis visibilibus semper conjungi debebant: videtur tamen, quod Deus præcise fidelibus non determinavisset, in quo consistere deberet iste religiosus actus, & quod actus quilibet, ad quos divina ferebantur inspiratione, sufficiebat ad eorum sanctificationem; cujus rationem affert sanctus Thomas, dum ait (*3. p. q. 60. art. 5. ad 3.*): „ In statu legis naturæ homines nulla lege exterius data, sed solo interiori instinctu movebantur ad Deum colendum, ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur ".

Secundo constat, in lege naturæ neminem justificatum fuisse, nisi per aliquem internum actum fidei erga Deum, qui missurus erat Messiam; quia, ut ait Divus Thomas (*3. p. q. 70. art. 4. ad 2.*): „ Ante institutionem Circumcisionis sola fides Christi futuri justificabat tam pueros quam adultos. Probabile tamen est, quod parentes fideles pro parvulis natis, & maxime in periculo existentibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent, quod erat quoddam signaculum fidei, sicut adulti pro se ipsis preces & sacrificia offerebant ". Ac proinde Sacramenta comitem semper habuerunt interiorem fidem in Christum venturum.

Quæst. 7. Erant-ne Sacramenta in lege Moysis?

Resp. Erant certe, eaque plurima, ut satis patet ex Divo Augustino, cum ait (*l. 19. contra Faustum c. 13.*): „ Sacramenta veteris legis ablata sunt, quia impleta; & alia instituta sunt, virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, & numero pauciora ".

CAPUT III.

De necessitate, numero, & institutione Sacramentorum in lege gratiæ.

Qu. 1. FUit-ne necessarium, quod Deus institueret Sacramenta in lege nova, quæ est lex gratiæ, diversa a Sacramentis veteris legis, quæ est lex Moysis?

Resp. Non erat absolute loquendo necesse, ut Deus institueret Sacramenta; quoniam salutem nostram operari poterat aliis mediis, tum in lege naturæ, & Mosaica, tum in lege gratiæ: conveniens tamen maxime fuit, ut institueret Sacramenta in lege nova, quæ differrent a Sacramentis legis antiquæ: cujus quidem rationem assignat Divus Thomas his verbis (*2. 3. p. q. 61. art. 4. in corp.*): „ Sicut antiqui Patres salvati sunt per fidem Christi venturi, ita & nos salvamur per fidem Christi jam nati & passi: sunt autem Sacramenta quædam signa protestantia fidem, qua homo justificatur. Oportet autem aliis signis significari futura, præterita, & præsentia. Ut enim Augustinus dicit lib. 19. contra Faustum, cap. 14. eadem res aliter annunciatur facienda, aliter

 fa-

„ facta ; ficut ipfa verba, paffurus, & paffus, non fimi-
„ liter fonant. Et ideo oportet, quædam alia Sacramen-
„ ta effe in nova lege, quibus fignificentur ea quæ præ-
„ cefferunt in Chrifto, præter Sacramenta veteris legis,
„ quibus prænunciabantur futura".

Quæft. 2. Quot funt Sacramenta novæ legis?

Refp. Septem funt Sacramenta novæ legis. Baptifmus, Confirmatio, Euchariftia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo, & Matrimonium.

Quæft. 3. Quifnam inftituit Sacramenta?

Refp. Chriftus Dominus, ut definivit Concilium Tridentinum feff. 7. cap. 1. *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuiffe omnia a Jefu-Chrifto Domino noftro inftituta, anathema fit.*

Quæft. 4. Poteft-ne probari ex Scriptura facra inftitutio omnium Sacramentorum?

Refp. Id non eft neceffarium, fed fufficit nos hujus veritatis certos effe per Dei verbum, quod ad nos duabus viis pervenit, Scriptura fcilicet Canonica, & traditione: accipe tamen, quod circa hanc rem in Scriptura continetur.

Chriftus Dominus ad animarum fanctificationem aquas tunc incepit deftinare cum baptizari voluit in Jordane: Baptifmi neceffitatem deinde declaravit, cum dixit Nicodemo: *Nifi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu-fancto, non poteft introire in regnum Dei* (*Jo.* 3. *v.* 1.): Et Baptifmi fufcipiendi præceptum impofuit, quando priufquam in cælum afcenderet, Apoftolis dixit (*Matth.* 28. *v.* 19.): *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus fancti*: Et Marci 16. v. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, falvus erit.*

Confirmatio defignata fuit, cum Chriftus parvulis manus impofuit, qui fibi oblati funt, ut habetur Matth. 19. v. 13. *Oblati funt ei parvuli, ut manus eis imponeret, & cum impofuiffet eis manus, &c.* Verum dubitari minime poteft, quin fecundum Chrifti mandatum eam Apoftoli adminiftraverint, ut videre licet variis in locis Apoftolorum Actuum: v. g. quando multi Samaritani baptizati fuerunt a fancto Philippo, uno ex feptem Diaconis, Apoftoli miferunt ad Jerufalem Petrum & Joannem, qui erant Apoftoli, cujus Epifcopi funt fucceffores, qui, ut dicitur Act. 8. v. 17. *Imponebant manus fuper illos, & accipiebant Spiritum-fanctum.* Idem dicitur de fancto Paulo Apoftolo, Act. 19. v. 6. *Et cum impofuiffet illis manus Paulus, venit Spiritus-fanctus fuper eos.*

Inftitutio Sacramenti Euchariftiæ clare oftenditur, cum dicitur (*Matth.* 28. *v.* 26.); *Cœnantibus autem eis accepit Jefus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Difcipulis fuis, & ait: Accipite & comedite, hoc eft Corpus meum.* Et Marci 14. v. 22. *Accepit Jefus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait; Sumi-*

te,

te, hoc est Corpus meum. Lucæ 22. v. 19. *Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur; Hoc facite in meam commemorationem*.

Et tunc quidem Christus præstitit, & perfecit, quod promiserat Joannis 6. v. 54. ubi dixit, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: Et vers. 56. *Caro enim mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus*.

Sacramentum Pœnitentiæ institutum fuit Jo. 20. v. 23. quando Christus dixit Apostolis suis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Et Christus Dominus hanc eis potestatem daturum se promisit, quando dixit Petro, Matth. 16. vers. 19. *Tibi dabo Claves Regni Cælorum: & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis*. Quod c. 18. v. 18. dixit omnibus Apostolis: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo*.

Quod dicitur Marci 6. v. 13. *Et ungebant oleo multos ægros & sanabant*, ad extremæ Unctionis Sacramentum referri potest. Verum clare significatur Jacobi 5. v. 14. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei*.

Sacramentum Ordinis institutum fuit in Cœna Domini, quantum ad potestatem consecrandi Eucharistiam, & post resurrectionem, quantum ad potestatem remittendi peccata, Jo. 20. *Insufflavit & dixit eis; Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Sanctus etiam Paulus ostendit, Ordines esse Sacramentum, quod confert gratiam, cum dicit ad Timotheum (1. *c.* 5. *v.* 14.), *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii*.

Matrimonium primitus institutum fuit in Paradiso terrestri, sed videtur elevatum ad Sacramenti dignitatem per benedictionem, quam dedit ei Christus Dominus cum interfuit nuptiis Canæ Galileæ; vel dum statuit indissolubilitatem matrimonii dicens, Matth. 19. vers. 6. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*. Et ad Eph. 5. v. 32. ait Apostolus: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & in Ecclesia*.

CAPUT IV.

De partibus necessariis ad constituendum Sacramentum.

Quæst. 1. QUænam sunt partes necessariæ ad constituendum Sacramentum?

Resp. Omnia Sacramenta, ut ait Concilium Florentinum (*sub Eugen. IV. in Armenorum Decreto*), *tribus perficiuntur, videlicet rebus, tamquam materia, verbis, tamquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum.* Idem statuit & decrevit Concilium Tridentinum sess. 7.

Qu. 2. In quo consistit materia & forma Sacramentorum?

Resp. Quemadmodum in compositis naturalibus vocamus materiam id, quod determinari debet ad tale esse per aliud: formam vero vocamus, quod ipsam materiam ad aliquid determinat, ac perficit; ita in Sacramentis res sensibiles, quæ ex se indifferentes sunt ad significandum plura, dicuntur materia, & verba illa determinantia ad tale significandum, dicuntur forma: „ Ex „ verbis & rebus, *inquit Sanctus Thomas* (3. *p. q.* 60. „ *art.* 6.), fit quodammodo unum in Sacramentis, sicut „ ex forma & materia, in quantum scilicet per verba „ perficitur significatio rerum “. Et ibidem in corpore articuli sic habet: „ Aqua enim significare potest & ablu„ tionem propter suam humiditatem, & refrigerationem „ propter suam frigiditatem: sed cum dicitur; Ego te „ baptizo, manifestatur, quod aqua utimur in baptismo „ ad significandam emundationem spiritualem “.

Quæst. 3. Materia & forma sunt-ne partes essentiales Sacramentorum?

Resp. Ita plane. *Verba, & res*, hoc est materia & forma, ait Divus Thomas (*in* 4. *sent. dist.* 1. *art.* 3. *ad* 2.), *sunt de essentia Sacramenti*. Et alibi ait (3. *p. q.* 60. *art.* 7. *in corp.*): *In Sacramentis verba se habent per modum formæ, res autem sensibiles per modum materiæ.*

Quæst. 4. Quisnam instituit materiam & formam Sacramentorum?

Resp. Christus Dominus: “ Illa quæ aguntur in Sa„ cramentis, *ait Divus Thomas* (3. *p. q.* 64. *art.* 2. *ad* „ 1.), per homines instituta, non sunt de necessitate „ Sacramenti, sed pertinent ad quamdam solemnitatem, „ quæ adhibetur in Sacramentis ad excitandam devo„ tionem & reverentiam in his, qui Sacramenta susci„ piunt. Ea vero quæ sunt de necessitate Sacramenti, „ ab ipso Christo instituta sunt, qui est Deus & homo. „ Et licet non sint omnia tradita in Scripturis, habet „ tamen ea Ecclesia ex familiari Apostolorum traditio-

„ ne,

„ ne, ficut Apoftolus dicit, 1. *ad Cor.* 11. *Cætera*, *cum* „ *venero*, *difponam*“.

Quæft. 5. Quid intelligis per intentionem, quæ requiritur ad validitatem Sacramentorum?

Refp. Intentio eft actus voluntatis in aliquem finem fe moventis. Definitum eft autem in Concilio Tridentino (*feff.* 7. *Can.* 11.) intentionem effe neceffariam ad confectionem Sacramentorum: „ Si quis dixerit, *inquit*, in „ Miniftris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, „ non requiri intentionem faltem faciendi quod facit Ec- „ clefia, anathema fit“.

Quæft. 6. Quotuplex eft intentio?

Refp. Triplex: Actualis, virtualis, & habitualis.

Quæft. 7. Quænam eft intentio actualis?

Refp. Actualis intentio eft ea, qua quis conferens Sacramentum, in ipfo momento cogitat de eo conferendo, & habet actu intentionem faciendi quod facit Ecclefia: non eft autem neceffarium, ut dicat, Ego intendo, aut volo facere quod facit Ecclefia, fed fufficit, ut id faciat cum attentione conjuncta cum intentione adminiftrandi Sacramentum. Unde Sanctus Carolus (*Act.* *p.* 4. *De Sacrament. adminiftr.*): „ Sacerdos, *inquit*, Sacramenti „ adminiftrationem cum aggreditur, id intendat, idque „ fibi agere proponat, quod Chriftus Dominus inftituit, „ & Sancta Mater Ecclefia intendit, atque agit“.

Quæft. 8. Quænam eft intentio virtualis?

Refp. Virtualis intentio nuncupatur, quæ ex actuali oritur, & ex illius virtute operatur: vel intentio virtualis ea eft, quæ actu defiit, & manet virtute; quia quamvis ille, qui Sacramentum adminiftrat, non habeat tunc intentionem, quia non cogitat actu de Sacramenti adminiftratione, cum fit diftractus; eam tamen prius tempore habuit, ejufque virtute agit; v. gr. ut ait Sanctus Thomas (3. *p.* *q.* 64. *art.* 8. *ad* 3.): „ Cum Sacerdos accedens „ ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum, „ quod facit Ecclefia. Unde fi poftea in ipfo exercitio „ actus, cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute pri- „ mæ intentionis perficitur Sacramentum“.

Quæft. 9. Quænam eft intentio habitualis?

Refp. Habitualis intentio vocatur inclinatio feu promptitudo quædam ex habitu acquifito aut infufo proveniens, quam nulla præceffit intentio, vel, fi præceffit, jam eft moraliter interrupta, atque adeo nec per fe, nec per virtutem a fe relictam in actionem influere cenfetur, quod quidem accidere poteft homini etiam dormienti; v. g. cum quis folitus adminiftrare Sacramentum Baptifmi, illud adminiftrat fine ulla intentione, aut reflexione ad id quod agit.

Quæft. 10. Quænam ex dictis intentionibus requiritur in Miniftro ad validitatem Sacramentorum?

Refp. Intentio actualis non eft neceffaria ad validitatem Sacramentorum; quia, ut ait Divus Thomas (3. *p.*

q. 64. art. 8. ad 3.), *Non est totaliter positum in hominis potestate habere actualem intentionem: quia præter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare, secundum illud Psalmi 39.* Cor meum dereliquit me. *Studiose tamen*, inquit idem Doctor ibidem, *curare debet Sacramenti minister, ut etiam actualem intentionem adhibeat.* Intentio virtualis sufficit: *Si enim in ipso exercitio actus*, inquit idem Sanctus Thomas ibidem, *cogitatio Ministri ad alia rapiatur, virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum.* Hæc enim in Ministro, evagante animi cogitatione, dum sacramentalem actionem exercet, esse potest, atque ad Sacramenti integritatem sufficit. Quare Sacerdos, qui minores hostias consecrandas in Altari reposuit, eas vere consecravit vi primæ intentionis, etsi inter mysteria mens ejus fuerit evagata, nec illarum in ipso consecrationis articulo meminerit.

Intentio habitualis non sufficit, quia actus ex illa proveniens, non est actus humanus, cum fiat sine advertentia, & deliberatione, nec proinde adsit intentio faciendi quod facit Ecclesia, & ut ait Divus Bonaventura (*in 6. par. Breviloq. c. 5. De Sacramentorum dispensatione*): *Dispensatio Sacramentorum est opus hominis ut rationalis, ut Ministri Christi, & ut Ministri salutis: Hinc est, quod necesse est, quod fiat ex intentione, qua quis intendat facere, quod Christus instituit ad humanam salutem, vel saltem facere quod facit Ecclesia.*

Quæst. 11. Si habitualis intentio Ministri non sufficiat, quomodo intelligi debet, quod ait Divus Thomas (*3. p. q. 64. art. 8. ad 3.*), quod *Licet ille, qui aliud cogitat, non habet actualem intentionem; habet tamen intentionem habitualem, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti?*

Resp. Facile est videre ex verbis Divi Thomæ, eum non loqui de intentione habituali, quatenus distinguitur a virtuali, sed solum quatenus distinguitur ab actuali; cum dicat ibidem immediate post verba citata: *Puta, cum Sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum quod facit Ecclesia. Unde si postea in ipso exercitio actus cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum.* Hoc autem vocamus intentionem virtualem, quæ nihil aliud est quam intentio, quæ reperitur in eo, qui habita intentione actuali administrandi Sacramentum, postmodum distractus est, illudque confert virtute primæ intentionis actualis, quam prius habuit.

Quæst. 12. Si intentio Ministri necessaria foret ad validitatem Sacramenti, Sanctus Alexander Episcopus Alexandriæ non debuisset approbare Baptismum a sancto Athanasio sociis jocando collatum; cum enim adhuc puer pueriliter luderet in littore maris, & Episcopales actiones imitando exprimeret, colludentes pueros baptizavit

in

in nomine Trinitatis ; quoniam quidem qui ſedendo ſolum res facit, non videtur habere intentionem adminiſtrandi Sacramentum. Similiter Baptiſmus receptus a a ſancto Geneſio in theatro, ab eo qui irridere volebat mores Chriſtianorum, & modum baptizandi eorum, non fuiſſet validus.

Reſp. Primo, reſponderi poteſt, factum Athanaſii eſſe valde dubium, ut patet ex ejus hiſtoria exactius ſcripta a celebri authore. Verum licet hæc hiſtoria vera foret, Gloſſa in Can. *Spiritus Sanctus* (1. *q.* 1. *verbo, Interrogationibus*), ubi hæc hiſtoria refertur, ſic reſpondet: *Dico etiam quod licet formam ludendo accipiat, dum tamen baptizare intendat, baptizat: Si autem omnia jocoſe fiant, non erit Baptiſmus*. Et Divus Thomas hanc difficultatem proponit, & ita ſolvit (*in* 4. *ſent. diſt.* 6. *in Expoſitione litteræ*): „ Dicitur quod puer A„ thanaſius ludendo ſimulans ſe Epiſcopum baptizarit „ quoſdam: & judicatum eſt ab Alexandro Epiſcopo ut „ non rebaptizarentur, quia inventum eſt, quod ipſe in„ tentionem baptizandi habuit. Quod etiam patet ex hoc „ quod non baptizabat niſi Catechumenos “, hoc eſt, eos qui ſe diſponebant ad recipiendum Baptiſmum.

Quod ſpectat ad factum ſancti Geneſii, dico illum jlocaliter & hiſtrionice Chriſtiana myſteria imitantem, & irridentem coram Diocletiano, ſed repente, tangente Deo cor hominis, ad fidem Chriſtianam eſſe converſum, & baptizatum, ut ait Sanctus Antoninus, his verbis (1. *p. tit.* 8. *c.* 1. §. 9. *ſummæ hiſtorialis*): „ Quam ob rem „ ad nos veniſti, filiole? At ille, non jam ſimulate & „ ficte, ſed ex puro corde reſpondit; quia gratiam Chri„ ſti conſequi cupio, per quem renatus a ruina iniquita„ tum mearum liber fiam “. Ita hanc hiſtoriam refert Surius, l. 4. de Vita Sanctorum, dum ſcribit vitam ſancti Geneſii: Poſito autem, quod miniſter ille evocatus nullam habuerit intentionem baptizandi, ſed tantum deridendi Baptiſmum, tunc dicimus, non baptizaſſe Geneſium; ſi autem baptizando voluerit facere, quod in baptizando Chriſtianos facere ſolitos eſſe audierat, tunc ab eo baptizatum eſſe Geneſium aſſerimus. Quoquo modo ſe res habeat, ſanctus Geneſius baptizatus eſt, vel Baptiſmo fluminis, vel ſanguinis; fluminis quidem, ſi præfatus Miniſter in eo baptizando intendebat facere, quod Chriſtiani in ſimili occaſione faciebant; ſanguinis autem Baptiſmo regeneratus eſt, cum Chriſti fidem amplexus illuſtre martyrium ſubiit.

Quæſt. 13. Quomodo igitur intelligenda ſunt verba D. Auguſt. relata in Canone, *Baptiſmus* (*De conſecr. diſt.* 4) *Non timeo*, inquit, *adulterum, non ebrioſum, non homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur, hic eſt, qui baptizat*, nimirum Chriſtus. Ex his verbis colligere licet, intentionem non eſſe neceſſariam ad validitatem Sacramenti: primo, quia ſi inten-

tio necessaria foret, timere quis posset, qui ab ebrioso Sacramentum susciperet, ne facile intentione careret: secundo, quia, ut ait S. Augustinus, quisquis baptizet, Christus est qui semper confert Baptismum, proindeque intentio Christi sufficit ad validitatem Baptismi.

Resp. Facile videre licet ex verbis sancti Augustini, & ex eo quod probare volebat scribens contra Donatistas asserentes, validitatem Sacramenti pendere a sanctitate Ministri, Sanctum Augustinum nihil aliud probare velle, nisi sanctitatem Ministri non esse necessariam ad validitatem Sacramenti. Unde Glossa in Can. *Dedit*, 1. *q.* 1. verbo, *ebrius*, ait, *Ita tamen, quod sentiat quid faciat: quia intentio baptizantis exigitur.*

Quæst. 14. Si intentio necessaria est ad validitatem Sacramenti, quare Divus Augustinus relatus in Can. *Solet* (*de consec. dist.* 4.) „ Ubi autem neque societas ulla „ esset ita credentium, neque ille qui acciperet, ita cre- „ deret, sed totum ludicre, & mimice, & jlocalariter „ ageretur; utrum approbandus esset Baptismus qui sic „ daretur? Divinum judicium per alicujus Revelationis „ Oraculum, concordi oratione & impensis supplici de- „ votione gemitibus, implorandum esse censerem, ita „ sane ut post me dicturus sententias, si quid jam ex- „ ploratum & cognitum afferrent, humiliter expecta- „ rem “. Cur inquam, cum talis tantusque Doctor Ecclesiæ non ausus sit hanc controversiam definire, nos audeamus eam decidere?

Resp. Facile respondemus, nos jam in Ecclesia habere, quod desiderabat S. Augustinus, cum hæc controversia definita fuerit a Conciliis Florentino & Tridentino supra relatis.

Quæst. 15. Requiritur-ne ad validitatem Sacramenti, ut v. g. baptizans sciat, quæ sit intentio Ecclesiæ?

Resp. Non est necessarium, modo vere intendat baptizare: quod quidem Innocentius Papa IV. asserit: „ Non „ est, *inquit*, necesse, quod baptizans sciat, quid sit „ Ecclesia, quod gerat in mente facere quod facit Ec- „ clesia, imo si contrarium gereret in mente, scilicet „ non facere quod facit Ecclesia, sed tamen facit, quia „ formam servat, nihilominus baptizatus est, dummo- „ do baptizare intendat “. Atque hoc modo intelligendus est Innocentius IV. (*super C. Si quis puerum, de baptismo*) quod scilicet vult solum ad validitatem Sacramenti, ut is qui baptizat, observet formam Sacramenti, & habeat præterea veram baptizandi intentionem, licet non sit necesse, ut velit per Baptismum conferre gratiam sanctificantem baptizato: quod vult tamen Ecclesia.

Quæst. 16. Quare intentio interpretativa non est sufficiens ad validam Sacramenti administrationem, cum sufficiat ad peccatum, atque etiam ad validam Sacramenti susceptionem?

Resp. Non debet hæc intentio sufficiens existimari ad Sa-

Sacramenti administrationem, quia hæc intentio non est, sed esset si agens adverteret, ut in ebrio, & dormiente, qui tamen Sacramenta valide non conficiunt, invenitur. Ratio autem discriminis in allatis exemplis est; quia Sacramenti administratio per modum actionis humanæ & Ecclesiasticæ exerceri, ac proinde actu vel virtute intendi debet; sola autem intentio interpretativa, quam habet dormiens, vel ebrius, non facit actum illum esse humanum, & libera applicatione exercitum: at vero peccatum, ut inficiat animam, non debet necessario intendi per modum actionis, sed per modum objecti, a quo voluntas malitiam haurit, quomodocumque tandem illud amet. Unde qui est ita dispositus, ut libenter peccaret, si sciret, ibi esse peccatum, continuo peccati reus efficitur: similiter recipiens Sacramentum, mere passive se habet: (si Pœnitentiæ Sacramentum excipias, in quo actus pœnitentis sunt Sacramenti materia necessaria) unde modo non ponat positivum obicem, & sit aliunde ita dispositus, ut Sacramentum recipere vellet, si ministraretur, non requiritur per se alius actus; ideoque Baptisma dormienti Catechumeno, Baptismi alioquin studioso, collatum, numquam iteravit Ecclesiæ, & parvulis proprio actu carentibus quotidie confertur: & in hoc sensu dixit Innocentius III. (*Cap. Majores, de baptismo, in fine*).
„ Tunc ergo characterem Sacramentalis imprimit opera-
„ tio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit
„ obsistentem". Quia nimirum in voto Baptismi antea concepto sufficiens intentio Moralis, & interpretativa perseverat: cum quibus tamen stat in recipiente vera intentio recipiendi Baptismum, modo expresse non contradicat. Unde adultus receptioni Baptismi expresse contradicens, nihil recipit, quia tunc nullam habet intentionem recipiendi Baptismum, nec etiam interpretativam, quæ sufficeret ad hoc, ut valide reciperet.

CAPUT V.

De mutationibus, quæ accidere possunt materiæ, formæque Sacramentorum.

Qu. 1. QUænam mutatio in materia & forma Sacramentorum reddit Sacramentum invalidum?

Resp. Certum est, omnem mutationem, tum in materia, tum in forma Sacramentorum, reddere Sacramentum invalidum. Quod quidem probatur authoritate sancti Augustini relati in Canone (*Can. Detrahe, tit.* 1.), *Detrahe*, inquit, *verbum, & quid est Aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum:* Hoc est, detrahe formam a materia Baptismi, seu verbum ab aqua, nullum erit Sacramentum: quibus verbis satis constat, mutationem omnem substantialem, sive materiæ, sive formæ, Sacramentum nullum reddere.

Quæst. 2. In quonam sita est essentialis mutatio formæ Sacramentorum ?

Resp. Cum verba, inquit Divus Thomas (3. *p. q. 60. art.* 8. *in corp.*), „ operentur in Sacramentis quantum ad „ sensum quem faciunt, oportet considerare, utrum per „ talem mutationem tollatur debitus sensus verborum; „ quia si sic, manifestum est, quod tollitur veritas Sa- „ cramenti. Manifestum est autem, quod si diminuatur „ aliquid eorum, quæ sunt de substantia formæ Sacra- „ mentalis, tollitur debitus sensus verborum: & ideo „ non perficitur Sacramentum; Unde Didymus dicit in „ lib. 2. de Spiritu sancto: Si quis ita baptizare cone- „ tur, ut unum de prædictis nominibus prætermittat „ (scilicet Patris & Filii & Spiritus sancti) sine perfe- „ ctione baptizabit ".

Qu. 3. Quænam est accidentalis mutatio formæ Sacramentorum adveniens, quæ eorum validitatem non impedit?

Resp. Cum sensus verborum, ut diximus ex Divo Thoma, sit essentia formæ Sacramentorum, mutatio vocatur accidentalis, quando verba constituentia formam Sacramentorum, per eam mutationem non amittunt verum sensum, verumque significatum: *Si subtrahatur aliquid*, inquit Divus Thomas (3. *p. q. 60. art.* 8. *in corp.*), *quod non sit de substantia formæ, talis diminutio non tollit debitum sensum verborum: & per consequens, nec Sacramenti perfectionem. Sicut in forma Eucharistiæ, quæ est*, Hoc est enim Corpus meum: *Ly* enim *sublatum, non tollit debitum sensum verborum, & ideo non impedit perfectionem Sacramenti.*

Quæst. 4. Si aliquis propter ignorantiam linguæ Latinæ, sive ex negligentia, sive aliquo alio defectu naturali, corrumperet ita verba Sacramentorum, ut secundum modum, quo ab eo proferrentur, non amplius in rigore eum sensum conservarent, quem efficere deberent tamquam forma Sacramentorum, Sacramentum foretne validum: v. gr. si quis baptizando diceret: *In nomine Patria, & Filia, & Spiritua sancta.*

Resp. Sacramentum foret validum, licet verba non haberent verum sensum, quem efficere deberent ad validitatem Sacramenti, si in summo rigore acciperentur; dummodo, in modo quo proferuntur hæc verba, in talibus circumstantiis, ad talem actionem efficiendam, & ratione connexionis, quam haberent cum aliis verbis Sacramentorum formæ: v. g. in casu proposito, cum his verbis, *Ego te baptizo in nomine*: significent, ac manifestent omnibus præsentibus, eaque audientibus, eum qui eam profert, velle idem dicere, eumdemque sensum conservare, qui necessarius est ad formam Sacramenti.

Ita propositam difficultatem resolvit olim Zacharias Papa relatus in Canone (*Can. Retulerunt, De Consecr. dist.* 2.): „ Retulerunt, *inquit*, nuncii tui, quod fue- „ rit in eadem Provincia Sacerdos, qui Latinam lin-

„ guam

„ guam penitus ignorabat, & dum baptizaret, nesciens „ Latini eloquii, infringens linguam diceret: Baptizo „ te in nomine Patria & Filia & Spiritua sancta. Ac „ per hoc tua reverenda fraternitas consideravit eos re- „ baptizare. Sed sanctissime Frater, si ille qui baptizavit, „ non errorem introducens aut hæresim, sed pro sola „ ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam, „ ut supra fati sumus, baptizans dixisset, non possumus „ consentire, ut denuo baptizentur “.

Ex his quæ modo diximus, colligere licet, quod quando asseruimus, ad validitatem Sacramenti necessarium esse, ut significatus sensus verborum formæ Sacramenti non variaretur, aut corrumperetur; id intelligi minime debere in summo rigore, ita ut quoties verborum formæ aliqua corruptio aut variatio sensum commutat, ideo Sacramentum efficiat nullum: verum id moraliter intelligendum est, ita ut judicemus, sensum verborum esse semper eumdem, proindeque Sacramentum esse validum, quoties illi, qui proferentem audierunt, judicant eum idem voluisse dicere, licet aliqua verba pronunciando variaverit, aut corruperit per ignorantiam, aut inadvertentiam.

Quæst. 5. Quare Sacramentum nullum est, quando ille, qui verba aliqua formæ proferendo corrumpit, id facit, ut introducat errorem in Ecclesiam?

Resp. Rationem affert Divus Thomas, cum dicit: (3. p. q. 60. art. 8. in corp.): „ Intentio Ministri requi- „ ritur ad Sacramentum: & ideo si intendat, per hujus- „ modi additionem, vel diminutionem, alium ritum „ inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non vide- „ tur perfici Sacramentum, quia non videtur, quod in- „ tendat facere id, quod facit Ecclesia “. Propterea in casu proposito Sacramentum collatum nullum esset, quia Minister non haberet eam intentionem, quæ est necessaria ad validitatem Sacramenti.

Quæst. 6. Qua ratione dignosci potest, an mutatio materiæ Sacramentorum sit substantialis, aut tantum accidentalis?

Resp. Materiæ mutatio reputatur substantialis, ac proinde Sacramentum reddit nullum, quando, secundum communem usum & judicium hominum, non reputatur esse ejusdem speciei cum materia a Christo Domino determinata: si vero illa mutatio non impediat, quominus materia sit semper ejusdem speciei, mutatio tunc censeretur tantum accidentalis: v. gr. in Sacramento Baptismi, *Dicendum est*, inquit Divus Thomas (3. *p. q. 66. art. 4. in corp.*), *quod in qualibet aqua qualitercumque transmutata, dummodo non solvatur species aquæ, potest fieri Baptismus. Si vero solvatur species aquæ, non potest fieri Baptismus.*

Quæst. 7. Quot modis accidere potest mutatio substantialis in Sacramentis?

Resp.

Resp. Quinque modis. Primo, „ Circa conditionem, „ *inquit Divus Thomas* (3. *p. q.* 60. *art.* 8. *in corp.*) con„ tingit aliquid apponi quod est corruptivum debiti sen„ sus; puta si quis dicat: Ego te baptizo in nomine Pa„ tris majoris, & Filii minoris, sicut Ariani baptiza„ bant; & ideo talis additio tollit veritatem Sacramen„ ti “. Secundo, quando prætermittuntur aliqua verba essentialia: „ Manifestum est autem, *ait ibidem Divus* „ *Thomas* (3. *p. q.* 60. *art.* 7. *ad* 3.), quod si dimi„ nuatur aliquid eorum, quæ sunt de substantia formæ „ Sacramentalis, tollitur debitus sensus verborum, & „ ideo non perficitur Sacramentum; ut si quis ita bapti„ zare contendat, ut unum de prædictis nominibus præ„ termittat, scilicet Patris & Filii & Spiritus-sancti, „ *v. g. diceret; Ego te baptizo in nomine Patris &* „ *Filii*, & omitteret *Spiritum-sanctum*. *Tertio*, si sit „ tanta corruptio, *ait idem Doctor*, quæ omnino aufe„ rat sensum locutionis, non videtur perfici Sacramen„ tum: puta si loco ejus quod est in nomine Patris, di„ cat in nomine matris. *Quarto*. Si sit tanta interruptio „ verborum, *ut ait Divus Thomas* (3. *p. q.* 60. *art.* 8. „ *ad* 3.), quod intercipiatur intentio pronunciantis, tol„ litur sensus Sacramenti, & per consequens veritas ejus; „ non autem tollitur, quando est parva interruptio, quæ „ intentionem proferentis & intellectum verborum non „ aufert. Et idem est dicendum de transpositione verbo„ rum, quia si tollit sensum locutionis, non perficitur „ Sacramentum; *v. g. si quis diceret: Filii, Ego ba*„ *ptizo te in nomine Patris, & Spiritus-sancti.*

Quæst. 8. Quomodo intelligenda sunt verba sancti Augustini relata in Can. (*Can. Detrahe*, 1. *q.* 9.) „ Unde „ ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor ab„ luat, nisi faciente verbo? Non quia dicitur, sed quia „ creditur: nam & in ipso verbo aliud est sonus trans„ iens, aliud virtus manens “.

Nonne hinc colligere licet, verba non esse formam Sacramenti, quoniam ad ejus validitatem non est necesse, ut proferantur, sed solum instituta sunt ad excitandam fidem fidelium, a qua sola, juxta Calvinum, dependet omnis vis & efficacia Sacramentorum?

Resp. Responderi potest his sancti Augustini verbis, cum Glossa in eumdem Canonem (*Glossa in Can. Detrahe, verbo, Creditur.*) „ Et quod dicitur, *sed quia* „ *creditur*, hoc ad suscipientem refertur: quia non exigi„ tur fides conferentis, sed suscipientis; ab ipso enim „ dante sola intentio requiritur, “ faciendi scilicet, quod facit Ecclesia: sed necesse est, ut is qui Baptismum recipit, fidem habeat, ut gratiam recipiat; & tunc verbum efficit sanctificationem animæ, non quia dicitur, sed quia creditur; ita ut non soli verborum pronunciationi vim animæ sanctificandæ Christus adjunxerit, sed fidei, quæ verbis prolatis exhibetur.

Glossa suam probat explicationem ex ipsis Augustini verbis, quæ referuntur in Canone, ubi hic sanctus Doctor ait (*Canone, Tunc valere, De Consecr. dist.* 4.): „ Tunc valere incipit ad salutem Baptismus, cum illa „ fictio veraci confessione recesserit, quæ corde in malitia „ vel sacrilegio perseverante, peccatorum abolitionem non „ sinebat fieri ". Et certum est, Divum Augustinum voluisse tantum loqui de Sacramento, in quantum sanctificat animam; cum dicat, corpus tangit, scilicet aqua, & cor abluit: fides enim necessaria est in eo qui suscipit Sacramentum: ideo dicit, sed quia creditur: quod tamen de solis adultis intelligendum est; quoniam, ut ait idem Doctor relatus in Canone (*Can. Cum pro parvulis, De Consecr. dist.* 1.) „ Cum pro parvulis alii re„ spondent, ut impleatur erga eos celebratio Sacramen„ ti; valet utique ad eorum consecrationem, quia ipsi „ respondere non possunt. At si pro eo qui respondere „ potest, alius respondeat, non itidem valet ". In eodem ipso loco, unde desumitur objectio, sanctus Augustinus ait: „ Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia „ Dei, ut per ipsam credentem, offerentem, benedicen„ tem, tingentem, etiam tantillum: mundet infantem, „ quamvis nondum valentem corde credere ad justitiam, „ & ore confiteri ad salutem: " Quoniam, ut ait Sanctus Bonaventura (*In 6. p. Breviloq. cap. 7. De integritate Baptismi.*) „ Originale peccatum trahitur aliun„ de; & parvulum facit concupiscibilem, & adultum „ actu concupiscentem; necessaria est adulto fides pro„ pria & pœnitentia; sed parvulo sufficit aliena, quæ „ scilicet est in universali Ecclesia.

Responderi etiam potest, sanctum Augustinum nihil aliud velle, quam sonum exteriorem verborum non habere vim physicam salvandi animam, sed solum, quia verbum est continens mysterium, quod est objectum fidei Ecclesiæ.

Quæst. 9. Quale peccatum committit ille, qui mutat aliquid in materia aut forma Sacramentorum?

Resp. Committit peccatum ex natura sua mortale. Quod quidem primo probatur authoritate Scripturæ sacræ; dicitur enim in Deuteronomio (*Can.* 4.) *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ab eo.* Unde licet colligere a fortiori, non licere quidquam mutare in materia, vel forma Sacramentorum, quoniam verba Scripturæ sacræ adhibentur ad significandam non tantum voluntatem divinam, verum etiam ad sanctificandas animas nostras. Id etiam confirmatur authoritate sancti Basilii, qui ait (*lib. de Spiritu sancto c.* 11.) *Ille e gratia excidit, qui addit aut detrahit ad verba præscripta in Sacramento Baptismi.* Unde concludere licet, illum peccare mortaliter, qui mutat quidquam in materia, vel forma Sacramentorum, quoniam a gratia Dei nullus excidit, nisi propter peccatum mortale.

Quæst.

Quæst. 10. Utrum ignorantia excusaret eum a peccato, qui mutaret, aut omitteret aliquid in materia, vel forma Sacramentorum.

Resp. Cum, secundum Divum Thomam (1. 2. *q.* 6. *art.* 8. *in corp.*), *Ignorantia voluntaria dicatur ejus, quod quis potest scire & debet*, eaque non excuset a peccato; cumque Presbyteri teneantur scire, quidquid præscriptum est in materia & forma Sacramentorum; si mutationem aliquam notabilem per ignorantiam facerent (licet ea foret tantum accidentalis) in materia, vel forma Sacramentorum, non forent immunes a gravi peccato.

CAPUT VI.

De Ministro Sacramentorum.

Quæst. 1. SAnctitas Ministri est-ne necessaria ad validitatem Sacramenti?

Resp. Nequaquam: *Si inter bonos Ministros*, ait Divus Augustinus relatus in Canone (*Can. Si inter, De Consecr. dist.* 4), *cum sit alius alio melior, non est melior Baptismus, qui per meliorem datur, nullo modo est malus, qui etiam per malum datur, quando idem Baptismus datur. Et ideo per Ministros dispares Dei munus æquale est, quia non illorum, sed ejus est:* Id est Jesu-Christi, a quo Sacramenta suam habent vim, non vero a Ministro, qui ejus tantum instrumentum est.

Et Concilium Tridentinum (*Sess.* 7. *cap.* 12.) ait: „ Si quis dixerit, Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema sit.

„ Dicendum, *inquit Divus Thomas* (3. *p. q.* 60. *in corp.*), quod Ministri Ecclesiæ instrumentaliter operantur in Sacramentis, eo quod quodammodo eadem ratio est ministri & instrumenti. Instrumentum autem non agit secundum propriam formam, aut virtutem, sed secundum virtutem ejus a quo movetur. Et ideo accidit instrumento, in quantum est instrumentum, qualemcumque formam vel virtutem habeat, præter id, quod exigitur ad rationem instrumenti, sicut quod corpus Medici (quod est instrumentum animæ habentis artem) sit sanum vel infirmum: & sicut quod fistula, per quam transit aqua, sit argentea vel plumbea: unde Ministri Ecclesiæ possunt Sacramenta conferre, etiam si sint mali "; sive in peccato mortali.

Quæst. 2. Administrare Sacramentum in statu peccati mortalis, est-ne peccatum mortale?

Resp. Hoc peccatum non videtur posse esse leve, quia is, qui illud committit, per malitiam non reveretur, ut par est, Deum in sacratissimis ejus Mysteriis: & sicut ille qui est inimicus Principis, non est capax aut idoneus, ut

ut favores ejus, gratiasque aliis distribuat, nec id facere potest sine nova Principis indignatione, temere se talibus officiis ingerendo; ita qui sibi conscii sunt peccati mortalis, ac proinde inimici Dei, graviter eum offendunt, quoties in eo statu audent ministrare Sacramenta: unde in Levitico dicitur (*cap.* 21.): *Sacerdos, in quo fuerit macula, non accedet offerre oblationes Domino*.

Et sanctus Augustinus relatus in Canone ait (*Can. Bart. De Consecr. dist.* 1.) *Ego dico & nos dicimus omnes, quia justos oportet esse omnes, per quos baptizatur. Justos oportet esse tanti Judicis Ministros, si ministrare juste voluerint*, hoc est, sine peccato: & alio in loco dicit (*Aug. l.* 2. *contra Parmenian. c.* 10.): *Omnia Sacramenta cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus*.

„ Dicendum, (*inquit Divus Thomas* 3. *p. q.* 64. *art.* „ 1. *in corp.*), quod aliquis in agendo peccat ex hoc, „ quod operatur non secundum quod oportet. Conve- „ niens autem est, ut Sacramentorum Ministri sint ju- „ sti, quia Ministri debent Domino conformari secun- „ dum illud Levit. 19. SANCTI ERITIS, QUONIAM „ EGO SANCTUS SUM. Et ideo non est dubium, quin „ mali exhibentes se Ministros Dei, & Ecclesiæ in dis- „ pensatione Sacramentorum, peccent. Et quia hoc pec- „ catum pertinet ad irreverentiam Dei, & contamina- „ tionem Sacramentorum, quantum est ex parte ipsius „ peccatoris, licet Sacramenta secundum se ipsa incon- „ taminabilia sint; consequens est, quod tale peccatum „ ex genere suo sit mortale. In articulo tamen necessi- „ tatis, *inquit idem Doctor* (*Ibid. ad* 3.), non pec- „ caret baptizando in casu quo etiam posset Laicus ba- „ ptizare: sic enim patet, quod non exhiberet se Mi- „ nistrum Ecclesiæ, sed subveniret necessitatem patien- „ tienti; secus est autem in illis Sacramentis quæ non „ sunt tantæ necessitatis, sicut Baptismus ". Secundum hanc Divi Thomæ doctrinam asserere possumus, quod Laici administrantes Baptismum in casu necessitatis, non peccant, etiam si tunc sint in peccato mortali.

Quæst. 3. Sacerdos tenetur-ne examinare suam conscientiam, priusquam administret Sacramentum?

Resp. Omnino tenetur: *Parochus*, ait Sanctus Carolus (*act. p.* 4. *de Sacram. administ.*), *omnisque Sacerdos, cujus est Sacramenta administrare, primum sollicite & intime cogitare debet, an alicujus peccati mortalis (quod sanctissime cautione Sacerdos evitare debet) sibi conscius sit. Quod si reum se esse novit, prius Sacramentali confessione se expiare studebit, contritionem certe habere quam diligentissime curet*.

Quæst. 4. Sufficit-ne elicere actum contritionis ante Sacramenti administrationem, cum quis se reum novit peccati mortalis?

Resp. Non sufficit, si adsit confitendi facultas sine præ-

præjudicio reipublicæ, aut privatæ personæ in urgente necessitate. Quod quidem expresse definitum est a Concilio Tridentino (*sess.* 13. *c.* 7.) quantum ad Missæ sacrificium: „ Ecclesiastica, *inquit*, autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat “. Idemque Concilium Can. 11. ejusdem sess. „ Statuit atque declarat Synodus, ab illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessario præmittendam esse confessionem Sacramentalem “. Quod si ob urgentem necessitatem teneatur Sacerdos celebrare ante confessionem, tenetur peracto sacrificio quamprimum confiteri; & Alexander VII. sequentes propositiones damnavit (*Dec. Alex. VII.* 18. *Martii* 1666.): 38. Propositio damnata: „ Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum “: 39. Propositio damnata: *Illa particula*, quamprimum, *intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur*.

Ex quibus concludi potest, idem dicendum esse de reliquis Sacramentis; quia ex Tridentino quamvis major adhibenda sit præparatio ad recipiendam Eucharistiam, quam ad alia Sacramenta; necessarius tamen semper est status gratiæ pro administrandis omnibus Sacramentis: ac proinde necessariæ sunt omnes dispositiones, quas requirit Concilium, ut habeatur certitudo moralis, quod quis non sit in statu peccati mortalis: proindeque tenetur quis confiteri habita Confessoris copia, si se noverit esse in peccato mortali, cum Concilium judicaverit, hanc dispositionem requiri ad habendam illam certitudinem moralem.

Secundo, quia nunquam potest esse vera contritio, quando quis se peccati mortalis reum agnoscens, negligit confiteri, habita copia Confessoris; nam ut vera sit contritio, debet continere firmum propositum confitendi quamprimum, nec confessionem proinde negligendi, quando ejus faciendæ habet facultatem: atqui constat in casu proposito, eum qui solo contritionis actu contentus est, priusquam Sacramentum administret, non habere hoc firmum propositum confitendi quamprimum, cum id non curet, licet id possit commode facere, ut supponimus: certum igitur est, ejus contritionem non esse veram.

Quæst. 5. Est-ne peccatum omittere aut mutare aliquam ex cæremoniis ab Ecclesia præscriptis in Sacramentorum administratione?

Resp. Utique peccatum est, ut expresse definit Concilium Tridentinum (*sess.* 7. *Can.* 13. *De Sacram. in genere.*) his verbis: „ Si quis dixerit, receptos & approbatos

„ batos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramento-„ rum administratione adhiberi consuetos, aut contem-„ ni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut „ in novos alios per quemcumque Ecclesiæ Pastorem mu-„ tari posse, anathema sit “.

Quæst. 6. Est-ne necessarium ad validitatem Sacramentorum, ut is, qui ea confert, sit Minister ad id specialiter deputatus?

Resp. Est absolute necessarium; ait enim Catechismus Concilii Tridentini (*de Sacr. in genere.*): „ Non mi-„ nus enim Ministrorum officio, quam materia & forma „ ad Sacramenta conficienda opus esse, perpetua sancto-„ rum Patrum traditione confirmatum est “.

Et Concilium Tridentinum (*sessione* 7. *Can.* 10. *de Sacr. in genere.*) ait: „ Si quis dixerit, Christianos omnes in „ verbo & omnibus Sacramentis administrandis habere „ potestatem, anathema sit “.

Et ratio est, quia cum Sacramenta non operentur, nisi virtute supernaturali, non possunt valide administrari, nisi serventur omnia, quæ a Jesu Christo in eorum institutione præscripta sunt. Unde necessarium est, ut is qui illa administrat, receperit ab eo hanc potestatem, & ad id fuerit specialiter deputatus. Videbimus autem agendo de Sacramentis in particulari, quinam sunt Ministri a Deo destinati ad ea conferenda.

Quæst. 7. Quænam sunt aliæ dispositiones requisitæ in Ministro Sacramentorum?

Resp. Præter intentionem, quam habere debet, faciendi quod facit Ecclesia, administrare debet maxima cum devotione interna & externa, ac proinde, ut ait D. Carolus (*act. part.* 4. *de Sacr. administr.*); „ Sacramentum „ aliquod cum ministrat, ut id magna cum religione præ-„ stet, singula verba, quæ ad illius formam rationem-„ que pertinent, omni animi attentione & pietate di-„ stincte pronuntiabit, & clara item voce, ut ab illis „ audiatur, quibus ministratur. Sacras item precationes „ sancte graviterque dicet. Solemnes præterea alios ri-„ tus ceremoniasque ita decenter observabit, ut veluti an-„ te oculos ponere videatur eximia illa dona, quæ in eo „ Sacramento continentur.

„ Ita vero demum in omni Sacramenti administratione „ se geret, ut non actione solum tota, sed vultu etiam „ illos qui adsunt incitet ad pietatem & devotionem.

„ Illudque novit præterea officii sui esse, & hac sancta „ administrandi ratione, & præterea assiduis orationibus, „ & doctrina, & omni Sacerdotali industria, fideles sibi „ commissos tales efficere, quibus digne utiliterque Sa-„ cramenta ministrari possint “.

Observandum etiam, juxta superius dicta, cap. 1. q. 6. quod, ut notatur in celebri Synodo Farfensi (*sub Carolo Card. Barberino*, c. 6. n. 7. *pag.* 44.) „ Parochi, „ quacumque diei seu noctis hora, ad sacramenta mini-

„ stran-

„ ſtranda vocabuntur, hilari vultu, ac prompto animo
„ accedentes, nullam tam ſanctæ pietatis officiis moram
„ interponent, ideoque populum ſæpe monebunt, ut cum
„ opus fuerit parochiali officio & miniſtratione, ſe quam-
„ primum & libere accerſat, nulla habita aut temporis,
„ aut loci diſtantis, aut alterius cujuſcumque incommodi
„ ratione.

„ Imo cum aliquos in parochiæ ſuæ finibus ægrotare
„ intellexerint, eos ſtatim etiam non vocati, conveniant,
„ curentque, ut pœnitentiæ ſacramento peccatis ſuis ex-
„ piatis, ſacram Euchariſtiam percipiant, & quos gra-
„ vius affectos corporis morbo cognoverint, eis maxime
„ perſuadere conentur, ut ad hæc ſalutaria animæ reme-
„ dia frequentius confugiant “.

Hic autem non erit abs re advertere, quod inter alios Caſuiſtarum errores, ſeu hallucinationes, duas ſequentes propoſitiones damnavit ſancta Sedes.

Prima propoſitio damnata (*Innoc. XI. in Decret. contra 65. Propoſit. die 2. Martii 1679.*): „ Non eſt illici-
„ tum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem proba-
„ bilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; niſi id
„ vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni in-
„ currendi “.

„ Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in
„ collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſco-
„ palis “.

29. Propoſitio, *Urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.*

CAPUT VII.

De Sacramentorum effectibus.

Quæſt. 1. QUinam ſunt effectus Sacramentorum?

Reſp. Duo præcipui: primus eſt character, quem imprimunt in anima, juxta illud Apoſtoli (1. *Cor. c.* 1.): *Unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Apoſtolus characterem deſignat dum dicit *ſignavit nos*; ſigillum enim hoc habet peculiare, ut ſignum aliquod imprimat.

Secundus autem, magiſque præcipuus Sacramentorum effectus, eſt gratia ſanctificans, quam Sacramenta communicant, juxta illud Apoſtoli (*ad Epheſ. c.* 5.): *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.*

Quæſt. 2. Quid eſt character?

Reſp. Character, ut dicitur in Decreto Eugenii (IV. *in Concil. Florent. in Inſtr. ad Armenos.*) „ Eſt ſpiri-
„ tuale quoddam ſignum, cæteris diſtinctivum, animæ
„ indelebiliter impreſſum “. Hæc definitio ſatis explicabitur per reſponſa ſequentibus quæſtionibus danda.

Quæſt. 3. Quænam Sacramenta imprimunt characterem?

Reſp.

Resp. Definitum est a Concilio Tridentino (*sessione 7. Can. 9. de Sacram. in genere.*) tria esse Sacramenta, quæ characterem imprimunt. „ Si quis dixerit, *inquit*, „ in tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione, & „ Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, „ signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea ite- „ rari non possunt, anathema sit ".

Ratio, quam tradit D. Bonaventura, naturam characteris plenius explicabit (*6. p. brevil. c. 6. de Sacram. iteratione*). „ Quoniam, *inquit*, triplex est status fidei, „ secundum quem habet fieri distinctio in populo Christia- „ no in acie Ecclesiasticæ Hierarchiæ, scilicet status fidei „ genitæ, roboratæ, & multiplicatæ. Secundum primum „ fit distinctio fidelium ab incredulis; per secundum fit „ distinctio fortium ab infirmis & debilibus; secundum „ tertium fit distinctio Clericorum a Laicis. Hinc est, „ quod illa Sacramenta, quæ recipiunt triplicem fidei sta- „ tum prædictum, Characteres imprimunt, per quos in- „ delebiliter impressos semper distinguunt, ac per hoc „ numquam iterari possunt. Quoniam ergo Baptismus re- „ spicit statum fidei genitæ, in quo populus Dei distin- „ guitur ab incredulis, ut Israelitæ ab Ægyptiis: Et Con- „ firmatio respicit statum fidei roboratæ, in quo distin- „ guitur populus fortis ab infirmis, sicut pugiles ab his „ qui ad pugnam non sunt idonei: Et Ordo respicit sta- „ tum fidei multiplicatæ, in quo distinguitur Clerus a „ Laicis, sicut Levitæ ab aliis Tribubus: Hinc est, quod in „ his tantum tribus Sacramentis characteres imprimuntur.

Idem luculenter explicat S. Thomas (*3. p. q. 64. art. 1. in corp.*) „ Sacramenta, *inquit*, novæ legis ad duo „ ordinantur, videlicet ad remedium contra peccata, & „ ad perficiendum animam in his quæ pertinent ad cul- „ tum Dei, secundum ritum Christianæ vitæ. Quicum- „ que autem ad aliquid certum deputatur, consuevit ad „ illud consignari, sicut milites, qui adscribebantur ad „ militiam, antiquitus solebant quibusdam characteribus „ corporalibus insigniri, eo quod deputabantur ad ali- „ quid corporale. Et ideo cum homines per Sacramenta „ deputentur ad aliquid spirituale pertinens ad cultum „ Dei, consequens est, quod per ea fideles aliqui spiri- „ tuali charactere insigniantur.

Quamvis autem homo per omnia Sacramenta fiat particeps Sacerdotii Christi, utpote percipiens aliquem ejus effectum, scilicet gratiam: non tamen per omnia Sacramenta deputatur ad aliquid agendum, vel recipiendum, quod pertinet ad cultum Sacerdotii Christi, sed tantum per tria prædicta: „ Ad agentes in Sacramentis, *inquit* „ *idem S. Thomas* (*ib. art. 6. in corp. ad. 1.*), perti- „ net Sacramentum Ordinis: quia per hoc Sacramentum „ deputantur homines ad Sacramenta aliis tradenda. „ Sed ad recipientes pertinet Sacramentum Baptismi, „ quia per ipsum accipiunt potestatem recipiendi alia Ec-

„ cle-

„ clesiæ Sacramenta : unde Baptiſmus dicitur eſſe janua
„ omnium Sacramentorum. Ad idem etiam ordinatur
„ quodammodo Confirmatio, ut infra dicetur; & ideo
„ per hæc tria Sacramenta Character imprimitur.

Quæſt. 4. Character eſt-ne indelebilis?

Reſp. Id jam diximus ex Tridentino ſupra relato, & ut ait D. Thomas (*3. p. q. 63. art. 5. ad 3.*) „ Poſt hanc
„ vitam remanet character, & in bonis ad eorum glo-
„ riam, & in malis ad eorum ignominiam: Sicut etiam
„ militaris character remanet in militibus poſt adeptam
„ victoriam, & in iis qui vicerunt, ad gloriam, & in
„ his qui ſunt victi, ad pœnam.

Quæſt. 5. Sacramenta imprimunt-ne characterem in iis, qui illa recipiunt in ſtatu peccati mortalis?

Reſp. Imprimunt certe, modo diſpoſitiones omnes neceſſariæ ad validitatem Sacramenti adhibeantur, tum a conferente, tum a ſuſcipiente Sacramentum. *Satis eluxit*, ait Divus Auguſtinus relatus in Canone (*Quo modo, de conſecr. diſt. 4.*), „ Paſtoribus Eccleſiæ Catholicæ, &
„ ovem, quæ foris errabat, & Dominicum characterem
„ foris accipiebat, venientem ad Chriſtianæ unitatis ſalu-
„ tem, ab errore corrigi; characterem tamen Dominicum
„ in ea agnoſci potius, quam improbari; quandoquidem
„ ipſum characterem multi lupi & lupi infingunt". Hoc eſt, ii qui cum prava diſpoſitione Sacramenta ſuſcipiunt.

Quæſt. 6. Quinam ſunt effectus characteris?

Reſp. Ex Divo Thoma, character præcipue tres habet effectus in anima. *Divinus cultus*, ait Divus Thomas (*3. p. q. 63. art. 1. in corp.*) „ conſiſtit vel in recipiendo
„ aliqua Divina, vel in tradendo aliis; ad utrumque au-
„ tem horum requiritur quædam potentia; nam ad tra-
„ dendum aliquid aliis, requiritur quædam potentia acti-
„ va; ad recipiendum autem, requiritur potentia paſſiva:
„ & ideo character importat quamdam potentiam ſpiri-
„ tualem ordinatam ad ea quæ ſunt Divini cultus". Et ideo primus effectus characteris eſt quædam potentia ſpiritualis, ordinata ad ea, quæ ſunt Divini cultus: & hæc potentia eſt aut activa, aut paſſiva: paſſiva in Sacramento Baptiſmi, qua homo fit capax ad alia Sacramenta recipienda: activa vero in Sacramentis Confirmationis & Ordinis, quoniam quidem per Confirmationem homo fit idoneus ad profitendam fidem, per Ordinem vero ad conferenda aliis Sacramenta.

Secundus effectus characteris, ut tradit idem Doctor, eſt character Chriſti. *Manifeſtum eſt*, ait Divus Thomas (*ib. art. 3. in corp.*), „ quod character Sacramen-
„ talis ſpecialiter eſt character Chriſti, cujus Sacerdotio
„ configurantur fideles ſecundum Sacramentales Chara-
„ cteres, qui nihil aliud ſunt, quam quædam participa-
„ tiones Sacerdotii Chriſti, ab ipſo Chriſto derivatæ".
Unde qui per Sacramenta characterem recipit, Chriſto fit ſimilior, quam is qui non-recipit.

Ter-

Tertium autem effectum sic explicat Divus Thomas (*ib. ar.* 3. *ad* 3.): „ Dicendum, quod charactere distin„ guitur aliquis ab alio per comparationem ad aliquem fi„ nem, in quem ordinatur qui characterem accepit: Sicut „ dictum est de charactere militari, quo in ordine ad pu„ gnam distinguitur miles Regis a milite hostis". Et ita character distinguit fideles Christi a mancipiis diaboli. Propter hæc tria character varia sortitur nomina, quia enim nos aptos reddit ad suscipienda vel dispensanda Sacramenta, seu ad peculiaria quædam Christianæ Religionis officia Deo consecrat, dicitur hominis consecratio, sanctificatio, & ad Dei cultum dedicatio; quia autem nos Christo Domino speciali ratione configurat, dicitur potestas recipiendi, vel dandi Sacramenta & sacra; quia denique unum hominem ab altero, v. g. baptizatum a non baptizato, confirmatum a non confirmato, Sacerdotem denique a Laico secernit, sigillum a sanctis Patribus appellatur.

Quæst. 7. Sacramenta conferunt-ne gratiam?

Resp. Ut habetur in Decr. Conc. Florentini (*Decr. Eug. IV. in Conc. Flor.*), „ Septem sunt Sacramenta novæ le„ gis, quæ multum ab antiquis differunt; illa enim non „ causabant gratiam, sed eam solum per Passionem Chri„ sti dandam figurabant: Hæc vero nostra & continent „ gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt.

„ *Si quis dixerit*, inquit Conc. Trid. (*sessione* 7. *Can.* 6.) „ Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam „ significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem „ non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ „ per fidem gratiæ vel justitiæ, & notæ quædam Chri„ stianæ professionis, quibus apud homines discernuntur „ fideles ab infidelibus, anathema sit.

Hausit hanc veritatem Ecclesia ex Scriptura sacra & sanctis Patribus. Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*: Ubi regeneratio spiritualis, quæ fit per gratiam, tribuitur aquæ Baptismi, & Spiritui sancto; aquæ quidem, tamquam causæ instrumentali, & Spiritui-sancto, ut causæ principali. Quare Divus Augustinus explicans prædicta verba Joannis, ait (*Epist.* 25.) „ Non enim scriptum est, Nisi „ quis renatus ex parentum voluntate, aut ex offeren„ tium, vel ministrantium fide: sed, Nisi quis renatus „ fuerit ex aqua & Spiritu-sancto". Quod clare satis ostendit, dici non posse secundum sanctum Augustinum, esse fidem conferentis aut suscipientis Sacramentum, esse caussam gratiæ, sed solum aquam cum Spiritu-sancto.

Et Divus Paulus ad Ephesios, c. 5. ait: *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*; Et ad Titum c. 3. dicit: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*: Ex quo constat, Sacramenta esse causas nostræ salutis, gratiam conferendo.

Sanctus Thomas ait (3. *p. q.* 61. *art.* 1. *in corp.*):

„ Ex multis Sanctorum authoritatibus habetur, quod Sa-
„ cramenta novæ legis non solum significant, sed cau-
„ sant gratiam: & ideo dicendum, quod duplex est causa
„ agens, principalis & instrumentalis: Principalis quid
„ operatur per virtutem suæ formæ, cui assimilatur effe-
„ ctus, sicut ignis suo calore calefacit; & hoc modo ni-
„ hil potest causare gratiam, nisi Deus, quia gratia nihil
„ aliud est, quam quædam participata similitudo naturæ
„ divinæ, secundum illud, 2. Petr. 1. Magna nobis &
„ pretiosa donavit, ut Divinæ simus consortes naturæ.
„ Causa vero instrumentalis non agit per virtutem suæ
„ formæ, sed solum per motum, quo movetur a princi-
„ pali agente. Unde effectus non assimilatur securi, sed
„ arti, quæ est in mente artificis. Et hoc modo Sacra-
„ menta nostræ legis gratiam causant: adhibentur enim
„ ex divina ordinatione hominibus ad gratiam in eis
„ causandam. Unde Augustinus dicit, contra Faustum c.
„ 19. Hæc omnia (scilicet Sacramenta) fiunt & tran-
„ seunt; virtus tamen (scilicet Dei) quæ per illa opera-
„ tur, jugiter manet. Hoc autem proprie dicitur instru-
„ mentum, per quod aliquis operatur. Unde ad Titum
„ 5. dicitur: Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.

Quæst. 8. Quomodo Sacramenta novæ Legis conferunt gratiam?

Resp. Sacramenta conferunt gratiam, ut ajunt Theologi, *Ex opere operato*; hoc est illam conferunt immediate ex se ipsis, per virtutem receptam a Passione Christi, qui nostram operatus est salutem; ita ut non solum intuitu meritorum conferentis, aut suscipientis Sacramentum gratia conferatur, sed intuitu meritorum Christi, qui instituit Sacramenta, eisque hanc virtutem communicavit.

Quod quidem probatur primo ex Divo Thoma, qui ait (3. *p. q.* 70. *art.* 4. *in corp.*): *In Baptismo confertur gratia ex virtute ipsius Baptismi, quam habet, in quantum est instrumentum Passionis Christi jam perfectæ*; quod nos vocamus producere gratiam *Ex opere operato*, ut jam diximus.

Probatur secundo authoritate S. Leonis Papæ (*ser.* 5. *de Nativitate Domini*, *versus finem*.): *Origenem*, inquit, *quam sumpsit in utero Virginis, posuit in fonte Baptismatis; dedit aquæ, quod dedit matri: virtus enim Altissimi & obumbratio Spiritus-sancti, quæ fecit, ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit, ut regeneret unda credentem*.

Denique Concilium Tridentinum sic habet: *Si quis dixerit, per ipsa nova legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, anathema sit*.

Quæst. 9. Quomodo Sacramenta legis veteris, id est Mosaicæ, conferebant gratiam?

Resp. Illam conferebant tantum ex opere operantis, hoc est, non per virtutem quæ fuerit in ipsis ex meri-

tis Passionis Christi, seu ex opere operato; sed dumtaxat intuitu solius meriti, & dispositionis, quæ erat in recipientibus.

Probatur primo ex supradicta authoritate Eugenii IV. in Concilio Florentino, ubi ait (*Sess*. 7. *Can*. 8.): *Sacramenta novæ legis multum a Sacramentis differunt antiquæ legis; illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per Passionem Christi dandam esse figurabant; hæc vero nostra & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt*. Quod evidenter probat, Sacramenta veteris legis non contulisse gratiam *Ex opere operato*; quoniam conferre gratiam *Ex opere operato*, est eam producere per virtutem, quæ in ipsis sit ex meritis Passionis Christi; Concilium autem definivit, Sacramenta antiquæ legis non habuisse in se talem virtutem.

Quod explicat S. Augustinus his verbis (*in Ps*. 73.): *Alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem: Sacramenta novi Testamenti dant salutem; Sacramenta veteris Testamenti promiserunt Salvatorem; mutata sunt Sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora*. Quæ verba satis ostendunt, Sacramenta veteris legis non contulisse gratiam per virtutem aliquam, quæ in ipsis fuerit; quoniam si ita contulissent, tantam vim & virtutem habuissent, ut Sacramenta novæ legis: quod quidem contrarium est Scripturæ sacræ, & sanctis Patribus.

Denique Sanctus Thomas ait (1. *p*. *q*. 103. *art*. 2. *in corp*.): „ Veteris legis cæremoniæ non poterant in se „ continere realiter virtutem profluentem a Christo in„ carnato & passo, sicut continent Sacramenta novæ le„ gis: & hoc est, quod ad Galatas 4. Apostolus vocat „ ea, *egena*, & *infirma elementa*. Infirma quidem, „ quia non possunt a peccato mundare, sed hæc infirmi„ tas provenit ex eo quod sunt egena, id est, eo quod „ non continent in se gratiam ".

Hic autem advertendum est, quod quando asserimus, Sacramenta novæ legis producere gratiam per virtutem, quæ ex ipsis sit, ita explicantes illud Tridentini, Ex *opere operato*, non intendimus, quod Concilium, aut Eugenius Papa determinaverit, credendum esse sub pœna anathematis, Sacramenta nostra producere gratiam per virtutem, qualitatem, aut motionem physicam, ut explicant discipuli D. Thomæ, a quo ne punctum quidem recedimus; scimus enim, sententiam aliorum Theologorum, qui causalitatem tantum moralem circa gratiam tribuunt Sacramentis novæ legis, propugnari etiam posse ut conformem Doctrinæ Concilii Tridentini & traditioni. „ A„ lia est etiam opinio, ut ait Durandus (*in* 1. *dist*. 1. *q*. „ 41. 19.), antiqua, & sine calumnia, & magis, ut mi„ hi videtur, consona dictis Sanctorum, scilicet, quod in „ Sacramentis non est aliqua virtus causativa gratiæ, „ characteris, vel cujuscumque dispositionis seu ornatus „ exi-

„ existentis in anima, sed sunt causa, sine qua non confertur gratia: quia ex divina pactione vel ordinatione „ sic fit, quod recipiens Sacramentum, recipiat gratiam, „ nisi ponat obicem; & recipit gratiam non a Sacramento, sed a Deo ". Nec ab ea deflectere videtur D. Bernardus, dum ait (*Ser. de Cœna Domini*): *Sicut Canonicus investitur per librum, Abbas per baculum, Episcopus per baculum & annulum simul: sic diversæ gratiæ diversis sunt traditæ Sacramentis.*

Quare sapienter notavit Cardinalis Bellarminus, l. 2. de Sacr. c. 1. §. *Secundo notandum*, satis esse in hac re credere, quod justificatio fidelium sequatur ex eo quod quis recipit Sacramentum, v. g. Baptismum: *Ut vere ex eo quod quis baptizatur, sequatur, ut justificetur.*

Quod quidem clarius explicatum est ab illustrissimis viris Valemburgis in doctissimis suis Controversiis p. 3. q. 2. ubi dicitur: *Difficultas est de Sacramentorum efficacia. Ubi non quæritur, an Sacramenta sint causa primaria & proprie effectiva illius gratiæ quæ confertur, hoc enim solius Dei est: sed an ex opere operato sequatur gratia.*

Quam quidem explicationem hic inferendam judicavi: quia explicatio horum terminorum *Ex opere operato*, ita plane confundit, confutatque hæreticos, ut eorum plurimi hodie eam agnoscant, eique lubenter subscribant, quin etiam eorum nonnulli plura dixerunt, quam necessarium foret, absolute loquendo, ut Catholici habeantur in hac parte.

Hugo enim Grotius, celebris Calvinista, in Annotatione ad consultationes Cassandri, articulo tertio, ait: „ Errant qui Sacramenta esse putant signa tantum accepta „ gratia, non etiam instrumenta, per quæ Deus operatur. „ Voluit enim Deus per Sacramenta dare & augere gratiam, ut honoraret Ecclesiam, cui tradita sunt Sacramenta, ad nos ipsi Ecclesiæ incorporandos: requiritur „ quidem in adultis dispositio, ut dicitur in Missa: QUORUM FIDES TIBI COGNITA EST ET NOTA DEVOTIO: „ verum efficacia non istis dispositionibus tribui solet, sed „ Deo; & hoc est, quod dicitur ex opere operato ".

Qu. 10. Videtur, quod Circumcisio contulerit gratiam *Ex opere operato*, cum plerumque illam suscipientes elicere non possent actus fidei, & aliarum virtutum, quibus gratia potuisset illis conferri intuitu meritorum, quod Theologi vocant conferri gratiam *Ex opere operantis*.

Resp. Divus Thomas huic difficultati sic respondet (2. *p. q.* 90. *art.* 4. *in corp.*): „ Dicendum, quod in Circumcisione conferebatur gratia, aliter tamen quam in Baptismo: nam in Baptismo confertur gratia ex virtute „ ipsius Baptismi, quam habet, in quantum est instrumentum Passionis Christi jam perfectæ: in Circumcisione autem conferebatur gratia, non ex virtute Circumcisionis, sed ex virtute fidei Passionis Christi, cujus signum erat Circumcisio. Ita scilicet quod homo qui ac-

„ ci-

„ cipiebat Circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel adultus pro se, vel alius pro parvulis; unde & Apostolus dicit, *Rom.* 4. *quod Abraham accepit signum Circumcisionis, signaculum justitiæ fidei*; quia scilicet justitia erat ex fide significata, non ex circumcisione significante".

Qu. 11. Sacramenta novæ legis conferunt-ne majorem gratiam illa suscipientibus majore cum dispositione?

Resp. Utique plus gratiæ conferunt magis dispositis, non solum gratiæ, quæ datur intuitu solius meriti, & solius dispositionis recipientium, quam Theologi vocant *Ex opere operantis*: sed etiam illius gratiæ, quam Sacramenta conferunt ex virtute recepta a Passione Christi, quam Theologi vocant *Ex opere operato*; ut enim ait Divus Thomas (4. *sent. dist.* 4. *q.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. *in resp. ad* 3.): *Quamvis Baptismus, ut Passio Christi, quæ in eo operatur, quantum est de se, æqualem respectum ad omnes habeat: quia tamen quidam ad Baptismum cum majori præparatione fidei & devotionis accedunt aliis, ideo quidam aliis majorem gratiam consequuntur*. Hoc autem intelligi debet de gratia, quam Theologi vocant *opus operatum*, quæ provenit ex virtute, quæ est in Sacramentis per passionem Christi: cum ex Divo Thoma, hæc virtus nobis communicetur juxta dispositionem, cum qua recipimus Sacramenta.

Quæst. 12. Licet-ne aliquid exigere pro administratione Sacramentorum?

Resp. Illud prohibitum est omni Jure divino & humano, veraque est simonia, quam Dominus noster Jesus-Christus expresse prohibuit, cum dixit Ministris suis, *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* 40. *v.* 8.). Hinc Concilium Tiburiense relatum in Canone ait (*Can. Dictum* 21. *q.* 1.): „ Dictum est, solere in quibusdam locis pro perceptione Chrismatis nummos dari, similiter pro Baptismo & Communione: Hoc simoniacæ hæresis semen detestata est sancta Synodus, & anathematizavit, & ut de cætero nec pro Ordinatione, nec pro Chrismate, vel Baptismo, vel pro Balsamo, nec pro Sepultura, vel Communione quidpiam exigatur, statuit: sed gratis dona Christi gratuita dispensatione denentur".

„ Concilium Generale Lateranense relatum in Canone ait (*Can. Cum in Eccles. de Sim.*): „ Cum in Ecclesiæ corpore omnia debeant ex charitate tractari, & quod gratis receptum est, gratis impendi: horribile nimis est, quod in quibusdam Ecclesiis locum venalitas perhibetur habere, ita ut pro Episcopis, vel Abbatibus, seu quibuscumque personis Ecclesiasticis ponendis in sedem, sive introducendis Presbyteris in Ecclesiam, nec non & pro sepulturis & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium seu aliis Sacramentis, aliquid requiratur. Putant autem plures ex hoc licere, quia legem mortis de longa invaluisse con-

„ ſuetudine arbitrantur : non attendentes, quod tanto „ graviora ſunt crimina, quanto diutius infelicem ani- „ mam tenuerunt alligatam. Ne igitur hæc de cætero „ fiant, vel pro perſonis Eccleſiaſticis deducendis in ſe- „ dem, vel Sacerdotibus inſtituendis, aut ſepeliendis „ mortuis, ſeu benedicendis nubentibus, ſeu aliis Sacra- „ mentis conferendis, ſeu collatis, aliquid exigatur, di- „ ſtrictius prohibemus. Si quis autem contra hoc venire „ præſumpſerit, portionem cum Giezi ſe noverit habi- „ turum “.

Id ipſum in variis temporibus ab aliis Conciliis damnatum eſt: ſic enim loquitur Concilium Aquenſe (*tit. de Sacr. anno* 1585.). „ Illud præterea diligenter caveant, „ ne pro illis adminiſtrandis ab ullo vel omnium rerum „ inope Sacerdote, verbis aut etiam ſignis quicquam pror- „ ſus vel minimum quovis modo petatur, exigaturve... „ Quod ſi quis contrafecerit, is graviter ab Epiſcopo, „ pro culpæ ratione, puniatur non avaritiæ tantum labe „ notatus, ſed etiam ſimoniacæ pravitatis reus “.

„ Denique Rituale Rom. de iis quæ in Sacramentorum „ adminiſtr. generaliter obſervanda ſunt: Illud porro di- „ ligenter caveat, ne in Sacramentorum adminiſtratione „ aliquid, quavis de cauſa vel occaſione, directe vel in- „ directe exigat aut petat: ſed ea gratis miniſtret, & ab „ omni ſimoniæ atque avaritiæ ſuſpicione, nedum crimi- „ ne, longiſſime abſit. Si quid vero nomine eleemoſy- „ næ, aut devotionis ſtudio, peracto jam Sacramento, „ ſponte a fidelibus offeratur, id licite pro conſuetudine „ locorum accipere poterit, niſi aliter Epiſcopo videatur “.

Unde in præclara Synodo Farfenſi ſic habetur (*Cardinali Barberino, cap. 6. n. 8. p.* 45.): „ Caveant, ne „ quidquam etiam minimum in Sacramenti cujuslibet „ miniſtratione, verbis, aut ſignis, directe vel indirecte „ expoſcant, ſub pœnis a jure ſancitis, & aliis etiam „ gravioribus arbitrio noſtro infligendis: Cum enim quæ „ gratis accepimus, gratis etiam dare debeamus, Sacra- „ menta non modo abſque aliqua ſimoniæ labe, verum „ etiam abſque ulla avaritiæ ſuſpicione ſunt conferenda. „ Quod ſi ſponte aliquid, ac libere, eleemoſynæ nomi- „ ne & pietatis ſtudio, hac occaſione a fidelibus offerri „ conſueverit, id tamquam non debitum peracto Sacra- „ mento, modeſte recipi non interdicimus “. Vide To. 2. Tr. 2. Cap. 3. q. 3.

TRA-

TRACTATUS SECUNDUS DE SACRAMENTO BAPTISMI.

CAPUT PRIMUM.

De definitione, institutione, & necessitate Baptismi.

Quæst. 1. QUID est Baptismus?

Resp. Divus Thomas, post Magistrum sententiarum, sic ipsum definit (3. *p. q. 66. art. 6. in corp.*): *Baptismus est ablutio corporis exterior, facta sub forma præscripta verborum*; a Christo domino instituta, propter regenerationem spiritualem.

Dicitur, *Ablutio exterior*, quia, ut ait Divus Thomas, ablutio sanctificationem hominis operatur: additur, *Sub præscripta forma verborum*, in quo consistit forma Sacramenti: *Instituta ad spiritualem regenerationem*, quæ proprius est hujus Sacramenti effectus, per quem ab aliis differt.

Quæst. 2. Quotuplex est Baptismus?

Resp. Unus tantum proprie loquendo est Baptismus, ut ait Apostolus; *Una fides, unum Baptisma*. Potest tamen dividi in tria Baptismata, quæ tamen includuntur, ut ait Divus Thomas, in Baptismo aquæ (3. *p. q. 66. art. 11. ad* 1.): *Alia duo Baptismata*, inquit, *includuntur in Baptismo aquæ*, quia, ut vera sint, supponere debent in suscipiente desiderium, seu votum Baptismi aquæ.

Quæst. 3. Quinam sunt hi tres Baptismi?

Resp. Primus est Baptismus Fluminis, sive aquæ; secundus Baptismus Sanguinis, seu martyrium, ab effectu effusionis ejus; tertius est, Baptismus Flaminis, seu propositum suscipiendi Baptismum modo debito, conjunctum cum perfecto Dei amore, quo movetur ad credendum, ac pœnitendum de peccatis; unde & Baptismus pœnitentiæ dicitur.

Divus Augustinus, relatus in Canone, probat efficaciam horum Baptismatum, cum ait (*Can. Bart. de Conf. dist.* 4.): „ Baptismi vicem aliquando implere passionem, „ de latrone illo, cui non baptizato dictum est: *Hodie* „ *mecum eris in Paradiso*, non leve documentum idem „ Beatus Cyprianus assumit. Quod etiam atque etiam „ considerans non tantum passionem pro nomine Chri- „ sti, id quod ex Baptismo deerat, posse supplere; sed „ etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad cele-

 „ bran-

„ brandum mysterium Baptismi angustiis temporum succurri non potest: Neque enim lucro ille pro nomine „ Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum: nec quia credidit, passus est, sed dum patitur „ credidit. Quantum itaque valeat etiam sine visibili Sacramento Baptismi, quod ait Apostolus: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, „ in illo latrone declaratum est. Sed nunc impletur invisibiliter, cum mysterium Baptismi, non contemptus „ Religionis, sed articulus necessitatis excludit".

Et Innocentius II. relatus in Canone, consultus ab Episcopo Cremonensi, an Presbyter in Ecclesiæ fide mortuus, credens se baptizatum, licet post mortem ejus compertum fuerit, eum non fuisse baptizatum, Ecclesiastica sepultura esset donandus, ita respondet (*Can. Apostolicam de Presb. non Baptizato*): *Inquisitioni tuæ taliter respondemus, Presbyterum, quem sine unda Baptismatis extremum diem clausisse significasti; quia in sanctæ Matris Ecclesiæ fide & Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum & cælestis Patriæ gaudium esse adeptum, asserimus incunctanter. Lege super hoc lib. 8. Augustini de civitate Dei, ubi inter cætera legitur*: Baptismus invisibiliter administratur, quem non contemptus Religionis, sed articulus necessitatis excludit: *Librum etiam B. Ambrosii, de obitu Valentiniani, idem asserentis revolve. Sopitis igitur quæstionibus Doctorum, Patrum sententias teneas, & in Ecclesia tua juges preces hostiasque Deo offerri jubeas pro Presbytero memorato.*

Hoc summi Pontificis monitum de sequendis omnino Patrum sententiis, notet Christianus Lector, quia in quæstionibus moralibus decidendis, hoc tempore valde utile & necessarium est; ejusque moniti prætermissio, varios circa mores errores, hoc præsertim sæculo, invexit.

Quæst. 4. Quando-nam institutus fuit Baptismus a Christo Domino?

Resp. Sentiunt communiter Patres, Baptismum institutum fuisse a Christo Domino, cum a Joanne baptizatus fuit in Jordane.

Divus Augustinus sic ait (*serm. 36. de Temp.*): „ Ex „ quo Salvator in aqua se mersit, ex eo omnium gurgitum tractus, cunctorumque fontium venas Mysterio „ Baptismatis consecravit, & quisquis ibi in nomine Domini baptizari voluit, non tam illum mundi aqua diluit, quam Christi unda purificat. Salvator autem ideo „ baptizari voluit, non ut sibi munditiam acquireret, „ sed ut nobis fluenta mandaret.

Sanctus autem Ambrosius (*l. 3. in Luc. c. ult.*); *Baptizatus est ergo Dominus*, inquit, *non mundari volens, sed mundari aquas: ut abluta per carnem Christi, quæ peccatum non cognovit, Baptismatis jus haberent.*

Et rationem affert Divus Thomas, cum ait (3. p. q. 66.

66. art. 1. in corp.) : „ Sacramenta ex sui institutione
„ habent, quod conferant gratiam. Unde tunc videtur
„ aliquod Sacramentum institui, quando accipit virtu-
„ tem producendi suum effectum : hanc autem virtutem
„ accepit Baptismus, quando Christus est baptizatus,
„ unde tunc vere Baptismus institutus fuit, quantum ad
„ ipsum Sacramentum ".

Quæst. 5. Quonam tempore incepit obligatio suscipiendi Baptismum?

Resp. Respondeo cum Divo Thoma (*2. p. q.* 15. *art.* 2. *in corp.*) : „ Necessitas utendi Sacramento Baptismi in-
„ dicta fuit homini post Passionem, & Resurrectionem :
„ tum quia in Passione Christi terminata sunt figuralia
„ Sacramenta, quibus succedit Baptismus, & alia Sacra-
„ menta novæ legis; tum etiam quia per Baptismum con-
„ figuratur homo passioni & Resurrectioni Christi, in
„ quantum moritur peccato, & incipit novam vitam. Et
„ ideo oportuit, Christum prius pati, & resurgere, quam
„ hominibus indiceretur necessitas se configurandi Mor-
„ ti, & Resurrectioni ejus".

Videtur etiam, quod obligatio & necessitas Baptismi incepit tantum post diem Pentecostes; quia, ut ait Concilium Tridentinum (*Sess.* 6. *c.* 4.), *Justificatio, post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non potest.* Videmus autem Apostolos non prius Evangelium promulgasse aut Baptismi necessitatem ad salutem significasse, quam die Pentecostes.

Qu. 6. Cujusnam necessitatis est Baptismus ad salutem?

Resp. Non solum est necessarius necessitate præcepti, sed etiam necessitate medii; adeo ut si quis non sit baptizatus, numquam introire possit in regnum cœlorum. Quod quidem clare patet ex dictis Christi Domini, Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*; quæ verba explicans Divus Ambrosius, ait (*l. de Abraham c. ult.*): *Utique nullum excepit, non infantem, non aliqua præventum necessitate.* Hoc autem proprie dicitur necessarium necessitate medii, sine quo finis obtineri non potest.

Patet etiam ex Divo Augustino (*l.* 1. *c.* 9. *de anima & ejus orig.*); *Noli credere, noli dicere*, inquit, *noli docere, infantes, antequam baptizentur, morte præventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.*

Idem Divus Augustinus in Epistola 28. ad Hieronymum ait: *Quisquis dixerit, quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti hujus participatione de vita exeunt; hic profecto & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam; ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo omnino vivificare non posse.*

Hac attenta necessitate, statutum fuit in pluribus Conciliis,

ciliis, & Synodis Diœcesanis, ut Baptismus non ultra tres dies a nativitate pueri protraheretur, ut videre est infra c. 4. q. 9.

Quæst. 7. Est ne necessarium ad salutem, suscipere in re Baptismum, an sufficit ipsum recipere in voto?

Resp. Respondeo ex D. Thoma (*1. p. q. 4. art. 1. in corp.*): „ Sacramentum Baptismi dupliciter potest alicui „ deesse: uno modo & re & voto, quod contingit illis, „ qui nec baptizantur, nec baptizari volunt: quod ma„ nifeste ad contemptum Sacramenti pertinet, quantum „ ad illos, qui habent usum liberi arbitrii, & ideo hi „ quibus hoc modo deest Baptismus, salutem consequi „ non possunt, quia nec sacramentaliter, nec mentaliter „ Christo incorporantur, per quem solum est salus. A„ lio modo potest Sacramentum Baptismi alicui deesse, „ re, sed non voto; sicut cum aliquis baptizari deside„ rat, sed aliquo casu prævenitur morte, antequam Ba„ ptismum suscipiat. Et talis sine Baptismo actuali sa„ lutem consequi potest, propter desiderium Baptismi, „ quod procedit ex fide per dilectionem operante, per „ quam Deus interius hominem sanctificat, cujus poten„ tia Sacramentis visibilibus non alligatur. Unde Am„ brosius dicit de Valentiniano, qui Catechumenus mor„ tuus fuit: Quem regeneraturus eram, amisi: verum„ tamen ille, quam poposcit gratiam, non amisit ".

Sufficit igitur ad salutem votum suscipiendi Baptismum; quod votum potest esse explicitum, vel implicitum: explicitum cum quis actu & expresse desiderat Baptismum: implicitum, cum aliquid operatur, quod in se includit desiderium Baptismi, ut cum ille, qui nihil de Baptismo audivit, elicit verum contritionis aut amoris Dei actum; quia tunc vere desiderat ea omnia, quæ sunt necessaria ad salutem; ac proinde verum habet desiderium recipiendi Baptismum, si divinum de Baptismo suscipiendo scivisset mandatum. Id etiam videtur in casu presbyteri non baptizati, de quo supra quæstione 3. qui certe habuerat desiderium implicitum saltem Baptismi; quia si scivisset, se non esse baptizatum, Baptismum sine dubio petiisset.

Quæst. 8. Puer natus in deserto, potest-ne salutem consequi intuitu fidei parentum, aut voti, seu desiderii, quod habent ut baptizetur?

Resp. Non potest: *Dicendum*, inquit Divus Thomas (*quodlib. 6. art. 6. in corp.*), *quod in pueris nondum habentibus usum rationis non potest esse motus fidei, & dilectionis, aut propositum suscipiendi Baptismum: & ideo non possunt salvari, nisi per Baptismum aquæ, vel per Baptismum sanguinis, si propter Christum occidantur. Ex quo non solum Christiani, sed etiam Martyres fiunt, ut Aug. dicit de Innocentibus: & sic patet, quod puer in deserto moriens sine Baptismo, salutem non consequitur.*

CAPUT II.

De Materia Baptiſmi.

Qu. 1. QUænam eſt materia Baptiſmi?

Reſp. Duplex diſtinguitur materia in Sacramentis, quæ conſiſtunt in uſu alicujus rei ſenſibilis; altera eſt res ipſa ſenſibilis, quam Deus inſtituit, ut ſit ſignum & cauſa gratiæ, quæ producitur per Sacramentum; altera eſt uſus & applicatio illius materiæ. Prima, dicitur materia remota, ſecunda materia proxima.

Quæſt. 2. Quænam eſt materia remota Baptiſmi?

Reſp. Eſt de fide, materiam remotam Baptiſmi, eſſe aquam naturalem, ut habetur in Concilio Florentino, in Decreto unionis: *Materia Sacramenti Baptiſmi eſt aqua vera & naturalis*. Et in Conc. Trid. ſic habetur: *Si quis dixerit, aquam veram & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi, atque ideo verba illa Domini noſtri Jeſu-Chriſti, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu-ſancto, ad metaphoram aliquam detorſerit, anathema ſit.*

Quæſt. 3. Quælibet aqua eſt-ne materia remota Baptiſmi?

Reſp. Divus Carolus, poſt ſanctum Thomam, ſic reſpondet (*Act. p.* 4. *de Baptiſm. adminiſtr.*): „ Parochus „ populum Sacramenti Baptiſmi materiam doceat eſſe o„ mne naturalis aquæ genus, ſive ea maris ſit, ſive flu„ vii, ſive paludis, ſive putei, ſive fontis, quæ ſine ul„ la adjunctione aquæ dici ſolet. Aliis autem liquoribus, „ aut aquis, quæ ex floribus, herbis, aliiſve id generis „ exprimuntur, eliciunturve, Baptiſmum confici non „ poſſe oſtendet. Aquam præterea puram mundamque eſ„ ſe, pro Sacramenti dignitate convenire, niſi neceſſita„ te urgente, in qua uti licet & aqua lutulenta “.

Attamen, ut ait Divus Thomas (1. *p. q.* 66. *art.* 4. *in corp.*): *Si forte aqua admiſceatur in tam parva quantitate alicui corpori, quod compoſitum magis ſit aliud, quam aqua, ſicut lutum magis eſt terra, quam aqua, non poteſt fieri Baptiſmus.*

Quæſt. 4. Tenetur-ne quis, ſi fieri poſſit, uti in Baptiſmo aqua Baptiſmali benedicta Sabbato ſancto ejuſdem anni, aut Sabbato Pentecoſtes?

Reſp. Dicendum, cum Divo Thoma (3. *p. q.* 66. *art.* 3. *ad* 5.) *quod illa benedictio, quæ adhibetur aquæ, non eſt de neceſſitate Baptiſmi, ſed pertinet ad quandam ſolemnitatem, per quam excitatur devotio fidelium, & impeditur aſtutia dæmonis, ne impediat Baptiſmi effectum*; illa tamen benedictio, quæ adhibetur aquæ, non eſt de neceſſitate Baptiſmi. *Dicendum* tamen cum Divo Thoma (*in* 4. *ſent. diſt.* 5. *q.* 2. *art.* 1. *q.* 1. *in corp.*), *quod non licet benedictionem prætermittere propter Eccleſiæ inſtitutionem.*

Et Sanctus Carolus ait (*Act. p. 4. de Baptism. administr.*): „ Quod igitur ad hujus Sacramenti materiam per„ tinet, id animadvertet, ut aqua (quae materia Sacra„ menti Baptismi est) non solum vera naturalisque sit, „ sed etiam eo ipso anno (quemadmodum sancte cau„ tum est) benedicta in Sabbato Paschae Resurrectionis „ Domini, aut Sabbato pentecostes “. Unde ibidem sic prosequitur: „ Aquam Baptismalem (quoniam puram il„ lam quidem, mundam, nitidamque esse, ob tanti Sa„ cramenti dignitatem, convenit) in ipso fonte per to„ tum annum, quoad ejus fieri potest, tum decore, tum „ pure conservabit. Quam ob causam tum fontem pro „ Sacramenti majestate ex eo praescripto decenter extru„ ctum ornatumque habebit: tum etiam totum ipsius „ fontis opus undique ita contectum tenebit, ut nec pul„ vis, nec ullae aliae sordes intro penetrent, quibus aqua „ corrumpi, aut impura fieri possit “.

Quaest. 5. Quid agere debet Parochus, cum aquam benedictam ad usum Baptismi corrumpi contigerit, aut quocumque modo exhausta sive lapsa est?

Resp. Divus Carolus ibidem ait: „ Quod si intra an„ num prae temporis diuturnitate, aliave causa, illam „ corrumpi contigerit, in Sacrarium prope fontem Pa„ rochus projiciet, statimque fontem purgabit. Et vero „ si in urbe est, ad Metropolitanam, si in Dioecesi, ad „ plebanam Ecclesiam veniet, unde proprio vasculo ni„ tido aquam Baptismalem accipiat, in Parochialemque „ Ecclesiam secreto ferat: ubi quamprimum in formam „ effundet, Baptismalique aquae allatae tantum etiam a„ quae purae, nitidae, & recentis addet, quantum satis „ erit. Hoc ipsum quoque praestabit, si etiam aqua Ba„ ptismalis per annum aliquo modo defecerit “.

Quaest. 6. Quid agere debet Parochus, cum aqua Baptismalis aut congelatur, aut ita frigida est, ut possit baptizando nocere?

Resp. Ea eodem sancto Archipraesule ibidem: „ Quo„ niam interdum accidit, ut in summa hieme aqua Ba„ ptismalis vi frigoris conglaciet, aut gelida nimis fiat; „ tunc ut aliquo calore liquefacta, aut calefacta, usui „ ad baptizandum infantem esse possit (cum animadver„ ti debeat, ne illa gelida nimis ei noceat) aliquam a„ quam vase mundo calefactam immisceri licet, quae a„ qua calefacta longe paucior sit, quam illa quae bene„ dicta est. Qua in re cavebit etiam Sacerdos, ne quid „ aliud commisceat, quam aquam puram ac naturalem, „ quamvis calidam “.

Quaest. 7. Quaenam est materia proxima Baptismi?

Resp. Cum materia proxima, ut praemonuimus, nihil aliud sit, quam applicatio & usus materiae remotae in Sacramento, constat, materiam proximam Baptismi esse ablutionem, ut ait Divus Thomas (3. *p. q 66. art.* 1.

in corp.) : *Exterius suppositum sensui est & ipsa aqua, & ejus usus, qui est ablutio.*

Quæst. 8. Quot modis conferri potest Baptismus?

Resp. Ut ait Angelicus Doctor (3. *p. q.* 66. *art.* 7. *in corp.*) „ Aqua sumitur in Sacramento Baptismi ad usum „ ablutionis corporalis, per quem significatur interim a- „ blutio peccatorum: ablutio autem fieri potest per a- „ quam, non solum per modum immersionis, sed etiam „ per modum aspersionis vel effusionis; & ideo quam- „ vis tutius sit baptizare per modum immersionis (quia „ hoc habet communior usus) potest tamen fieri Baptis- „ mus per modum aspersionis, vel etiam per modum „ effusionis; secundum illud Ezech. 3. *Effundam super* „ *vos aquam mundam:* Sicut Beatus Laurentius legitur „ baptizasse, cum ab eo in craticula superposito se bapti- „ zari sanctus Romanus petiisset. Et hoc præcipue pro- „ pter necessitatem: vel quia est multitudo baptizando- „ rum, ut patet Act. 2. ubi dicitur, Quod crediderunt „ una die tria millia, & alia die quinque millia: quan- „ doque autem potest imminere necessitas propter pauci- „ tatem aquæ vel propter debilitatem ministri".

Tutius tamen est baptizare juxta usum communiter receptum in Ecclesia, qui tempore Divi Thomæ & antea erat per immersionem, nunc autem per infusionem aquæ super caput baptizandi; & hoc observandum est in praxi.

Quæst. 9. Est ne necessarium ad validitatem Baptismi, ter effundere aquam super baptizandum?

Resp. Sanctus Thomas sic respondet post Divum Gregorium relatus in Canone *de trina*, *de Cons.* dist. 4. qui de hac re consultus fuerat a Leandro Episcopo in Hispania (3. *p. q.* 66. *art.* 6. *in corp.*) : „ Ad Baptismum per „ se requiritur ablutio aquæ, quæ est de necessitate Sa- „ cramenti: modus autem ablutionis per accidens se „ habet ad Sacramentum; & ideo, sicut ex prædicta au- „ thoritate Gregorii patet, quantum est de se utrumque „ licite fieri potest, scilicet & semel & ter immergere: „ quia per unicam immersionem significatur unitas mor- „ tis Christi, & unitas Deitatis; per trinam autem im- „ mersionem significatur triduum sepulturæ Christi, & „ etiam Trinitas personarum. Sed diversis ex causis, se- „ cundum ordinationem Ecclesiæ, quandoque institutus „ est unus modus, quandoque alius; quia enim a prin- „ cipio nascentis Ecclesiæ quidam de Trinitate male sen- „ tiebant, Christum purum hominem esse existimantes, „ nec dici filium Dei, & Deum, nisi propter meritum „ ejus quod præcipue fuit in morte: ideo non baptiza- „ bant in nomine Trinitatis, sed in commemoratione „ mortis Christi, & una immersione, quod reprobatum „ fuit in primitiva Ecclesia; Unde in Canonibus Apo- „ stolorum, Can. 10. legitur; Si quis Presbyter aut Epi- „ scopus non trinam immersionem unius mysterii cele- „ bret, sed semel mergat in Baptismate (quod dari a

„ quibusdam dicitur in morte Domini) deponatur; non
„ enim nobis dicit Dominus: in morte mea baptizate,
„ sed, In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Postmodum
„ vero inolevit quorundam schismaticorum &
„ hæreticorum error, homines rebaptizantium: sicut de
„ Donatistis Augustinus narrat, super Jo. 11. & ideo in
„ detestationem erroris eorum fuit statutum in Concilio
„ Toletano 4. quod fieret una sola immersio, ubi sic legitur
„ Can. 5. Propter vitandum schismatis scandalum,
„ vel hæretici dogmatis usum, simplicem teneamus Baptismi
„ immersionem. Sed cessante tali causa communiter
„ observetur in Baptismo trina immersio. Et ideo
„ graviter peccaret aliter baptizans, quasi ritum Ecclesiæ
„ non observans; nihilominus tamen esset Baptismus".
Nunc autem loco trinæ immersionis, trina adhibetur effusio, juxta præscriptum Ritualis Romani.

Quæst. 10. In quanam parte corporis fieri debet effusio aquæ ad validitatem Baptismi?

Resp. Administrans Sacramentum, ter aquam effundere debet super caput baptizandi ad modum Crucis, ut habetur in Rituali Romano. Unde S. Thomas ait (3. *p. q.* 48. *art.* 21. *ad* 4.): „Dicendum, quod expectanda est
„ totalis egressio pueri ex utero ad Baptismum, nisi mors
„ immineat: Si tamen primo caput egrediatur, in quo
„ fundatur omnis sensus, debet baptizari, periculo imminente;
„ & non est postea rebaptizandus, si eum perfecte
„ nasci contigerit. Et videtur idem faciendum,
„ quæcumque alia pars egrediatur, periculo imminente;
„ quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ
„ ita consistit, sicut in capite, videtur quibusdam, quod
„ propter dubium, quacumque alia parte corporis abluta,
„ puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub
„ hac forma: Si non es baptizatus, ego te baptizo".
Idem asserit Divus Carolus Actor. pag. 4. de Baptismi administratione.

Quæst. 11. Licet-ne in casu necessitatis baptizare puerum adhuc existentem in utero matris?

Resp. Non licet, ut ait S. Isidorus relatus in Canone (*Can. Qui in maternis, dist.* 1. *de consecr.*) „ Qui in
„ maternis, *inquit*, uteris sunt, ideo cum matre baptizari
„ non possunt, quia qui natus adhuc secundum Adam non
„ est, renasci secundum Christum non potest: neque enim dici
„ regeneratio in eo poterit, quem generatio non præcessit.

Quæst. 12. Licet-ne occidere matrem cum creditur moritura, ut possit baptizari puer, quem gestat in utero?

Resp. Sanctus Thomas sic respondet (3. *p. q.* 68. *art.* 11. *ad* 5.) „ Dicendum, quod non sunt facienda mala,
„ ut veniant bona, ut dicitur Rom. 3. & ideo non debet
„ homo occidere matrem, ut baptizet puerum. Si
„ tamen mater mortua fuerit, vivente prole in utero,
„ debet aperiri, ut puer baptizetur".

Sic autem Carolus monet Parochos (*Act. p.* 4. *de*

iis

tis quæ Parochus curet cum timetur de Partib.) : „ Parochus aliquando monebit, ut obstetrix aliave mulier „ in partu præsens, si quando aliquam in parturiendo „ ita laborantem animadverterit, ut fœtui periculum „ mortis probabile antequam integre nascatur, immineat : „ ubi primum aliquod membrum vitale motum habens, „ ex matris utero extare videbit, illud aqua perfundens, „ aspergensque, nullo nomine imposito baptizet, dicens ; „ Ego te baptizo, &c. si quando autem in partu mulier „ obierit, hoc fieri admonebit, ut uterus aperiatur, in„ deque fœtus eductus, si vivit, quamprimum baptize„ tur. Id vero magna cautione fiat, ut & is vivus ex „ utero extrahatur, & tunc in primis cum mater vere „ mortua est, ne pro salute filii mater occidatur. Hoc „ vero etiam parentes & domesticos, prout opportunitas „ feret, admonebit, pro fœtu qui in utero est, Deum „ assidue intimeque precari, ut ille incolumis in lucem „ edatur, dignusque sit antequam obeat Baptismi gratiam „ percipere, ne sine salutis Sacramento decedat ".

Quæst. 13. Licet-ne baptizare filios Judæorum, aliorumque Infidelium, invitis parentibus?

Resp. Sic respondet Divus Thomas (3. *p. q.* 68. *art.* 10. *in corp.*) „ Dicendum, quod pueri infidelium filii, „ aut habent usum rationis, aut non habent. Si autem „ habent, jam quantum ad ea, quæ sunt juris divini vel „ naturalis, incipiunt suæ potestatis esse, & ideo propria „ voluntate, invitis parentibus, possunt Baptismum su„ scipere, sicut & matrimonium contrahere ; & ideo ta„ les licite moneri possunt, & induci ad suscipiendum „ Baptismum. Si vero nondum habent usum liberi arbi„ trii, secundum jus naturale, sunt sub cura parentum ; „ quamdiu sibi ipsi providere non possunt. Unde etiam „ & de pueris antiquorum dicitur, quod salvabantur in „ fide parentum. Et ideo contra justitiam naturalem es„ set, si tales pueri invitis parentibus baptizarentur, sic„ ut etiam si aliquis habens usum rationis, baptizaretur „ invitus ; esset etiam periculosum taliter filios infidelium „ baptizare ; quia de facili ad infidelitatem redirent pro„ pter naturalem affectum ad parentes. Et ideo non ha„ bet hoc Ecclesiæ consuetudo, quod filii infidelium, „ invitis parentibus, baptizentur ".

CAPUT III.

De forma Sacramenti Baptismi, & de Baptismo sub conditione.

Quæst. 1. QUænam est forma Sacramenti Baptismi?

Resp. Verba formæ Sacramenti Baptismi sunt,

sunt, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti*; ut patet ex Concilio generali Lateranensi, relato in tit. *de summa Trinitate* (*Cap. Firmiter de summa Trinit. fide Catholica.*), & ex Tridentino sess. 7. Can. 4. *de Baptismo*. Id autem nos docuit Christus Dominus, cum dixit discipulis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti*. Quæ quidem verba proferri debent distincte, nihil omittendo, vel immutando, attente, ac devote, statim, ac infunditur aqua super caput baptizandi. „ Hoc non obstante, *ut ait Eugenius IV. in* „ *Decreto unionis in Concilio Florentino*, non tamen ne„ gamus, quin & per illa verba: Baptizetur talis servus „ Christi, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, „ vel: Baptizatur manibus meis talis in nomine Patris, „ & Filii, & Spiritus-sancti, verum perficiatur Baptisma, „ quoniam cum principalis causa, ex qua Baptismus vir„ tutem habet, sit sancta Trinitas, instrumentalis autem „ sit Minister, qui tradit exterius Sacramentum, si ex„ primitur actus qui per ipsum exercetur ministrum, cum „ sanctæ Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum. "

Quæst. 2. Quanam forma utendum est, cum dubium est, utrum ille, qui Baptismum vult suscipere, jam fuerit baptizatus?

Resp. Ut habet Innocentius III. relatus in Canone (*Can. de quibus de Baptismo*): *De quibus dubium est, an baptizati fuerint, Baptizantur his verbis præmissis: Si baptizatus es, non te baptizo: sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo.*

Quæst. 3. Quid agere debet Parochus in Baptismo puerorum, qui fuerunt expositi?

Resp. Respondeo ex Divo Carolo (*Act. p. 2. in Synodo Diœces. 3. Decret. 11.*); *Infans expositus, si illum baptizatum esse non constet, baptizetur, hac tamen verborum formula: Si tu es baptizatus, ego non te baptizo: & si nondum es baptizatus, ego te baptizo, &c.* Quod quidem probatur primo authoritate Divi Gregorii relati in Canone, ubi ait (*Can. Parvulos, de consecr. dist. 4.*): *Parvulos, qui a parentibus subtracti sunt, & an baptizati sint, ignoratur, hos ut baptizare debeas secundum patrum traditionem, si non fuerit, qui testificetur, ratio poscit.*

Secundo probatur ex Concilio Carthaginensi relato in Canone: *Placuit*, inquit Concilium, *de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, absque ullo scrupulo esse baptizandos.*

Denique S. Leo, Leoni Episcopo Ravennati scribens, ait (*Can. cum itaque, de consecr. dist. 4.*): „ Cum ita„ que Baptismi sui nihil recordatur, qui regenerationis „ est cupidus, nec alter attestari de eo possit, qui sciat „ consecratum, nec ille qui consecratur: scimus quidem

„ inex-

„ inexpiabile esse facinus, quoties juxta hæreticorum da„ mnata a sanctis Patribus instituta cogitur aliquis lava„ crum, quod regenerandis semel tributum est, bis subi„ re, Apostolica reclamante sententia, quæ nobis unam „ prædicat in Trinitate Deitatem, unam in fide confes„ sionem, unum in baptismate Sacramentum. Sed in hoc „ nihil simile formidatur, quoniam non potest in itera„ tionis crimen venire, quod omnino factum esse nesci„ tur, atque ideo, quoties persona talis inciderit, solli„ cite primum examinatione discutite, & longo tempore „ (nisi forte supremus finis immineat) indagate, utrum „ nemo penitus sit, qui testimonio suo juvare possit igno„ rantiam nescientis: & cum constiterit, hunc qui ba„ ptismatis indiget Sacramento, sola inaniter suspicione „ prohiberi, accedat intrepidus ad consequendam gra„ tiam, cujus in se nullum scit esse vestigium; nec ve„ reamur huic salutis januam aperire, quam numquam „ ante docetur ingressus “.

Quæst. 4. Quam pœnam incurreret Sacerdos, qui puerum jam baptizatum iterum baptizaret absque probabili dubio de ejus Baptismo jam suscepto?

Resp. Ut dicitur in Concilio generali Lateranensi (*Cap. Licet, de Baptis.*): *Si quis baptizatos rebaptizare ausu temerario præsumpserit, excommunicationis mucrone percussus, ab omni officio & beneficio Ecclesiastico deponatur.*

Sanctus autem Carolus ait (*D. Carolus Act. p.* 4. *de Baptis. administr.*) „ Cum infans, qui Baptismo offertur, „ re diligenter perquisita, dubium relinquitur, aut certe „ non apparet, eum baptizatum esse, ut de expositis par„ vulis dubitari atque ignorari sæpenumero solet. Quod si „ re accurate investigata, exploratum habuerit, illum for„ ma servata baptizatum esse: careat omnino, ne hanc sub „ conditione baptizandi formam adhibeat, cum sacrilegium „ committat, si contra fecerit, & illud impedimentum „ contrahat, quod sacri Canones irregularitatem vocant “.

Unde idem Sanctus, de iis quæ Parochus, antequam infans in Ecclesiam ad baptis. deferatur præmonebit: „ Cum vero sæpe alias, tum maxime cum expositum „ baptizat, hoc graviter monebit, ut omnes quicumque „ sint, caveant suos, aut alienos filios exponere; tunc„ que ne exponant in loco publico, ubi facile perirent, „ sed in hospitalibus locisve speciatim eo nomine con„ stitutis: ac præterea collo appensa alligatave infantis „ qui exponitur schedula, aut nota alia indicente no„ men & Baptismum, si baptizatus est “.

Quæst. 5. Est-ne baptizandus saltem sub conditione puer, qui baptizatus est domi imminente mortis periculo?

Resp. Catechismus Concilii Tridentini sic respondet (*de Baptis.* §. 56.): „ Qua in re diligenter Pastoribus „ aliqua providenda sunt, in quibus fere quotidie non „ sine maxima Sacramenti injuria peccatur; neque enim

„ de-

„ desunt, qui nullum scelus admitti posse arbitrentur, „ si quemvis sine delectu cum adjunctione illa baptizent: quare si infans ad eos deferatur, nihil prorsus „ quærendum putant, an is prius ablutus fuerit; sed „ statim ei Baptismum tribuunt: quin etiam quamvis „ exploratum habeant, domi Sacramentum administratum esse, tamen sacram ablutionem in Ecclesia adhibita solemni cæremonia cum adjunctione repetere non „ dubitant. Quod quidem sine sacrilegio facere non possunt, & eam maculam suscipiunt, quam divinarum „ rerum scriptores irregularitatem vocant. Nam ea Baptismi forma, ex Alexandri Papæ authoritate, in illis „ tantum permittitur, quibus, re diligenter perquisita, „ dubium relinquitur, an Baptismum rite susceperint. „ Aliter vero numquam fas est, etiam cum adjunctione, „ Baptismum alicui iterum administrare".

Quæst. 6. Quid agendum est cum baptizatis ab hæreticis, cum abjurant hæresim ut fidem Catholicam profiteantur?

Resp. Cum Calvinistæ & Lutherani, hujus temporis hæretici, eadem utantur materia, eademque forma, qua Catholici utuntur, rebaptizandi utique non sunt post abjurationem, nisi alias adesset dubium, an quis valide baptizatus fuerit; in quo casu baptizandi essent sub conditione, ut diximus: unde sanctus Gregorius relatus in Canone, sic habet (*l. 9. Epist. 61. refertur in Can. Ab antiqua, & cap. Hi vero, de consecr. dist.* 4.): „ Ab „ antiqua Patrum institutione didicimus, ut qui apud „ hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione Chrismatis, aut „ impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum „ matris Ecclesiæ revocentur. Unde Arianos per impositionem manus Occidens, per unctionem vero sancti „ Chrismatis ad ingressum sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Oriens reformat. Monothelitas vero & alios ex sola vera confessione recipit; quia sanctum Baptisma, quod „ sunt apud hæreticos consecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cum vel illi per impositionem manus Spiritum-sanctum acceperint, vel isti propter professionem veræ fidei, sanctæ & universali Ecclesiæ visceribus fuerint uniti. Hi vero hæretici, qui in Trinitatis nomine minime baptizantur, sicut sunt Bonosiani, & Cataphrigæ (quia & illi Christum Dominum „ non credunt, & isti sanctum Spiritum perverso sensu „ esse quemdam pravum hominem Montanum credunt; „ quorum similes multi sunt) & alii tales, cum ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur: quia Baptisma „ non fuit, quod in errore positi in sanctæ Trinitatis „ nomine minime perceperunt".

Ex hoc Divi Gregorii loco colligere licet, nequidem sub conditione baptizandos esse hæreticos, qui valide semel baptizati fuerunt: sed supplendas esse cæremonias se-

secundum præscriptum Ritualis Romani, ubi dicitur (*tit. de Baptismo adultorum*): *Hæretici vero ad Catholicam Ecclesiam venientes, in quorum Baptismo debita forma, aut materia servata non est, rite baptizandi sunt: sed prius errorum suorum pravitatem agnoscant & detestentur, & in fide Catholica diligenter instruantur. Ubi vero debita forma & materia servata est, omissa tantum suppleantur, nisi rationabili de causa aliter Episcopo videatur.*

Quæst. 7. Quam pœnam incurrunt, qui Baptismum bis suscipiunt?

Resp. Sic loquitur in Canone (*Can. Qui bis, de consecr. dist.* 4.): *Qui bis ignoranter baptizati sunt, non indigent pro eo penitere, nisi quod, secundum Canones ordinari non possunt, nisi magna aliqua necessitas cogat. Qui autem non ignari iterum baptizati sunt, quasi iterum crucifixerint Christum, per septem annos pœniteant.*

Addit Glossa ibidem; *Et est sciendum, quod scienter rebaptizatus, est in perpetuum irregularis: si autem ignoranter, dispensetur cum eo ex causa.*

Quæst. 8. Quænam mutatio in forma Sacramenti Baptismi reddit illud invalidum?

Resp. Respondeo ex Divo Thoma (*in* 4. *sent. dist.* 3. *ar.* 2. *q.* 3. *in corp.*): „ Si subtrahatur aliquid, quod sit „ de essentia formæ, certum est, quod non est Baptis„ mus, & ille qui baptizat, graviter peccat: quia apud „ omnes invocatio Trinitatis est de essentia formæ, ideo „ hoc nullo modo subtrahi potest. Sed quidam dicunt, „ quod expressio actus non est de substantia formæ; un„ de si subtrahatur, facta sola Trinitatis invocatione, „ erit Baptismus. Sed contra hoc est Decretalis Alexan„ d. Papæ III. Quod si quis puerum in aqua merse„ rit, dicendo, In nomine Patris, & Filii & Spiritus„ sancti; si non dicat, Ego te baptizo, non puer bapti„ zatur; oportet enim, quod per formam virtus Trini„ tatis invocatæ ad materiam propositam determinetur; „ quod fit in expressione actus. Similiter expressio per„ sonæ baptizatæ est de substantia formæ, quia per eam „ determinatur actus ad hunc Baptismum: & ideo si „ subtrahatur, non erit Baptismus; sed expressio perso„ næ baptizantis, dicitur quod non est de forma quan„ tum ad necessitatem Sacramenti, sed ex institutione Ec„ clesiæ, ut intentio magis feratur ad actum illum; & ideo „ si omittatur, erit Baptismus, sed peccat omittens ".

Quæst. 9. Licet-ne in casu necessitatis se ipsum baptizare?

Resp. Non licet, ut ait Alexander III. relatus in Canone (*Can. Debitum, De Baptismo.*) cum enim consultus esset ab Episcopo Metensi, quid agendum esset cum Judæo, qui in mortis articulo agens inter Judæos, qui eum baptizare noluerunt, se ipsum in aquam immersit, dicendo, *Ego me baptizo in nomine Patris &*

Filii

Filii & Spiritus-sancti: *Respondemus*, ait Pontifex, „ quod cum inter baptizatum & baptizantem debeat esse „ discretio, sicut ex verbis Domini colligitur, dicentis „ Apostolis: Ite, baptizate omnes gentes in nomine „ Patris & Filii & Spiritus-sancti: memoratus Judæus „ est denuo ab alio baptizandus, ut ostendatur quod „ alius est qui baptizatur, & alius qui baptizat ".

CAPUT IV.

De Ministro Baptismi.

Quæst. 1. QUisnam est Minister Baptismi?

Resp. Minister legitimus Baptismi est solus Sacerdos; ut enim ait sanctus Isidorus relatus in Canone (*Can. Constat, De consecr. dist.* 4.): „ Constat, „ Baptisma solis Sacerdotibus esse tractandum, ejusque „ mysterium nec ipsis Diaconis explere est licitum absque Episcopo vel Presbytero, nisi his procul absentibus ultima languoris necessitas cogat; quod & Laicis „ fidelibus plerumque permittitur, ne quispiam sine remedio salutari de sæculo evocetur ".

Et Glossa in Canone *Diaconus*, dist. 93. verbo, *Necessitas*: *Ubi necessitas exigit, & Presbyter est absens, potest Diaconus jure suo baptizare.*

Non debet, inquit Divus Thomas (3. *p. q.* 67. *ar.* 4. *in corp.*) „ mulier baptizare, si adsit copia viri, sicut nec „ Laicus præsente Clerico, nec Clericus præsente Sacerdote, qui tamen potest baptizare præsente Episcopo, „ eo quod hoc pertinet ad officium Sacerdotis ".

Quæst. 2. Peccat-ne laicus sine necessitate baptizans?

Resp. Si extra necessitatis articulum, inquit Div. Tho. (3. *p. q.* 67. *ar.* 3. *in corp.*), *laicus baptizet, peccat quidem, tamen Sacramentum Baptismi confert.*

Ideoque Sanctus Carolus ait (*actor. p.* 4. *de Ministro Bapt.*): *Et quoniam si a muliere, vel a laico secus fit* (id est sine necessitate) *grave peccatum admittitur, id etiam monebit Parochus.*

Quæst. 3. Parentes possunt-ne liberos suos baptizare?

Resp. Non debent eos omnino baptizare nisi in necessitatis articulo: *Parentes autem*, inquit Divus Carolus (*ibid.*), „ omnino caveant, ne liberos suos baptizent „ absque manifesta necessitate; cum scilicet alii quoquo „ modo apti non adsunt, & periculi urget necessitas. „ Quod ipse etiam monebit, prout usu aliquando venit.

Quæst. 4. Pater qui baptizavit Filium in casu necessitatis, potest-ne petere ab uxore debitum matrimonii?

Resp. Potest, ut ait Joannes VIII. relatus in Canone (*Can. Ad limina*, 80. *q.* 1.); *Dicimus*, inquit Pontifex, scribens Episcopo Lenovicensi, qui eum hac de re consuluerat, „ omittendum esse, & inculpabile judicandum, „ quod necessitas intulit. Nam hoc baptizandi opus Lai-

„ cis

„ cis fidelibus juxta Canonicam authoritatem, si necesse
„ fuerit facere, libere conceditur. Unde si supradictus
„ genitor filium suum corpore morientem aspiciens, ne
„ animam perpetua morte pereuntem dimitteret, sacri
„ unda Baptismatis lavit, ut eum de potestate authoris
„ mortis, & tenebrarum eriperet, & in regnum Christi
„ jam regnaturum sine dubitatione transmitteret, bene
„ fecisse laudatur: idcirco suæ uxori sibi jam legitime
„ sociatæ impune, quamdiu vixerit, judicamus manere
„ conjunctum “.

Quæst. 5. Qui baptizatus non est, potest-ne alterum baptizare?

Resp. Certum est, quod potest, ut declarat Nicolaus Papa, consultis Bulgarorum respondens (*Can. A quodam, de Consecr. dist.* 4.): „ A quodam, *inquit*, Judæo,
„ nescitis, utrum Christiano, an Pagano, multos in pa-
„ tria vestra baptizatos asseritis: & quid de iis sit agendum,
„ consulitis. Hi profecto si in nomine sanctæ Trinitatis ba-
„ ptizati sunt, constat, eos non esse denuo baptizandos “.

Rationem affert Divus Thomas (3. *p. q.* 67. *art.* 5. *in corp.*): „ Sicut ex parte materiæ, *inquit*, quantum ad
„ necessitatem Sacramenti, sufficit quæcumque aqua; ita
„ etiam sufficit ex parte Ministri quicumque homo. Et
„ ideo etiam non baptizatus in articulo necessitatis ba-
„ ptizare potest; ut si duo non baptizati se invicem ba-
„ ptizent, dum prius unus baptizaret alium, & postea
„ baptizaretur ab eodem; & consequeretur uterque non
„ solum Sacramentum, sed etiam rem Sacramenti. Si
„ vero extra articulum necessitatis hoc fieret, uterque
„ graviter peccaret, scilicet baptizans & baptizatus: &
„ per hoc impediretur Baptismi effectus, licet non tolle-
„ retur ipsum Sacramentum “.

Quæst. 6. Sacerdos qui solemniter baptizaret absque consensu proprii Parochi, peccaret-ne?

Resp. Peccaret; nam, ut ait Divus Thomas (3. *p. q.* 67. *art.* 4. *ad* 2.): „ Quando Baptismus solemniter &
„ ordinate celebratur, debet aliquis Sacramentum Ba-
„ ptismi suscipere a Presbytero curam animarum haben-
„ te, vel ab aliquo vice ejus “.

Quæst. 7. Valeret-ne Baptismus, si unus infunderet aquam super pueri caput, & alter proferret verba formæ?

Resp. Non foret validus talis Baptismus, quia, ut ait Divus Thomas (3. *p. q.* 66. *art.* 6. *ad* 3.): „ Integritas
„ Baptismi consistit in forma verborum, & in usu ma-
„ teriæ: & ideo neque ille, qui tantum verba profert,
„ baptizat: neque ille qui immergit. Et ideo si unus
„ verba proferat, & alius immergat, nulla forma verbo-
„ rum poterit esse conveniens “.

Quæst. 8. Licet-ne plures simul baptizare?

Resp. Ex Angelico Doctore (3. *p. q.* 67. *art.* 6. *ad* 2.):
„ In casu necessitatis unus posset simul plures baptizare
„ sub hac forma: Ego vos baptizo: puta si immineret

„ rui-

„ ruina, aut gladius, aut aliquid hujusmodi, quod om-
„ nino moram non pateretur, ut sigillatim omnes bapti-
„ zarentur". Sed extra casum necessitatis graviter peccaret, qui multos simul baptizaret.

Quæst. 9. Est ne differendus Baptismus parvulorum & adultorum?

Resp. „ Si pueri sint baptizandi, *inquit Divus Tho-*
„ *mas* (3. *p. q.* 68. *art.* 8. *in corp. Idem habet q.* 2. *art.*
„ 5. *ad* 4.), non est differendum Baptisma: Primo qui-
„ dem, quia non expectatur in eis major instructio, aut
„ etiam plenior conversio. Secundo propter periculum
„ mortis, quia non potest eis alio remedio subveniri,
„ nisi per Sacramentum Baptismi; adultis vero subveniri
„ potest per solum Baptismi desiderium: & ideo adultis
„ non statim, cum convertuntur, est Sacramentum Ba-
„ ptismi conferendum; sed oportet differre usque ad ali-
„ quod certum tempus: Primo propter cautelam Eccle-
„ siæ, ne decipiatur, Sacramentum ficte accedentibus
„ conferens, secundum illud Joan. 4. NOLITE OMNI
„ SPIRITUI CREDERE, SED PROBATE SPIRITUS,
„ SI EX DEO SINT. Quæ quidem probatio sumitur
„ de accedentibus ad Baptismum, quando per aliquod
„ spatium eorum fides & mores examinantur. Secundo
„ hoc est necessarium ad utilitatem eorum qui baptizan-
„ tur, quia aliquo temporis spatio indigent ad hoc,
„ quod plene instruantur de fide, & exercitentur in
„ his, quæ pertinent ad vitam Christianam".

Sed quia sæpe aliquando accidit, quod parentes non adhibent omnem diligentiam, ut filii eorum baptizentur, sed differunt eorum Baptisma, expectando patrinos vel matrinas, plura Concilia huic malo remedium adhibere conata sunt, illud expresse prohibendo.

Concilium Lingonense (*ann.* 1404.): Sacerdotes, *in-*
„ *quit*, curati sæpe moneant suos Parochianos, & ma-
„ xime quando scient aliquas prægnantes esse proximas
„ partui, quod infantes suos noviter natos faciant, quam
„ cito potuerint, baptizari; nec differant eorum Baptis-
„ ma pro expectando patrinos vel matrinas, vel alia
„ causa; quia periculum est in mora, & si infantes in-
„ terim sine Baptismo morerentur, eorum damnatio im-
„ putaretur illis, qui Baptismum distulerunt".

Concilium Bituricense anno 1582. „ Quia Baptismus,
„ *inquit*, est ingressus in Ecclesiam Christi, & id sine
„ quo nemini in regnum cœlorum patet aditus; idcirco
„ præcipimus, ut quam citissime fieri poterit, parentes
„ liberos suos baptizandos curent, neque diu expectent
„ susceptores & patrinos, ne dum in vana ad Baptismum
„ pompa apparanda tempus teritur, animas Christi san-
„ guine redemptas maximo gravissimoque periculo, e
„ quo emergere numquam possint, exponant".

Communiter prohibetur in Diœcesibus Galliæ differre Baptismum ultra tres dies, & sic statutum fuit

fuit in Synodo Diœcesis Vasionensis anno 1676.

Et in Concilio recentiori Beneventano (*an.* 1693. *tit.* 36. *c.* 8.) statuitur, ut *Baptismus ultra tertium diem non protrahatur*; juxta decretum Concilii Provincialis Avenionensis, ann. 1594. & in Synodo Montis Falisci Eminentissimi Cardinalis Barbadici, anno 1692. idem statuitur, ut & in Synodo Cæsenæ Eminentissimi Cardinalis Denhoff, ann. 1693.

Notandum est, quod in pluribus Synodis, & præsertim in Synodo Cæsenæ Eminentissimi Cardinalis Denhoff (*ann.* 1693. *lib.* 2. *cap.* 2.), statutum est, ut *peracto baptismate, moneant Parochi obstetrices, ut parentibus denuncient, ne aut ipsi, aut quispiam alius infantem, ante expletum annum, in lecto retineant, sine convenienti repagulo, quo a suffocationis periculo tute defendatur; id enim, sub excommunicationis pœna, actu incurrenda, vetitum eis esse volumus*.

CAPUT V.

De his qui possint baptizari, & de dispositionibus ad Baptismum requisitis.

Quæst. 1. Quibusnam conferri potest Sacramentum Baptismi?

Resp. Certum est, quemlibet hominem dum vivit, esse subjectum capacem Sacramenti Baptismi, juxta illud Domini, qui dixit Apostolis suis (*Matth.* 18.) *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.*

Hoc autem probat Innocentius III. relatus in Canone (*Can. Majores, De Baptismo*.) exemplo circumcisionis: „ Cum Circumcisio, *inquit*, tam adultis quam par„ vulis ex præcepto Domini conferretur, nec Baptismus, „ qui successit loco ipsius, & generalior tamen existit, „ cum tam viri quam fœminæ baptizentur, minoris vi„ deatur effectus, tam adultis, quam parvulis est confe„ rendus: sicut enim sine distinctione qualibet Mosaica „ lex clamabat: *Anima, cujus præputii caro circumcisa „ non fuerit, peribit de populo suo*: ita nunc distincte „ vox intonat Evangelica: *Nisi quis renatus fuerit ex a„ qua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei* ".

Quæst. 2. Debent-ne Adulti furiosi aut amentes baptizari?

Resp. „ Dicendum, *inquit Divus Thomas* (3. *p. q.* „ 68. *art.* 12. *in corp.*), quod circa amentes & furio„ sos est distinguendum. Quidam enim sunt a nativi„ tate tales, nulla habentes dilucida intervalla, in qui„ bus etiam nullus usus rationis apparet; & de talibus, „ quantum ad Baptismi susceptionem, videtur esse idem „ judicium, ac de pueris, qui baptizantur in fide Ec„ clesiæ, ut supra dictum est. Alii vere sunt amen„ tes, qui ex sana mente, quam habuerunt prius, in

„ amen-

„ amentiam inciderunt: & tales sunt judicandi secundum voluntatem quam habuerunt, dum sanæ mentis existerent; & ideo si tunc apparuit in his voluntas suscipiendi Baptismum, debet eis exhiberi in furia & in amentia constitutis, etiamsi tunc actu contradicant. Alioquin si nulla voluntas suscipiendi Baptismum in eis apparuit, dum sanæ mentis essent, non sunt baptizandi. Quidam vero sunt, qui etsi a nativitate fuerint furiosi, vel amentes, habent tamen aliqua lucida intervalla, in quibus recta ratione uti possunt; unde si tunc baptizari voluerint, baptizari possunt etiam in amentia constituti, & debet eis tunc Sacramentum conferri, si periculum timeatur; alioquin melius est, ut tempus expectetur, in quo sint sanæ mentis, ad hoc quod devotius suscipiant Sacramentum. Si autem tempore lucidi intervalli non appareat in eis voluntas suscipiendi Baptismum, baptizari non debent in amentia constituti. Quidam vero sunt, qui etsi non omnino sanæ mentis existant, in tantum tamen ratione utuntur, quod possunt de sua salute cogitare, & intelligere Sacramenti virtutem; & de talibus idem est judicium, sicut de his qui sanæ mentis existunt, qui baptizantur volentes, non autem inviti".

Quæst. 3. Quid agendum est in Baptismo monstrorum?

Resp. Magna prorsus adhibenda est cautio: „ Si quando propterea, *inquit sanctus Carolus* (*Act. p.* 4. *Quæ Parochus in Baptismi ministratione animad.*), monstrum humanum Baptismo offertur, videndum est, antequam baptizetur, an una persona sint, an vero duæ: tum masculusne sit, an fœmina. Sique re perspecta, dubium est, an sint duo, utpote quia duo capita non habent, nec pectora bene distincta; unus intentione certa neque vaga simpliciter baptizetur; alter vero, seu alii sub conditione; Si non es baptizatus, &c. Si vero, quia duo capita, pectora duo, aut corpora etiam distincta in monstro apparent, homines duos esse perspicuum est, singuli simpliciter baptizentur. Quod si mortis periculum in mora erit, numero plurali baptizentur: Ego vos baptizo in nomine Patris, &c. Sin autem, utpote unum tantum caput habens, tamquam unus baptizetur, etiamsi alia membra plura geminatave habeat. At vero monstrum quod hominis speciem non præ se fert, non baptizetur, nisi primum Archiepiscopus consulatur: de cujus etiam consilio agetur, quod supra de monstro humano dictum est, si tempus dabitur".

Quæst. 4. Quænam requiruntur dispositiones ad Baptismum valide suscipiendum?

Resp. Constat in primis, quod a pueris nondum habentibus usum rationis, Ecclesia nullam exigit dispositionem; ut enim ait Divus Augustinus relatus in Canone (*Cap. Mater De Cons. dist.* 4.): „ Mater Ecclesia

„ os

„ os maternum parvulis præſtat, ut ſacris myſteriis im-
„ buantur; quia nondum poſſunt corde proprio credere
„ ad juſtitiam, nec ore proprio confiteri ad ſalutem.
„ Nec ideo tamen eos quiſquam fidelium fideles appel-
„ lare cunctatur, quod a credendo utique nomen eſt;
„ quamvis hoc non ipſi, ſed alii pro iis inter Sacra-
„ menta reſponderint. Si autem propterea recte fideles
„ vocantur, quoniam fidem per verba geſtantium quo-
„ dammodo profitentur: cur etiam non prius pœni-
„ tentes habeantur, cum per eorumdem verba geſtan-
„ tium, diabolo & huic ſæculo renuntiare monſtran-
„ tur“?

Sola autem in adultis diſpoſitio ad valide ſuſcipiendum Baptiſmum, eſt eorum conſenſus, ut dicit Innocentius III. in cap. *Majores*, *De Baptiſmo*: „ Is qui terrori-
„ bus atque ſuppliciis, *inquit ſummus Pontifex*, vio-
„ lenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, Baptiſ-
„ mi ſuſcipit Sacramentum: talis characterem ſuſcipit
„ Chriſtianitatis impreſſum, & ipſe tamquam conditio-
„ naliter volens, licet abſolute non velit, cogendus eſt
„ ad obſervantiam fidei Chriſtianæ, in quo caſu debet
„ intelligi Decretum Concilii Toletani: ille vero qui
„ nunquam conſentit, ſed penitus contradicit, nec rem,
„ nec characterem ſuſcipit Sacramenti; quia plus eſt
„ expreſſe contradicere, quam minime conſentire: ſic
„ nec ille notam alicujus reatus incurrit, qui contradi-
„ cens penitus & reclamans, thurificare idolis cogitur
„ violenter“.

Quæſt. 5. Fides ſuſcipientium, aut parentum pueri baptizandi, eſt-ne neceſſaria ad validitatem Sacramenti Baptiſmi?

Reſp. Non eſt neceſſaria, quia, ut ait Divus Auguſtinus relatus in Canone (*Cap. Quærit*, *De Conſecr. diſt.* 4.): „ Offeruntur quippe parvuli ad percipiendam ſpiri-
„ tualem gratiam, non tam ab eis, quorum geſtantur
„ manibus (quamvis & ab ipſis, ſi & ipſi boni fideles
„ ſunt) quam ab univerſa ſocietate Sanctorum atque
„ Fidelium; ab omnibus namque offerri recte intelli-
„ guntur, quibus placet quod offeruntur, & quorum ſan-
„ cta atque individua charitate ad communicationem
„ ſancti Spiritus adjuvantur“.

Quæſt. 6. Quænam requiruntur diſpoſitiones in adultis ad legitime ſuſcipiendum Baptiſmum, nempe gratiam cum charactere?

Reſp. Tres requiruntur. Prima eſt conſenſus, de quo modo locuti ſumus; qui non debet eſſe neceſſario actualis & expreſſus, ſed ſufficit virtualis, aut interpretativus; ſcilicet, quod qui vult baptizari, habuerit voluntatem actualem ſuſcipiendi Baptiſmum, eamque non revocaverit: nam ut dicitur in cap. *Majores*, *De Baptiſmo*: „ Dor-
„ mientes autem & amentes, ſi priuſquam amentiam incur-
„ rerent, aut dormirent, in contradictionis propoſitum inci-

„ diſſent,

„ dissent, in contradictione persisterent; quia in eis intelli-
„ gitur contradictionis propositum perdurare, & si fuerint sic
„ immersi, characterem non suscipiunt Sacramenti. Se-
„ cus autem si prius catechumeni extitissent, & habuis-
„ sent propositum baptizandi: unde tales in necessitatis
„ articulo consuevit Ecclesia baptizare. Tunc ergo cha-
„ racterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obi-
„ cem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem".

Secunda dispositio necessaria est fides, & notitia principalium mysteriorum Christianæ Religionis, juxta id, quod dicitur Marci ultimo: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*. Nam ut docet Divus Augustinus relatus in Canone (*Can. Ecclesia, De Cons. dist.* 4.), *Possunt quidem homines Baptismum etiam foris Ecclesiam accipere, sed salutem beatitudinis extra eam nemo potest percipere, vel tenere*. Et ut ait Divus Thomas (*3. p. q. 60. art. 8. in corp.*): *Dupliciter aliquid ex necessitate requiritur ad Baptismum: uno modo sine quo gratia haberi non potest, quæ est ultimus effectus Sacramenti: & hoc modo recta fides requiritur ad Baptismum, quia sicut dicitur Rom. 3.* JUSTITIA DEI EST PER FIDEM JESU CHRISTI.

Tertia dispositio in adultis ad recipiendam gratiam Baptismi, est dolor peccatorum, & propositum observandi legem Dei; ut constat ex verbis Divi Petri act. cap. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu-Christi in remissionem peccatorum vestrorum*. Et ex D. Augustino relato in Canone (*Can. Tres sunt, De Pœnit. dist.* 1.): „ Omnis enim, *inquit*,
„ qui jam arbiter voluntatis suæ constitutus est, cum ac-
„ cedit ad Sacramenta fidelium, nisi cum pœniteat vitæ
„ veteris, novam non potest inchoare: ab hac pœniten-
„ tia, cum baptizantur, soli parvuli sunt immunes;
„ nondum enim uti possunt libero arbitrio".

Quæst. 7. Qualis necessario debet esse dolor ad recipiendam gratiam Baptismi, & ex quo motivo produci debet?

Resp. Videtur, quod juxta Concilium Tridentinum (*sess. 6. de justif. c. 6.*) iste dolor produci debeat ex motivo amoris Dei, & quod solum motivum timoris pœnarum gehennæ minime sufficiat: „ A Deo, *inquit*, justi-
„ ficari impium per gratiam ejus, per redemptionem
„ quæ est in Christo Jesu: & dum peccatores esse se in-
„ telligentes, a divinæ justitiæ timore pro quo utiliter
„ concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se
„ convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi
„ propter Christum propitium fore, illumque tamquam
„ omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea
„ moventur adversus peccata per odium aliquod & dete-
„ stationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante
„ Baptismum agi oportet". Proindeque, juxta Concilium, oportet, ut detestatio peccatorum requisita ante

Baptismum, procedat ex amore Dei tamquam omnis justitiæ auctoris: atqui si amor, quo amatur Deus sit auctor omnis justitiæ, est proprie amor charitatis; ergo Concilium voluit pro adultis ad dispositionem in Baptismo actum amoris & charitatis.

Hoc autem clarius apparet ex actis ejusdem Concilii relatis a Cardinali Pallavicino in ejus historia (*lib.* 18. *c.* 13. *q.* 12.): „ In actis legitimis servatis in Ælia arce
„ Sancti Angeli, his verbis, additur eodem capite,
„ Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere inci-
„ pere, ac propterea moveri adversus peccata per odium
„ aliquod, ac detestationem, hoc est, per eam pœni-
„ tentiam, quam ante Baptismum agi oportet, &c. Quod
„ attinet ad id quod dicitur de dilectione, advertendum
„ est, per tenorem Decreti prius delineati nullam fieri
„ dilectionis mentionem; sed Salvatorem Alepium Ar-
„ chiepiscopum Turritanum, Claudium Jajum Societatis
„ Jesu, Lypomanum Veronensis adjutorem, & Pium
„ Franciscanorum Præsidem admonuisse, ut aliquis cha-
„ ritatis actus insereretur: Cumque id ad omnium Pa-
„ trum judicium relatum fuerit, cum aliis præcipuis no-
„ tis, ut indicavimus, viginti tres ex ipsis diserte istud
„ comprobasse, adeoque insertum Decreto.

„ Quibusdam pariter animadvertentibus, charitatem
„ superiori capite memoratam recenseri sub illius initium
„ decreti inter ea quæ præparant animam ad justitiam
„ suscipiendam, postea vero tamquam ipsius justitiæ for-
„ mam poni: Responderunt Decreti formatores, in pri-
„ mo loco sermonem esse de quodam actu charitatis,
„ cum insit aliqua dilectio in homine non quidem ob-
„ tinente, sed exoptante justitiam; at in secundo signi-
„ ficari habitum charitatis “.

Denique idem dolor, eademque attritio, quæ in Sacramento Pœnitentiæ requiritur, ad Baptismi quoque Sacramentum desideratur; de quo plenius in Tract. de Pœnit. Tom. 4.

Quæst. 8. Est ne baptizando imponenda aliqua pœnitentia in satisfactionem suorum peccatorum?

Resp. „ Dicendum, *ait Divus Thomas* (3. *p. q.* 6.
„ *art.* 5. *in corp.*), quod restituere male ablata proxi-
„ mis, & satisfacere eis de injuriis illatis, est cessare a
„ peccando; quia hoc ipsum quod est detinere aliena,
„ & proximum læsum non placare, est peccatum. Et
„ ideo peccatoribus baptizatis injungendum est, quod
„ satisfaciant proximis, & quod desistant a peccato;
„ non est autem injungendum, quod pro peccatis præte-
„ ritis aliquam pœnam patiantur “.

CAPUT VI.

De effectibus Baptismi.

Quæst. 1. QUinam sunt effectus Baptismi?
Resp. Ex Divo Bonaventura (*in 4. dist. 4. art. 1. q. 3. 1. p.*), *Triplex est effectus Baptismi: Primus characteris impressio: Secundus gratiæ infusio: Tertius innocentiæ restitutio.*

Qu. 2. Quosnam spirituales fructus nobis affert character? *Resp. In Sacramento Baptismi*, ait Divus Thomas (3. *p. q.63. art. 6. in corp.*), *imprimitur character, quia per ipsum homo accipit potestatem recipiendi alia Ecclesiæ Sacramenta; unde Baptismus dicitur esse janua omnium Sacramentorum.* Deinde distinguit fideles ab infidelibus, ut ait Divus Bonaventura; tum divinæ nos participes efficit naturæ. *Divina Beatitudo*, inquit Divus Dionysius (*de Eccles. Hierarch. cap.* 2.), *accedentem ad baptismum in sui participationem recipit, & proprio lumine quasi quodam signo ipsi tradit suam participationem.* Sanctus autem Ambrosius ait (*lib.* 1. *de Spiritu sancto c.* 6.): *Spiritu signamur, ut imaginem ejus & gratiam tenere possimus.* Quod tamen intelligi debet de iis, qui nullum obicem ponunt gratiæ, characterem Baptismi recipiendo in statu peccati.

Character, ait Divus Thomas (3. *p. q.* 63. *art.* 4. *in corp.*), *directe quidem & propinque disponit animam ad ea quæ sunt divini cultus exequenda. Et quia hæc idonea non fiunt sine auxilio gratiæ, ex consequenti divina largitas recipientibus characterem, largitur gratiam, per quam digne impleant ea, ad quæ deputantur.*

Quæst. 3. Quosnam fructus affert gratia Baptismalis? *Resp.* Plures: Primus est delere omnia peccata, tam originalia, quam actualia, ut prædixerat Ezechiel, cap. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Idem asserit Eugenius IV. in Concilio Florentino: *Sacramenti Baptismi effectus est remissio omnis culpæ originalis & actualis.* Et, ut ait Divus Augustinus (1. *de peccator. meritis & remissione, c.* 15.), *Generante carne tantummodo trahitur peccatum originale: regenerante autem Spiritu, non solum originalium, sed etiam voluntariorum fit remissio peccatorum.*

Secundus effectus gratiæ Baptismalis, est quod nos hæredes efficiat æternæ salutis. Marci 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.*

Tertius effectus est incorporatio Christi: „ Per Baptis-
„ mum, *ait Divus Thomas* (3. *p. q.*69. *art.* 5. *in corp.*),
„ aliquis incorporatur Christo quasi membrum ipsius:
„ sicut etiam a capite naturali derivatur ad membra
„ sensus, & motus, ita a capite spirituali, quod est

„ Chri-

„ Chriſtus, derivatur ad membra ejus ſenſus ſpiritualis,
„ qui conſiſtit in cognitione veritatis, & motus ſpiritua-
„ lis, qui eſt per gratiæ influxum: & ideo conſequens
„ eſt, quod baptizati illuminentur a Chriſto circa cogni-
„ tionem veritatis, & fœcundentur ab ea fœcunditate
„ bonorum operum per gratiæ infuſionem ".

Quartus effectus eſt conſecutio, ſeu infuſio omnium virtutum & donorum: *Manifeſtum eſt*, inquit Divus Thomas (3. *p. q.* 60. *art.* 4. *in corp.*), *quod per Baptiſmum aliquis conſequitur gratiam & virtutes*.

Ultimus effectus Baptiſmi eſt apertio januæ Regni cæleſtis: „ *Dicendum*, *inquit Divus Thomas* (3. *p. q.*
„ 69. *art.* 7. *in corp.*), quod aperire januam Regni cæ-
„ leſtis, eſt, removere impedimentum, quos quis impe-
„ ditur Regnum cæleſte introire, hoc autem impedimen-
„ tum eſt culpa & reatus pœnæ: oſtenſum eſt autem ſu-
„ pra, quod per Baptiſmum omnis culpa & omnis reatus
„ pœnæ tollitur. Unde conſequens eſt, quod effectus
„ Baptiſmi ſit apertio januæ Regni cæleſtis.

Quæſt. 4. Baptiſmus producit-ne eumdem effectum in omnibus adultis illum ſuſcipientibus?

Reſp. Certum eſt, Baptiſmum non producere æqualem effectum in omnibus adultis, quia eum non recipiunt cum æquali diſpoſitione. „ Adulti vero, *inquit D. Tho-*
„ *mas* (3. *p. q.* 69. *art.* 8. *in corp.*), quia per propriam
„ fidem ad Baptiſmum accedunt, non æqualiter ſe ha-
„ bent ad Baptiſmum. Quidam enim cum majori, qui-
„ dam cum minori devotione ad Baptiſmum accedunt;
„ & ideo quidam plus, quidam minus, de gratia novita-
„ tis accipiunt; ſicut etiam ab eodem igne accipit plus
„ caloris, qui plus ei appropinquat, licet ignis quantum
„ eſt de ſe, æqualiter ad omnes ſuum calorem effundat.

Quæſt. 5. Quænam ſunt bona, quæ nobis affert tertius Baptiſmi effectus, qui eſt reſtitutio innocentiæ?

Reſp. Præcipua ſunt duo. Primum eſt, remiſſio totius pœnæ debitæ peccatis; unde ait Eugenius in Concilio Florentino: „ Effectus Baptiſmi eſt remiſſio omnis pœnæ
„ quæ pro culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro
„ peccatis præteritis injungenda eſt ſatisfactio; ſed mo-
„ rientes, antequam culpam aliquam committant, ſta-
„ tim ad regnum cælorum & Dei viſionem perveniunt ".
Et rationem affert D. Thomas (3. *p. q.* 68. *art.* 2. *in corp.*):
„ Per Baptiſmum, *inquit*, aliquis incorporatur Paſſioni
„ & Morti Chriſti, ſecundum illud Rom. 6. *Si mortui ſu-*
„ *mus cum Chriſto*, *credimus*, *quia ſimul etiam vive-*
„ *mus cum eo*. Ex quo patet, quod omni baptizato com-
„ municatur Paſſio Chriſti ad remedium, ac ſi ipſe paſ-
„ ſus & mortuus eſſet. Paſſio autem Chriſti eſt ſufficiens
„ ſatisfactio pro omnibus peccatis omnium hominum, &
„ ideo ille qui baptizatur, liberatur a reatu totius pœnæ
„ ſibi debitæ pro peccatis, ac ſi ipſe ſufficienter ſatisfe-
„ ciſſet pro omnibus peccatis ſuis.

Alterum est, quod nobis præbet vires contra concupiscentiam, ut ait Glossa (*in illud Rom. 6. Destruitur corpus peccati*): *Per Baptismum*, inquit, *id agitur, ut vetus homo crucifigatur, & corpus peccati destruatur; non ita ut in ipso vivente carnis concupiscentia conspersa & innata repente absumitur, & non sit, sed non obsit mortuo, quæ inerat nato.*

Quæst. 6. Baptismus in voto, quem Theologi vocant Baptismum flaminis, producit-ne eumdem effectum, ac Baptismus fluminis seu aquæ?

Resp. Minime, ut enim ait D. Thomas (3. *p. q.* 68. *art.* 2. *ad* 2.): „ Universalis ablutio fit in perceptione „ Baptismi, & in martyrio, propter quod dicitur, quod „ in martyrio omnia Sacramenta Baptismi complentur; „ scilicet quantum ad plenam liberationem a culpa & a „ pœna. Si quis ergo Catechumenus fit habens desiderium Baptismi, (quia aliter in bonis operibus non „ moreretur, quæ non possunt esse sine fide per dilectionem operante) talis decedens, non statim pervenit „ ad vitam æternam, sed patietur pœnam pro peccatis „ præteritis; ipse tamen salvus erit quasi per ignem, ut „ dicitur 1. ad Cor. 3. "

Et Divus Bonaventura ait (3. *p. Centiloquii, sect.* 49. *de Baptismo*): *in Baptismo flaminis, qui est per pœnitentiam & Spiritus sancti gratiam, purificamur a culpa. In Baptismo fluminis purificamur a culpa, & a satisfactoria pœna. In Baptismo sanguinis purificamur ab omni miseria.*

Quæst. 7. Quinam sunt cæteri Baptismi effectus?

Resp. Baptismus nos efficit idoneos ad alia Sacramenta suscipienda; Unde *Si quis Presbyter*, ut dicitur in Canone (*Can. Si quis, de Presbytero non baptizato*), *Ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur.*

Quæst. 8. Baptismus cum fictione susceptus, producit-ne gratiam, recedente fictione per veram pęnitentiam?

Resp. Per Baptismum ficte susceptum non intelligimus Baptismum simulata & ludicra irrisione collatum, vel receptum, non habentibus ministro & suscipiente intentionem faciendi, quod facit Ecclesia; tunc enim evidens est, non solum Baptismum nullum sortiri effectum, sed nec Baptismi essentiam continere, ad cujus perfectionem intentio faciendi quod facit Ecclesia, cum in ministrante, tum in baptizato, omnino desideratur.

Per Baptisma ergo ficte susceptum, illud intelligitur, in quo quidem omnia ad Sacramenti essentiam pertinentia reperiuntur, & materia debita, & forma solita, & intentio faciendi, quod facit Ecclesia; sed tamen per sacrilegam suscipientis, peccati mortalis conscii, nec vera contritione pęnitentis, voluntatem, non sortitur effectum. His præsuppositis, respondeo, recedente fictione, a Baptismo produci gratiam, ut ait Divus Augustinus relatus in

in Canone (*Can. Tunc valere, de consecr. dist.* 3.); *Tunc valere incipit ad salutem Baptismus, cum illa fictio verace confessione recesserit, quæ corde in malitia vel sacrilegio perseverante, peccatorum abolitionem non sinebat fieri.*

Ratio est, quia licet ficta Sacramentorum susceptio mala sit, ipsa tamen Sacramenta sancta sunt, utpote merita Christi virtualiter continentia: manentque in acceptatione divina, cujus proinde voluntatem movent ad eorum effectum ex merito Redemptoris, sublato obice, conferendum: quamvis enim opus mortuum reviviscere non possit, quod numquam vixit, ac proinde sacrilega Baptismi susceptio vivificari numquam possit; merita tamen Salvatoris, a quibus totam accipiunt Sacramenta virtutem, semper vivunt, & vitam in Sacramento homini tribuunt per pœnitentiam resurgenti: quod egregio exemplo illustrat Divus Thomas (3. *p. q.* 69. *art.* 10. *in corp.*): „ Dicendum, *inquit*, quod Baptismus est quædam spiritualis regeneratio. Cum autem aliquid generatur, simul cum forma recipit effectum formæ, nisi sit aliquid impediens, quo remoto forma rei generatæ perficit suum effectum; sicut simul cum corpus grave generatur, movetur deorsum, nisi sit aliquid prohibens, quo remoto statim incipit moveri deorsum. Et similiter quando aliquis baptizatur, accipit characterem quasi formam, & consequitur proprium effectum, qui est gratia remittens omnia peccata. Impeditur autem quandoque per fictionem: unde oportet, quod remota causa per pœnitentiam, Baptismus statim consequatur suum effectum ".

Confirmatur ex illo Joannis tertio: *Nisi, quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Cælorum:* Unde sic arguo: nemo potest introire in regnum Cælorum, nisi gratia regenerativa, & peccati originalis remissiva perfundatur; sed gratia regenerativa, & peccati originalis remissiva est proprius Baptismi effectus: ergo gratia regenerativa, & peccati originalis remissiva, quæ ficto converso in justificatione tribuitur, virtute Baptismi reviviscentis confertur, cum hujusmodi supernaturalis nativitatis effectus numquam ab Ecclesia, nunquam a Patribus, aliis Sacramentis assertus inveniatur.

CAPUT VII.

De Cæremoniis Baptismi.

Quæst. I. QUare cæremoniæ Baptismi fieri incipiunt extra fores Ecclesiæ?

Resp. Ut ait S. Carolus (*Act. p.* 3. *De Cærem. quæ priusquam minist. exhibentur*); *Ante fores Ecclesiæ, qui Baptismo initiandi sunt, offeruntur, propterea quod*

indigni sunt, qui more Fidelium, domum Dei, antequam Christo Domino se addixerint, ingrediantur.

Quare opus est, ut baptizandus, aut per seipsum, aut per suscipientem, si careat usu rationis, promittat se velle vivere in fide Catholicæ Ecclesiæ, opitulante gratia Dei.

Quæst. 2. Unde impositio nominis, quæ sit baptizato?

Resp. „ Nomine denique, *inquit Sanctus Carolus* „ (Act. p. 4. ibid.), quod parentes imponi volunt, appellatur; quod ostendit, eum, qui Baptismo initiatur, „ Christi Domini servituti addici: cum nominis impositio signum sit dominii: quam ob causam cum vellet „ Deus docere Adam, eum principem & dominum esse „ omnium animantium, ad eum illa adduxit, quibus „ nomina imponeret.

„ Nomen baptizato imponitur, *inquit Catechismus* „ *Con. Trid.* (*De Bapt. precibus & ritibus.*) quod quidem ab aliquo sumendum est, qui propter excellentem „ animi pietatem, & religionem, in Sanctorum numerum relatus est: ita enim facile fiet, ut quivis nominis „ similitudine ad virtutis & sanctitatis imitationem excitetur: ac præterea quem imitari studeat, eum quoque „ precetur, & speret sibi advocatum ad salutem tum „ animi, tum corporis defendendam venturum esse".

Quæst. 3. Quid significat exsufflatio Sacerdotis super puerum?

Resp. Divus Augustinus relatus in Canone ait (*Can. Sicut nostris, de consecrat. dist.* 4.): „ Sicut nostris, fratres charissimi, & parvuli exsufflantur & exorcizantur, „ ut pellatur ab eis diaboli potestas inimica, qua decepit „ hominem, ut possideret homines. Non ergo creatura „ Dei in infantibus exorcizatur, aut exsufflatur; sed ille, sub quo sunt omnes qui sub peccato nascuntur".

Quæst. 4. Quare baptizandus signatur Crucis signo in fronte, & in corde?

Resp. „ Postea signatur, *ut dicitur in Canone* (*Can.* „ *Postea, De consecrat. dist.* 4.), baptizandus signaculo „ sanctæ Crucis, tam in fronte, quam in corde, ut ab „ eo tempore ipse apostata diabolus, in vase suo pristino, suæ interemptionis cognoscens signaculum, jam „ sibi deinceps illud sciat alienum".

Quæst. 5. Quid significat sal, quod imponitur ori baptizandi?

Resp. „ Tunc datur baptizando, *ait Canon* (*Can. Ex* „ *hinc, de consecr. dist.* 5.), sal benedictum in os, ut „ per sal typicum, sapientiæ sale conditus, fœtore careat iniquitatis, & nec a vermibus peccatorum ultra „ putrefiat; sed magis illæsus servetur ad majorem gratiam percipiendam".

Quæst. 6. Quare adhibentur exorcismi super baptizandum?

Resp. „ Dehinc iterum, *ait Divus Gregorius relatus in*

„ Ca-

„ *Canone* (*Can. Dehinc, de consecrat. dist.* 3.), exorci„ zatur diabolus, ut suam nequitiam agnoscens, & ju„ stum super se judicium Dei timens, recedat ab homi„ ne; nec jam contendat eum arte sua subvertere, ne „ Baptismum consequatur; sed magis honorem Deo Crea„ tori suo exhibens, reddat opus factori suo".

Quæst. 7. Quare imponitur saliva auribus, & naribus baptizandi?

Resp. „ Postea saliva oris sui, *inquit S. Carolus* (*Act.* „ *p. De Cæremon. quæ priusquam Baptism. ministretur* „ *adhibentur*), Parochus tangit infantis aures & nares, „ ut aperiantur nares ad accipiendum odorem notitiæ „ Dei & pietatis æternæ, & ad discernendum bonum „ odorem a malo, sanam doctrinam a corrupta; aures „ autem ad audiendum mandata Dei, ut doctrina, quæ „ de ore Altissimi fluxit, per ejus aures intret, & ea „ suaviter oleat ".

Quæst. 8. Quare baptizandus cogitur ante Baptismum satanæ renunciare?

Resp. Ad obediendum dicto Christi, qui dixit in Evangelio (*Matth.* 6. *v.* 24.): *Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo servire, & mammonæ:* qui est Deus opum. Addi potest, quod ait Apostolus (2. *ad Cor. c.* 6. *v.* 15.): *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate: aut quæ societas lucis ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial?*

Quæst. 9. Quare obligatur baptizandus ad renunciandum operibus satanæ?

Resp. „ Primum interrogatur Paganus, *ut dicitur in* „ *Canone* (*Can. Primum de consec. dist.* 4.), si abrenun„ tiat diabolo & omnibus damnosis operibus ejus, atque „ fallacibus pompis: ut primum respuat errorem, & sic „ appropinquet ad veritatem, possitque, juxta Apostolum, „ deponere veterem hominem secundum pristinam con„ versationem qui corrumpitur secundum desideria erro„ ris, abnegans impietatem & sæcularia desideria ". Nam ut ait Divus Augustinus relatus in Canone (*Can. Tres sunt, de Pœnis, dist.* 1.): *Omnis qui jam arbiter voluntatis suæ constitutus est, cum accedit ad Sacramenta fidelium, nisi cum pœniteat vitæ veteris, novam non potest inchoare.*

Quæst. 10. Quid significant pompæ diaboli, quibus renuntiare tenetur baptizandus?

Resp. Pompa diaboli, ut ait Conc. Parif. (6. *lib.* 1. *c.* 10.) *hæc est, quæ pompa mundi, id est, ambitio, arrogantia, vanagloria, omnisque cujuslibet rei superfluitas in humanis usibus: unde plerumque crescit elatio, quæ multoties honestati solet adscribi.* Ita ut omnes Christiani virtute promissi in Baptismo facti teneantur tantum necessaria sumere in usu rerum creatarum: super-

flua quæque respuendo, quæ avaritia, superbia, & sensualitas introduxerunt; ut facile dignosci potest in hominibus mundanis, in illorum vestitu, in mensarum, & cubiculorum apparatu, reliquisque mundanorum hominum ludicris rebus ad voluptatem pertinentibus; in quibus, non sine dedecore nominis Christiani, naturæ corruptæ ostentatur concupiscentia: & hæc sunt pompæ satanæ, quibus non minus quam ipsi satanæ in Baptismo renunciavimus.

Quæst. 11. Tenemur-ne sub pœna peccati stare promissis factis in Baptismo?

Resp. Strictissime tenemur; ut enim ait Sanctus Ephrem Syrus, Edessæ Diaconus (*S. Ephrem, qui floruit 4. sæculi anno 360. in tract. de Abrenuntiatione*); „ Abrenuntiatio, quam in Baptismo fecimus, nominata quidem „ apparet parva; cæterum intellecta admodum magna „ quam qui servare valuerit, beatissimus erit. Paucis „ namque verbis, cuncta quæ nominantur mala, quæque „ odit Deus valere jubemus & abrenuntiamus. Quibus „ omnibus & horum similibus abrenuntiat Christianus qui„ cumque in abrenuntiatione sancti Baptismatis, quæ „ cuncti novimus, opera atque doctrina esse diabolorum. „ Atque hæc cuncta, dum in tenebris essemus, sub po„ testate diaboli, didicimus, priusquam lux affulgeret „ nobis, essemusque adhuc sub peccato venundati. Quan„ do autem benignissimo misericordissimoque Domino pla„ cuit, nos ex hujusmodi liberare errore, visitavit nos „ Oriens ex alto; apparuitque gratia Dei Salvatoris, & „ dedit semetipsum pro nobis commutationem, redemit„ que nos ab errore Idolorum proprio sanguine, & di„ gnatus est regenerare nos per aquam & Spiritum; hæc „ omnia abnegavimus, & veterem hominem una cum „ actionibus suis exuimus, novum vero Adam induimus. „ Præfata igitur hæc opera mala, qui post gratiam in „ sacro Baptismate acceptam fecerit, gratia excidit, „ Christusque tali in peccatis permanenti nihil proderit. „ Auditis, o Christi amatores, quantæ malorum multitu„ dini abrenuntiavimus paucis verbis: atqui hæc ipsa ab„ renuntiatio, & pulchra confessio, exigetur a quocum„ que Christiano in illa die. Scriptum est enim: Quo„ niam *ex verbis tuis justificaberis, & ex verbis tuis* „ *condemnaberis*. Iterumque Dominus ait: *De ore tuo* „ *te judicio, nequam*. Perspicuum est igitur, Fratres, „ quia verba nostra, vel judicatura sint nos, vel justi„ ficatura in hora illa ".

Et ut eloquenter ait D. Chrysostomus (*hom. 21. ad populum Antioch.*) „ Sicut nos servos ementes, ipsos, „ qui venduntur, prius interrogamus, an nobis servire „ velint? ita facit & Christus, quando debet te in ser„ vitutem capere; prius interrogat, an velis illum cru„ delem tyrannum dimittere, & immitem; & a te fœ„ dera suscipit; non enim coactum est ipsius imperium. „ Sed nisi gratiam habeas, & ab ipso, & sponte ejus

„ velis

„ velis dominatui abſcribi, Non cogo, inquit, neque „ compello, & nos quidem improbiſſimos ſervos non eli- „ geremus emere. Quod ſi quando eligeremus, volun- „ tate mala emeremus, & tale pretium erogaremus. Chri- „ ſtus autem ingratos emens ſervos, & iniquos, optimi „ ſervi pretium erogavit: imo vero multo majus, ut „ neque ratio, neque mens ipſius magnitudinem ca- „ piat: non enim cælum, & terram, & mare dans, „ ſed omnibus his pretioſiorem ſanguinem ſuum effun- „ dens, ita nos redemit: & poſt hæc omnia non teſtes „ a nobis, non chirographa exigit, ſed ſola contentus eſt „ voce: & ſi dicas ex corde, Abrenuntio tibi ſatana, „ & pompæ tuæ, totum recipit. Hoc igitur dicamus, „ Abrenuntio tibi ſatana, tamquam in illa die hujus „ vocis rationem reddituri, & ipſam cuſtodiamus, ut „ ſalvum tunc reddamus depoſitum.

„ Et ſicut ſine calceamentis, vel veſtimentis veſtrum „ nemo in forum deſcendere eligeret; ita ſine verbo hoc „ numquam in forum prodeas, ſed cum es januæ veſti- „ bula tranſgreſſurus, hoc prius loquere verbum, Abre- „ nuntio tibi ſatana, & conjungor tibi Chriſte. Nec „ umquam abſque hac voce exeas; hæc erit tibi baculus, „ hæc armatura, hæc turris inexpugnabilis".

Quæſt. 12. Quomodo inſtruendus eſt populus a Parocho circa promiſſiones in Baptiſmo factas?

Reſp. „ De Baptiſmo cum loquetur, *ut ait Divus Ca-* „ *rolus* (*Act. p.* 4. *Concionat. officium in inſtruendis fi-* „ *delibus ad Sanctiſ. Sacram. uſum*) in eo verſabitur, „ ut depravatum vitæ morem fidelium exagitet, qui con- „ tra quam in Baptiſmo ſpoponderint, vivunt & carni „ & mundo, pompiſque ejus, ſatanæ atque illius operi- „ bus, Deo autem mortui ſunt, & tam laborioſa pu- „ tant, quæ Dei ſunt, quam rurſus facilia, quæ mun- „ di, quæ carnis, quæ ſatanæ".

Secundo, inſtruendi ſunt fideles, ut frequenter renovent, quod promiſerunt in Baptiſmate, ſæpe repetentes hæc verba, quæ ſingulis momentis repeti vellet ſanctus Chryſoſtomus, ut mox diximus: *Abrenuntio tibi ſatana, & adhæreo tibi Chriſte.*

Et Concilium Pariſienſe 6. cap. 9. „ Omnibus Fideli- „ bus, *inquit*, ſtudendum eſt, ut pactionis & ſponſionis, „ quam cum Deo in Baptiſmate fecerunt, ſemper memo- „ res exiſtant, caveantque, ne quibuslibet vitiorum ſordi- „ bus ſe maculantes, non ſolum eumdem ſibi reaccen- „ dant ignem; verum etiam immundum ſpiritum a ſe tem- „ pore Baptiſmatis expulſum, cum ſeptenario dæmonum „ numero ſibi addito, ad ſe quoquo modo redire faciant; „ fiantque illis, ut Dominus ait, *noviſſima pejora priori-* „ *bus*; & impleatur in eis, quod beatus Petrus Apoſto- „ lus ait: *Melius enim erat illis non cognoſcere viam* „ *juſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum converti ab* „ *eo, quod traditum eſt illis, ſancto mandato*".

In Ecclesia Mediolanensi, ut refert sanctus Carolus (*Act. p. 4. Ordo Bapt. parvulorum*), Parochus post abrenuntiationes satanæ & pompis ejus, ajebat; *Memor esto sermonis tui, & numquam tibi excidat tuæ series cautionis*: Patrinus respondet: *Memor ero*. Videri potest Tom. 5. tract. 4. c. 2. n. 6.

Quæst. 12. Promissa Baptismi sunt-ne vota?

Resp. Temerarium esset negare, quod promissa Baptismi recte appellari possint vota, cum hoc nomine nuncupata fuerint a sanctis Patribus, a quibus normam loquendi desumit Ecclesia.

Sanctus Augustinus hoc promissum vocat (*in Ep. 59. Ad Paulum*) „ Nostrum votum maximum, quo nos „ vovimus in Christo esse mansuros. *Et exponens hæc* „ *verba Psalmi* 75. Vovete & reddite Domino, *dicit*: „ *Deo nostro* omnes communiter quid debemus vovere? „ Credere in illum, sperare ab illo vitam æternam, „ bene vivere secundum communem modum. *Et in* „ *Psalmum* 131. *ait*: Quid ergo vovimus Deo, nisi ut „ simus templum Dei? nihil gratius ei possumus offer- „ re, quam ut dicamus ei, quod dicitur in Isaia: Possi- „ de nos.

„ Et ut ait Magister sententiarum (*Lib. 4. dist.* 38.): „ Votum aliud est commune, aliud singulare: commu- „ ne est illud, quod in Baptismo omnes faciunt cum „ spondent renuntiare diabolo & pompis ejus ".

Catechismus Concilii Tridentini (*p.* 1. *In Expl.* 2. *art. Symboli Apost. n.* 18.): „ Parochus, *ait*, Fidelem „ populum ad eam rationem cohortabitur, ut sciat, æquis- „ simum esse præ cæteris hominibus, nos qui ab eo no- „ men invenimus, Christianique vocamur, & quanta ille „ in nos beneficia contulerit, ignorare non possumus, ob „ id maxime, quod ejus munere hæc omnia fide intel- „ ligimus, æquum est, inquam, nos ipsos, non secus ac „ mancipia Redemptori nostro & Domino in perpetuum „ addicere & consecrare. Et quidem cum Baptismo ini- „ tiamur, ante Ecclesiæ fores id professi sumus: decla- „ ravimus enim, nos satanæ & mundo renuntiare; & „ Jesu-Christo totos nos tradere. Quod si ut Christianæ „ militiæ adscriberemur, tam sancta & solemni profes- „ sione nos ipsos Domino nostro devovimus, quo sup- „ plicio digni erimus, si, postquam Ecclesiam ingressi „ sumus, Dei voluntatem & leges cognovimus, post- „ quam Sacramentorum gratiam percepimus, ex mundi „ & diaboli præceptis vixerimus, perinde ac si cum in „ Baptismo abluti sumus, mundo & diabolo, non Chri- „ sto Domino ac Redemptori nostro, nomen dedissemus?

Idem asserit Divus Thomas, (*in 4. sent. dist.* 38. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 2.): „ Necessitas, inquit, faciendi „ illa, sine quibus non possumus salutem consequi, non „ excludit omnino votum, invenitur enim quandoque vo- „ tum large accipiendum esse de his, quæ sunt sub tali

„ ne-

„ necessitate. Sed excludit talis necessitas votum proprie „ dictum: & ideo si votum accipiatur secundum pro- „ priam sui rationem, est proprie de bonis illis, ad quæ „ non omnes tenentur, quæ supererogationis sunt".

Idem docet Divus Bonaventura (*in 4. sent. dist. 6. art. 3. q. 1.*) „ Ad illud quod quæritur, utrum obligatio „ parvulorum, quæ fit in Baptismo, sit votum? dicen- „ dum, quod proprie non, quia non est de eo, quod „ supererogationis est; tamen extenso nomine est votum, „ quia est voluntaria obligatio. Non autem facit duplex „ peccatum, quia non obligatur magis, quam prius, de „ necessitate, sed de bono & æquo".

Hæc Divi Thomæ Divique Bonaventuræ dicta, satis clare ostendunt, nulla vota nos magis obligare posse, quam ea, quæ facimus in Baptismo: quoniam ab aliis votis non differunt, nisi quia vota strictius sumpta respiciunt tantum onera supererogationis, quæ per se ad salutem non sunt necessaria; unde in quibusdam circumstantiis ab iis dispensari potest, quoniam majorem tantum hominis Christiani perfectionem spectant, sine qua salvari quis potest. Vota vero in Baptismo facta, de iis sunt, quæ ad salutem ita sunt necessaria, ut ab iis nemo dispensari possit; qui enim ea violat, non modo majori perfectioni hominis Christiani, sed ipsi plane Christianismo renuntiare dici potest.

Quæst. 14. Quare tot unctiones fiunt supra pectus & scapulas baptizandi?

Resp. „ Obsignantur præterea, *inquit sanctus Carolus*, „ (*Act. p. 4. de Cær. quæ priusquam Bapt. ministretur* „ *adhibentur*) oleo sacro figura Crucis pectus & scapula, „ ut intelligamus, eos qui Baptismo initiantur, quasi „ Christi Athletas, ait sanctus Ambrosius, luctamen hu- „ jus sæculi luctaturos: solent enim luctantes inungi. „ Deinde ut sciamus, Baptismi gratiam non nostris me- „ ritis, sed Christi beneficio & gratuita misericordia do- „ nari, quæ oleo significatur. Præterea quia oleum est „ medicamenti species, quandoquidem Samaritanus infu- „ dit in vulnera oleum & vinum: ideo hac unctione de- „ monstratur, intima animæ nostræ vulnera & morbos „ hac medicina curari; fomitemque ipsum, quamvis non „ omnino extinguatur, at certo debilitari: viresque & „ robur spirituale nobis addi, quo satanæ, carnisque „ tentationum impetus depellamus. Pectus præterea un- „ gitur, ut intelligamus mentem animumque divina vir- „ tute corroborari. Scapulæ vero, quia dantur homini „ vires ad jugum Christi Domini ferendum".

Inungitur, inquit idem Sanctus ibidem, *ante & retro, ut undique muniatur & confirmetur ad opera bona præstanda corde & corpore, voluntate & opere.*

Quæst. 15. Quare exigitur a baptizando professio fidei?

Resp. Quia, ut dicitur Marci ultimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Hoc est, requiritur fi-

des ad recipiendam Baptiſmi gratiam, ut explicuimus cap. *6.*

Quæſt. 16. Quare petitur a puero, velit-ne baptizari?

Reſp. Quia conſenſus eorum, qui baptizari debent, requiritur in adultis, ut cap. *6.* expoſuimus, ubi de conditionibus neceſſariis in adulto baptizando egimus.

Quæſt. 17. Quid ſignificat unctio in vertice capitis, quæ fit cum ſacro Chriſmate poſt Baptiſmum?

Reſp. Poſtquam aſcenderit baptizatus de fonte, ut dicitur in Canone (*poſtquam, de conſecrat. diſt.* 4.), *ſtatim ſignatur in cerebro a Presbytero cum ſacro Chriſmate, ſequente ſimul & oratione, ut regni Chriſti particeps fiat, & a Chriſto Chriſtianus poſſit vocari.*

Et ut ait ſanctus Carolus (*Act. p.* 4. *de Cærem. quæ peracto Baptiſmo ſervantur*): „ Inungitur præterea a „ Parocho in vertice ſacro Chriſmate ut intelligat, jun- „ ctum eſſe, atque ejus corpori inſitum, & ea re Chri- „ ſtianum a Chriſto, Chriſtum vero a Chriſmate appellari.

Quæſt. 18. Quare traditur veſtis candida baptizato?

Reſp. „ Poſt Baptiſmum traditur Chriſtiano veſtis can- „ dida, *ut dicitur in Canone* (*Can. poſt Baptiſm. de* „ *conſecr. diſt.* 4.), deſignans innocentiam & puritatem „ Chriſtianam, quam poſt ablutas veteres maculas ſtudio „ ſanctæ converſationis immaculatam ſervare debet, re- „ præſentandam ante tribunal Chriſti: cuncti vero rena- „ ti albis induuntur veſtibus ad myſterium reſurgentis „ Eccleſiæ. Utuntur ergo baptizati albis veſtibus, ut, „ quorum primæ nativitatis faciem vetuſti erroris pan- „ nus fuſcaverat, habitus, ſecundæ generationis gloriæ „ præferat indumentum. Tegitur enim poſt ſacram un- „ ctionem caput ejus myſtico velamine, ut intelligat, „ ſe diademate regni & ſacerdotali dignitate potiri. „ *Quia ut ait Gloſſa* (*Ibid. verbo Ut intelligat*); „ Quilibet fidelis rex debet eſſe & ſacerdos; Rex, quia „ ſe & alios virtutibus regere debet: Sacerdos, quia cor „ contritum & humiliatum, quod eſt vera oblatio, id „ eſt, ſe, debet offerre Deo “.

Quæſt. 19. Quid ſignificat cereus accenſus, qui traditur baptizato, aut ejus Patrino?

Reſp. „ Traditur demum, *ut ait ſanctus Carolus* (*de* „ *Cær. quæ peracto Bapt. ſerv. Act. p.* 4.), baptizato „ in manum cereus ardens: quo cereo ſignificantur tres „ Theologicæ virtutes, quæ ipſi in hoc Sacramento in- „ funduntur, Fides in lumine, Charitas in calore, Spes „ in cerei recta altitudine, quæ furſum aſcendit, ut ſpes „ noſtra ad cælos uſque excitetur, atque erigatur. Id „ præterea quod Baptiſmo nobis fit communicatio lucis, „ & depulſio tenebrarum: ob eamque cauſam Baptiſmus „ Sacramentum illuminationis, & baptizati ii quidem „ illuminati a Patribus dicuntur.

CA-

CAPUT VIII.

De suscipientibus, vulgo Patrinis.

Quæst. 1. QUare Ecclesia requirit Patrinos, qui puerum in Baptismo suscipiant?

Resp. Ut pro puero fidem profiteantur, ac ejus nomine promittant, illum fideliter observaturum, quod promittit: „ Vos ante omnia, *inquit sanctus Augustinus* „ *relatus in Canone* (Can. Vos ante, de consecrat. dist. 4.) „ tam mulieres, quam viros, qui filios in Baptismo su-„ scepistis, moneo, ut vos cognoscatis fidejussores apud „ Deum extitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte „ suscipere: ideoque eos admonete, ut castitatem custo-„ diant, justitiam diligant, charitatem teneant ".

Rationem affert Divus Thomas, cum ait (3. *p. q.* 60. *art.* 5. *in corp.*): „ Dicendum, quod spiritualis regene-„ ratio quæ fit per Baptismum, assimilatur quodammodo „ generationi carnali. In generatione autem carnali par-„ vulus nuper natus indiget nutrice & pædagogo: Unde „ & in spirituali generatione Baptismi requiritur aliquis, „ qui fungatur vice nutricis & pædagogi, informando „ & instruendo eum quasi novitium in fide de his quæ „ pertinent ad fidem & vitam Christianam, ad quod „ Prælati Ecclesiæ vacare non possunt, circa communem „ curam populi occupati. Parvuli enim & novitii indi-„ gent speciali cura præter communem: & ideo requiri-„ tur, quod aliquis suscipiat baptizatum de sacro fonte, „ quasi in suam instructionem & tutelam. Et hoc est, „ quod Dionysius dicit, ult. cap. Eccles. Hierarch. Divi-„ nis nostris ducibus ad mentem venit (id est Aposto-„ lis) & visum est suscipere infantes secundum istum „ sanctum modum, quod naturales pueri parentes trade-„ rent puerum cuidam docto in divinis pædagogo, & re-„ liquum sub ipso puer ageret sicut sub divino Patre & „ salvationis sanctæ susceptore ".

Quæst. 2. Quinam admittendi non sunt in Patrinos aut susceptores?

Resp. Ex sancto Carolo, qui ait (*Act. p.* 2. *in Decretis editis in* 2. *Synodo Decreto* 16.): „ Id curæ sit Pa-„ rochis & reliquis animarum Curatoribus, ut quos compa-„ tres ita rudes esse animadverterint, qui fidei Symbolum, „ Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam „ ignorent, eos hoc munus obire ne patiantur. Est enim ab „ omni ratione alienum, ut, qui se Deo fidejussores con-„ stituunt, ii res illas nesciant, quibus se alios instructu-„ ros esse sancte pollicentur. Denique verisimile est, ut „ qui in seipsis hoc neglexerint, idque culpæ admiserint, „ negligentiores etiam in eo sint, ut alii iis rebus in-„ structiores fiant, quarum ipsi rudes omnino sunt ".

Eodem ducitur motivo Rituale Romanum, (*de Sacr. Bapt.*

Bapt. tit. de Patrinis.) cum ait: „ Sciant præterea Pa-
„ rochi, ad hoc munus non esse admittendos Infideles,
„ aut Hæreticos, non publice excommunicatos, aut in-
„ terdictos, non publice criminosos, aut infames, nec
„ præterea qui sana mente non sunt, nec qui ignorant
„ rudimenta Fidei. Hæc enim Patrini spirituales filios
„ suos, quos de Baptismi fonte susceperint, ubi opus
„ fuerit, opportune docere tenentur ".

Unde etiam in præclara Synodo Albiganensi (*anno* 1690. *tit.* 5. *c.* 3.) statuitur, ut Parochi eos *qui hac propria culpa discere negligunt, absolvere in Confessione sacramentali recusent; neque ad sacramenta Eucharistiæ & Matrimonii, nec etiam ad officium Patrini seu Matrinæ, in sacramentis Baptismi & Confirmationis, ullo modo admittant.*

Quæst. 3. Clerici sæculares aut regulares possunt-ne esse Patrini?

Resp. Clerici regulares non possunt, ut patet ex Can. *Non licet Abbati vel Monacho de Baptismo suscipere filios, vel commatres habere.*

Et ex Rituali Romano (*Can. Non licet, de Cons. d.* 4.) ubi sic legitur: *Præterea ad munus Patrini admitti non debent Monachi vel Sanctimoniales, neque alii cujusvis Ordinis Regulares a sæculo segregati.*

Clerici etiam sæculares non debent illud munus obire, maxime si sint sacris Ordinibus insigniti, cum illud illis prohibitum fuerit a multis Conciliis. Concilium Aquense Anno 1585. De Baptismo: *Compater ne adhibeatur Regularis aliquis, nec Clericus sæcularis sacris initiatus, aut Beneficium Ecclesiasticum obtinens.* Et sanctus Carolus in secunda synodo, Decreto 17. ait: *Clericis, qui sacris Ordinibus initiati sunt, infantem de sacro Baptismi fonte suscipere vetitum sit.*

Quæst. 4. In quanam ætate esse debent Patrini?

Resp. Ut præscribitur in Rituali Romano his verbis: *Hos autem Patrinos saltem in ætate pubertatis, ac Sacramento Confirmationis consignatos esse maxime convenit*: id est, anno 14. completo pro Patrinis & 12. pro Matrinis.

Quæst. 5. Quare requiritur, ut Patrinus confirmatus fuerit?

Resp. Rationem affert sanctus Antoninus, dum ait (3. *p. tit.* 4. *cap.* 1. *& ult.*): „ Nascitur homo in esse spiritua-
„ li per Baptismum, & vivit utique vita gratiæ, sed
„ adhuc est quasi debilis in vita spirituali: sed per
„ Confirmationem vel Chrismationem confirmatur quasi
„ perveniens ad ætatem robustam, ut possit bellare, &
„ fortia agere. Unde ut debilis accedens baptizandus ad
„ hoc debet sustentari ab alio, qui tamen debet esse
„ Chrismatus. Nam debilis non est idoneus ad susten-
„ tandum debilem; ne ambo simul cadant.

Quæst. 6. Quot-nam esse debent, qui puerum de fonte suscipiant, Patrini, aut Matrinæ?

Resp.

Resp. Numerum præfixit Concilium Tridentinum (*Sess.* 14. *de ref. c.* 2.) his verbis: *Volens itaque sancta Synodus huic incommodo providere, & a cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit, ut unus tantum, sive vir, sive mulier, juxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus & una de Baptismo suscipiant.*

Quæst. 7. In quo consistit cognatio, quæ contrahitur in baptismo?

Resp. Ut ait Bonifacius VIII. relatus in Canone (*Can. Nedum de cognat. spirit. in sexto*): „ Nedum inter baptizatum & illum qui eum suscipit de Baptismo, ac „ inter eumdem baptizatum & suscipientis filios & uxorem ante susceptionem carnaliter cognitam ab eodem: imo etiam inter suscipientem patremque baptizati & matrem, cognationem spiritualem in Baptismo „ contrahi jure constat. Quæ cognatio & contrahendum „ matrimonium impedit, & dirimit post contractum: „ & eadem quæ de suscipiente dicta sunt, etiam de Baptizante censenda ". *Nota*, ait Divus Antoninus (3. *p. tit.* 1. *c.* 15. §. 3.), *quod Laicus qui baptizavit aliquem, sive in casu necessitatis, sive extra, non potest contrahere cum illa, quam baptizavit.*

Hic autem observandum est cum sancto Thoma, quod quando asseruimus cum Concilio Tridentino per cognationem spiritualem impediri matrimonium, distinguendum est: „ sicut carnalis cognatio, *ait Divus Thomas*, „ impedit matrimonium; ita spiritualis ex Ecclesiæ statuto (*Rit. Rom. tit. de Patrinis*). Tamen distinguendum est de spiritualis cognatione, quia aut præcessit matrimonium, aut sequitur, si præcessit, impedit contrahendum, & dirimit contractum: si sequitur, tunc non dirimit vinculum matrimonii. Sed quantum ad actum matrimonii, est distinguendum, quia „ aut spiritualis cognatio inducitur causa necessitatis, sicut cum Pater baptizat Filium in articulo mortis; & „ tunc non impedit actum matrimonii ex neutra parte: „ aut inducitur extra casum necessitatis ex ignorantia; „ & tunc si ille ex cujus actu inducitur, diligentiam adhibuit, est eadem ratio, sicut de primo: aut ex industria extra casum necessitatis; & tunc ille ex cujus „ actu inducitur, amittit jus petendi debitum; sed tamen debet reddere, si petatur; quia ex culpa ejus „ non debet aliquod incommodum alius reportare.

Quæst. 8. Contrahitur ne aliqua spiritualis cognatio, „ cum, baptizato jam puero, supplentur tantum cæremoniæ Baptismi?

Resp. Minime: „ Sicut cognatio carnalis, *ait Divus Thomas* (*in suppl.* 3. *p. q.* 56. *art.* 2. *in corp.*), non „ contrahitur, nisi per actum generationis completum; „ unde etiam affinitas non contrahitur, nisi facta commixtione seminum, ex qua potest sequi generatio „ carnalis: spiritualis ita generatio non perficitur, nisi

„ per

„ per aliquod Sacramentum : unde non videtur conve-
„ niens, quod spiritualis cognatio contrahatur, nisi per
„ aliquod Sacramentum ".

Cum igitur non conferatur Sacramentum, cum supplentur tantum cæremoniæ Baptismi, consequens est, quod nulla tunc contrahitur cognatio. Et valde convenit, ut Parochi id dicant susceptoribus, cum dictæ cæremoniæ tantum supplentur, ne in hoc decipiantur.

TRACTATUS TERTIUS. DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

CAPUT PRIMUM.

De definitione, institutione, & necessitate Confirmationis.

Quæst. 1. QUid est Confirmatio?

Resp. Est Sacramentum a Christo Domino institutum, quo baptizati recipiunt specialem gratiam ad propugnandam fidem, per impositionem manuum Episcopi, & unctionem sancti Chrismatis. Hæc definitio sufficienter explicabitur per sequentes quæstiones.

Quæst. 2 Quare hoc Sacramentum dicitur Confirmatio?

Resp. Hoc Sacramentum tripliciter nominatur; quippe vocatur manus impositio, ex modo conferendi ipsum; & dicitur Chrisma, ratione materiæ; & nuncupatur Confirmatio, ratione effectus; ut enim ait Catechismus Concil. Trident. (*De Sacrament. Confirmat.* §. 18.) *Ab eo nomen Confirmationis ei impositum est, quod hujus Sacramenti virtute Deus in nobis id confirmat, quod Baptismus operari cœpit, nosque ad Christianæ soliditatis perfectionem adducit.*

Quæst. 3. Confirmatio est-ne Sacramentum?

Resp. Est de fide, Confirmationem esse Sacramentum, cum id definitum fuerit in Concilio Tridentino sessione 7. Canone 1. De Confirmat. his verbis: *Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, & non potius verum & proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam Catechesim quandam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit.*

Quæst. 4. Quando-nam Christus instituit Sacramentum Confirmationis?

Resp.

Resp. Dicendum est, inquit S. Thomas (3. *p. q.* 72. *ar.* 1. *ad* 1.), *quod Christus instituit hoc Sacramentum non exhibendo, sed promittendo, secundum illud Joannis* 6. Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. *Et hoc ideo, quia in Sacramento datur plenitudo Spiritus-sancti, quæ non erat danda ante Christi Resurrectionem & Ascensionem, secundum illud Joan.* 7. Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus non erat glorificatus.

Quæst. 5. Quare oportet, ut Christiani post Baptismum suscipiant Sacramentum Confirmationis?

Resp. Ratio habetur in Canone (*Can. Spiritus sanctus de consecr. dist.* 5.), ubi legitur: „Spiritus-Sanctus, qui „super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu, in „fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confir„matione augmentum præstat ad gratiam. Et quia in „hoc mundo tota ætate victuris, inter invisibiles hostes „& pericula gradiendum est, & in Baptismo regeneramur „ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam: in „Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur. Et „quamvis continuo transituris sufficiant regenerationis „beneficia, victuris tamen necessaria sunt Confirmatio„nis auxilia. Regeneratio per se salvat mox in pace „beati sæculi recipiendos: Confirmatio autem armat & „instruit ad agones mundi hujus & prælia reservandos“.

Quæst. 6. Est ne necessarium ad salutem suscipere Sacramentum Confirmationis?

Resp. Ut habetur in Catechismo Concilii Tridentini (*de Sacram. Confirm.* §. 2.): „illud in primis dicen„dum est hoc Sacramentum ejusmodi necessitatem non ha„bere, ut sine eo salvus quis esse non possit. Quamquam „vero necessarium non est, a nemine tamen prætermitti „debet: sed potius maxime cavendum est, ne in re sancti„tatis plena, per quam nobis divina munera tam large „impertiuntur, aliqua negligentia committatur; quod „enim omnibus communiter ad sanctificationem Deus pro„posuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum est.„ Hoc autem consonat Canoni ubi legitur (*Can. Omnes, de consecr. dist.* 5.) *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum-sanctum post Baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur; quia cum Spiritus-sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam & constantiam dilatatur.*

Quare ait D. Thomas (3. *p. q.* 72. *art.* 1. *ad* 3.): *Sine Confirmatione potest esse salus, dum tamen non prætermittatur ex contemptu Sacramenti.* Quia etiam de causa in Canonibus pœnitentialibus in quintum præceptum habetur: *Cum filius sine Confirmationis Sacramento moritur, parentes, quorum negligentia id factum est, pœnitentiam agent annos tres.*

Quæst. 7. Quomodo probari potest contra hæreticos, Confirmationem esse Sacramentum novæ legis?

Resp.

Resp. Probatur primo ex his quæ leguntur Actorum cap. 8. v. 9. „ Cum autem audissent Apostoli, qui erant „ Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, „ miserunt ad eos Petrum & Joannem; qui cum venis- „ sent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum san- „ ctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, „ sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. „ Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant „ Spiritum sanctum ".

Iste locus Actuum Apostolorum communiter interpretatur a Patribus de Sacramento Confirmationis. S. Cyprianus ait (*ep. 73. ad Jubajanum*): „ Sed tantummo- „ do quod deerat; id a Petro & Joanne factum est, ut „ oratione pro eis habita, & manu imposita, invocare- „ tur & infunderetur super eos Spiritus sanctus. Quod „ nunc quoque apud nos geritur, ut, qui in Ecclesia ba- „ ptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per no- „ stram orationem, ac manus impositionem, Spiritum- „ sanctum consequantur.

Sanctus Hieronymus in libro quem scripsit contra Luciferianos, his verbis inducit Luciferianum loquentem (*to. 2. in Dial. adversus Luciferianos*): „ An nescis et- „ iam Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea „ manus imponantur, & ita invocetur Spiritus sanctus? „ Exigis, ubi scriptum sit? In Actibus Apostolorum; „ etiamsi scripturæ authoritas non subesset, totius orbis „ in hanc partem consensus, instar præcepti obtineret: „ nam alia quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, „ authoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt.

„ Non quidem abnuo (*Catholicus Respondet*), hanc „ esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe „ in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos ba- „ ptizati sunt, Episcopus ad invocationem Sancti-Spiritus „ manum impositurus excurrat.

Et Innocentius Papa I. qui vivebat initio quinti sæculi, ex hoc loco Actuum Apostolorum probat, quod Sacramentum Confirmationis non debet conferri, nisi ab Episcopis; „ Hæc autem, ait (*Innoc. I. ep ad Decentium*), „ Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Pa- „ racletum Spiritum tradant, non solum consuetudo Ec- „ clesiastica demonstrat, verum & illa lectio Actuum „ Apostolorum, quæ asserit, Petrum & Joannem esse di- „ rectos, qui jam baptizatis traderent Spiritum sanctum. „ Nam presbyteris Chrismate baptizatos ungere licet, „ non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis „ debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum.

Tandem Erasmus in suis eruditis Commentariis in novum Testamentum, explicans caput octavum Actuum Apostolorum ait; „ Cæterum, ubi rumor jam pertulis- „ set Jerosolymam ad Apostolos, qui ibi resederant, „ Samariam per Philippum amplexam esse sermonem „ Evangelicum, gentem crassam, nec omnino puram ab

„ ido-

„ idololatria; vehementer gavisi, miserunt ad illos A- „ postolorum præcipuos, Petrum & Joannem, ut per „ hos comprobaretur & absolveretur, quod per Philip- „ pum erat cœptum. Qui cum eo venissent, didicis- „ sentque, quod plurimi per Philippum essent baptizati, „ gratias egerunt Deo. Philippus autem, quique cum „ illo erant, rogaverunt Apostolos pro illis, ut accipe- „ rent Spiritum-sanctum: ut qui per baptismum jam es- „ sent a peccatis purgati, copiosius etiam Dei donum ac- „ ciperent; quemadmodum acceperant illi, qui primi in „ cœnaculo Spiritum-sanctum acceperant; nondum enim „ in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum „ erant in nomine Domini Jesu. Erat hæc potestas Dia- „ conis delegata, sed impositio manuum, per quam „ conferebatur Spiritus-sanctus, solis Apostolis & eorum „ Vicariis servabatur ".

CAPUT II.

De materia, forma & Ministro Confirmationis.

Quæst. I. QUænam est materia Sacramenti Confirmationis?

Resp. In hoc Sacramento, sicut & in aliis, duplex distinguitur materia; proxima, & remota: *Materia remota hujus Sacramenti*, ut ait Divus Carolus, (*act. p.* 4. *de Sacr. Confir.*), *est Chrisma, quod ex oleo & balsamo, solemni Episcopi consecratione conficitur.*

Rationem affert Divus Thomas, cum dicit (3. *p. q.* 72. *ar.* 2. *in corp.*): „ Chrisma est conveniens materia „ hujus Sacramenti. Sicut enim dictum est, in hoc Sa- „ cramento datur plenitudo Spiritus-sancti ad robur spi- „ rituale, quod competit perfectæ ætati; homo autem „ cum ad perfectam ætatem pervenerit, incipit jam com- „ municare actiones suas ad alios; antea vero quasi singu- „ lariter ipsi sibi vivit, gratia vero Spiritus-sancti in oleo „ designatur, unde Christus dicitur esse unctus oleo læ- „ titiæ propter plenitudinem Spiritus-sancti, quam ha- „ buit; & ideo oleum competit materiæ hujus Sacramen- „ ti. Admiscetur autem balsamum propter fragrantiam „ odoris, quæ redundat ad alios. Unde Apostolus dicit „ 2. ad Corinth. cap. 2. *Christi bonus odor sumus Deo*, „ *&c.* Et licet multa alia sint odorifera, tamen præci- „ pue accipitur balsamum, propter hoc quod habet præ- „ cipuum odorem, & quia etiam incorruptionem præ- „ stat. Unde Eccl. 24. dicitur: *Quasi balsamum non* „ *mixtum odor meus*.

Materia proxima hujus Sacramenti est unctio, quam facit Episcopus cum Chrismate in modum Crucis super frontem Confirmandi, & impositio manuum.

Quæst. 2. Quænam est forma Sacramenti Confirmationis?

Resp. Forma hujus Sacramenti consistit in verbis, quæ profert Episcopus, cum applicat unctionem Chrismatis; nempe, *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti* (*Pontificale Rom.*).

Advertendum tamen est, nos hic loqui de materia & forma Confirmationis juxta communiter receptam Theologorum & Canonistarum sententiam: non tamen improbamus sententiam aliquorum Theologorum, qui asserunt, materiam & formam a nobis allatas esse tantum accidentales, non vero essentiales huic Sacramento; cujus materia & forma essentiales apud ipsos, sunt impositio manuum Episcopi & oratio quæ additur huic manuum impositioni.

Quæ Doctrina videtur esse conformis Scripturæ Sacræ & Traditioni. Dicitur enim Act. 8. *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum-sanctum; tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum-sanctum.*

Tertullianus lib. de Baptismo, cap. 8. ait: „ Dehinc „ manus imponitur per benedictionem advocans & invitans Spiritum sanctum ". Sanctus Cyprianus epist. 73. „ Nunc quoque apud nos geritur, ut, qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem ac manuum impositionem Spiritum-sanctum consequantur ". S. Hier. Dial. adversus Lucifer. S. Chrysostomus in cap. 8. Act. & in cap. 6. ad Hebr. S. Aug. 15. lib. de Trinitate, capit. 26. „ Apostoli orabant, ut veniret Spiritus-sanctus in eos, quibus manum „ imponebant; quem morem in suis Præpositis etiam nunc „ Ecclesia servat ". Idem habet in expositione Epist. ad Rom. lib. 3. de Baptismo, cap. 16. ex Tract. 6. in Joann.

Concilium Moguntinum an. 1559. c. 17. „ Ea vero, „ *inquit*, ut erant a Christo promissa, ipsis Apostolis in „ die Pentecostes exhibita, & ab eisdem per manus impositionem in alios transfundi cœpta, actus ipsorum satis testantur: unde Ecclesia Catholica Spiritum-sanctum „ per manus Episcoporum Fidelibus tradendi normam „ accepit ".

Concilium Narbonense ann. 1609. „ Sanctorum Constitutionibus, *inquit*, constat, nos in Baptismo regenerari ad vitam, & post Baptismum in hoc Sacramento „ (Confirmationis) quo per impositionem manuum Episcopi Spiritus-sanctus diffunditur in corda Fidelium, „ robur atque fortitudinem dari ".

Quæst. 3. Benedictio Chrismatis facta ab Episcopo, estne necessaria ad validitatem Sacramenti Confirmationis? an requiritur tantum ad solemnitatem, uti est Benedictio aquæ in Sacramento Baptismi?

Resp. Benedictio Chrismatis ab Episcopo est necessaria ad validitatem hujus Sacramenti; quod quidem probatur authoritate Innocentii III. relati in Canone (*Can. Presbyter. De Consecrat. dist.* 4.): *Presbyteris*, inquit, *Chrisma-*

Chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum: non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum.

Cujus rationem affert D. Thomas (3. *p. q.* 72. *art.* 3. *in corp.*) cum ait: „ Dicendum, quod tota Sacramentorum sanctificatio a Christo derivatur. Est autem considerandum, quod quibusdam Sacramentis habentibus materiam corpoream Christus est usus, scilicet Baptismo & etiam Eucharistia: & ideo ex ipso usu Christi, materiæ horum Sacramentorum aptitudinem acceperunt ad perfectionem Sacramenti. Unde Chrysostomus dicit, quod numquam aquæ Baptismi purgare peccata credentium possent, nisi tactu Dominici corporis sanctificatæ fuissent. Et similiter ipse Dominus accipiens panem, benedixit: similiter autem & Calicem, ut habetur Matth. 26. & Luc. 22. Et propter hoc non est de necessitate horum Sacramentorum, quod materia prius benedicatur, quia sufficit benedictio Christi: si qua vero benedictio adhibeatur, pertinet ad solemnitatem Sacramenti, non autem ad necessitatem. Unctionibus autem visibilibus Christus non est usus, ne fieret injuria invisibili unctioni, qua est unctus præ consortibus, *Ps.* 44. & ideo tam Chrisma, quam oleum sanctum infirmorum, prius benedicuntur, quam adhibeantur ad usum Sacramenti “.

Quæst. 4. Quisnam est minister Sacramenti Confirmationis?

Resp. Solus Episcopus, ut habetur in Canone (*Can. Manus, de Consecr. dist.* 5.): „ Manus quoque impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi a summis Sacerdotibus; nec tempore Apostolorum ab aliis quam ab ipsis Apostolis legitur aut scitur peractum esse, nec ab aliis quam illis, qui eorum tenent locum, umquam perfici potest aut fieri debet. Nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur & vacuum, & inter Ecclesiastica numquam reputabitur Sacramenta “.

Revera, ut dicitur Actuum Apostolorum cap. 8. „ Cum audissent Apostoli qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem: qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum-sanctum. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum-sanctum. Episcopi autem sunt successores Apostolorum, non autem Sacerdotes “.

Quæst. 5. Quare hoc Sacramentum a solis Episcopis conferri potest?

Resp. Ratio Divi Thomæ sumitur ex hujus Sacramenti dignitate (3. *p. q.* 72. *art.* 11. *in corp.*): „ Dicendum, *ait*, quod in quolibet opere ultima con-

„ sum-

„ summatio supremæ arti, aut virtuti reservatur: hoc au-
„ tem Confirmationis Sacramentum est quasi ultima con-
„ summatio Sacramenti Baptismi, ita scilicet quod per Ba-
„ ptismum ædificatur homo in domum spiritualem, &
„ conscribitur quasi quædam spiritualis Epistola. Sed per
„ Sacramentum Confirmationis quasi domus ædificata in
„ templum Spiritus-sancti, & quasi Epistola conscripta
„ signatur signo Crucis, & ideo collatio hujus Sacramenti
„ Episcopis reservatur, qui obtinent summam potestatem
„ in Ecclesia. Sicut & in primitiva Ecclesia, per impo-
„ sitionem manus Apostolorum, quorum vicem gerunt
„ Episcopi, plenitudo Spiritus-sancti dabatur, ut habetur
„ Act. 8. Unde Urbanus Papa dicit, Can. *Omnes*, de
„ Consecr. dist. 5. Omnes Fideles per manus impositio-
„ nem Episcoporum, Spiritum-sanctum post Baptismum
„ accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur.

Quæst. 6. Potest-ne aliquando licere Presbyteris admi-
nistrare Sacramentum Confirmationis?

Resp. Id speciali commissione summi Pontificis fieri
posse videtur, ut patet ex Divo Gregorio, qui scribens
ad Januarium Episcopum, ait (*l.* 3. *ep.* 26.): „ Perve-
„ nit ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quod Presbyte-
„ ros Chrismate tangere eos, qui baptizati sunt, prohibui-
„ mus. Et nos quidem secundum veterem usum nostræ Ec-
„ clesiæ fecimus; sed si omnino hac de re aliqui contristan-
„ tur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus
„ baptizatos Chrismate tangere debeant, concedimus.

Hoc autem, ut ait D. Thomas (*q.* 72. *art.* 1. *ad* 1.), *ex plenitudine potestatis concessit B. Gregorius Papa, quod simplices Sacerdotes hoc Sacramentum conferrent.*

Refertur etiam in Decreto Eugenii IV. in Concilio Florentino: *Per Apostolicæ sedis dispensationem, ex rationabili & urgenti admodum causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto, hoc Sacramentum Confirmationis aliquando administrasse.*

CAPUT III.

De Dispositionibus ad Confirmationem, & de ejus effectibus.

Quæst. 1. QUid agendum est a Parochis, cum mandatum acceperunt ab Episcopo præparandi sibi subditos ad Confirmationem suscipiendam?

Resp. Ex sancto Carolo (*Act. p.* 1. *tr. Quæ pertinent ad Sacr. Confir.*): „ Parochi, animarumque Curatores popu-
„ lum doceant, quanto religionis studio suscipiendum sit
„ Confirmationis Sacramentum, cujus ministrandi solus
„ Episcopus ordinariam potestatem habet: Videant item,
„ ne quis eorum, qui sibi in curam traditi sunt, illud
„ suscipere negligat. Quare præmoneant, quod etiam
„ Concilii Wormatiensis Canone sancitum est, ut qui-
„ cum-

„ cumque inter Parochiæ ſuæ fines habitant, neque con-
„ firmati adhuc ſunt, illud omnes ſuſcipiant qui ætate
„ ſunt, qua Epiſcopus eos duxerit eſſe debere, qui ad
„ hoc Sacramentum tunc accedant. Elaborent præterea
„ iidem, ut qui adulta ætate confirmandi ſunt, primo
„ de peccatis confiteantur; tunc etiam admoneant ut je-
„ juni illud ſuſcipiant, cum mane miniſtratur ".

„ Reliqua etiam diligenti cohortatione denuntient,
„ quæ ad hoc Sacramentum recte ſancteque ſuſcipiendum
„ pertinent ".

Quæſt. 2. Quænam ſunt diſpoſitiones neceſſariæ ad valide ſuſcipiendam Confirmationem?

Reſp. Conſtat, Confirmationem non poſſe valide adminiſtrari, niſi baptizatis; ut enim ait Divus Thomas (*p. q. 72. art. 6. in corp.*): „ Dicendum, quod chara-
„ cter Confirmationis ex neceſſitate præſupponit chara-
„ cterem Baptiſmalem: ita ſcilicet, quod ſi aliquis non
„ baptizatus confirmaretur, nihil reciperet, ſed oporteret
„ iterato ipſum confirmari poſt Baptiſmum. Cujus ratio
„ eſt, quia ſic ſe habet Confirmatio ad Baptiſmum, ſic-
„ ut augmentum ad generationem. Manifeſtum eſt au-
„ tem, quod nullus poteſt promoveri in ætatem perfe-
„ ctam, niſi primo fuerit natus: & ſimiliter niſi primo
„ aliquis fuerit baptizatus, non poteſt Sacramentum
„ Confirmationis accipere ".

Quæſt. 3. Quanam ætate ſuſcipiendum eſt hoc Sacramentum?

Reſp. Ex Catechiſmo Romano (*p. 2. de Sacr. Confir.* §. 15.): „ Illud obſervandum eſt, omnibus quidem poſt Ba-
„ ptiſmum Confirmationis Sacramentum poſſe admini-
„ ſtrari: ſed minus tamen expedire hoc fieri, ante-
„ quam pueri rationis uſum habuerint. Quare ſi duode-
„ cimus annus non expectandus videatur, uſque ad ſe-
„ ptimum certe hoc Sacramentum differre maxime con-
„ venit ".

Idem ſtatuit Sanctus Carolus (*Conc. Mediol. de iis quæ pertinent ad Sacr. Confir. adm.*): *Minori ſeptennio Confirmationis Sacramentum nemini præbeatur*.

Quæſt. 4. Licet-ne unquam adminiſtrare hoc Sacramentum pueris ante ſeptennium?

Reſp. Ut ait Divus Carolus (*Conc. Med. 5. tit. Quæ ad Confir. Sacr. pertinent*): „ Si Epiſcopus ob aliquam
„ cauſam juſtam, atque adeo neceſſariam, parvulo &
„ infanti, qui non modo ætatem ſeptem annorum ex-
„ pleat, ſed ne attingat quidem, miniſtrandum aliquando
„ cenſuerit, ne ſit vetitum. Iis vero minoribus natu at-
„ que adeo parvulis, ſi quandoque miniſtrabitur, eorum
„ parentes, vel qui curam gerunt, Parochus moneat,
„ ut ætate procedente eos de ea re certiores faciant, ne
„ parentibus, curatoribuſque poſtea mortuis, ipſi ali-
„ quando dubitent, an hoc Sacramentum, quod iterari
„ nefas eſt, ſuſceperint ".

Quæſt.

Quæst. 5. Quanam ex causa licet administrare hoc Sacramentum ante septennium?

Resp. Licet, cum aliquis puer versatur in periculo mortis, ne decedat sine gratia Confirmationis: ut enim ait Hugo de sancto Victore relatus a Divo Thoma (3. *p. q.* 72. *art.* 8. *ad* 4.): *Omnino periculosum esset, si ab hac vita sine Confirmatione migrare contingeret: non quia damnaretur, nisi forte propter contemptum; sed quia detrimentum perfectionis pateretur. Unde etiam pueri confirmati decedentes, majorem gloriam consequuntur, sicut & hic majorem obtinent gratiam.*

Hoc autem consonat Glossæ in Canone (*Glossa De Consec. dist.* 5. *verbo in Confirmatione*), *Ut jejunii; Numquid minorem habebit gloriam parvulus non Confirmatus? videtur, quod sic, quia in Confirmatione datur augmentum gratiæ.*

Quæst. 6. Requiritur ne status gratiæ ad suscipiendum Sacramentum Confirmationis, hoc est, ad recipiendam gratiam cum charactere?

Resp. Est absolute necessarius: ut enim ait sanctus Antoninus (3. *p. tit.* 14 *c.* 3. §. 1.): „ Advertendum, quod „ si quis renuntiasset juri suo alicujus dignitatis, confir- „ matio nihil vel modicum sibi valeret, nisi sibi jus red- „ deretur: sic in proposito, qui renuntiat gratiæ Baptis- „ mali, quod fit per mortale commissum, postea acce- „ dens ad Confirmationem cum eo, non confirmaretur in „ gratia, nec augeretur sibi gratia; imo mortaliter pecca- „ ret, & magis debilitaretur in anima, quamvis chara- „ cterem reciperet indelebilem; & hoc nisi restitueretur sibi „ prius gratia amissa, quod non fit, nisi per pœnitentiam".

Quæst. 7 Quænam sunt aliæ dispositiones necessariæ ad recipiendum fructuose hoc Sacramentum?

Resp. Illas dilucide explicat Divus Carolus his verbis (*Act. p.* 4. *de præpar. ante minist. Sacram. Confirm.*); „ Illud vero Parochus maxime hortabitur, ut huic Sa- „ cramento, cum Spiritus sancti gratia uberrime confera- „ tur, ad eam consequendam se jejuniis, eleemosyna, „ qui per facultates possunt, aliisque pietatis officiis & „ operibus parent; atque in primis frequentiori & arden- „ tiori religiosæ orationis studio devote sese exerceant, „ exemplo sanctorum Apostolorum, qui dum expectarent „ Spiritum sanctum, perseverantes erant in oratione & „ jejunio. Sed efficiet saltem, ut pridie diei Confirma- „ tionis jejunent, qui possunt".

Et ut ait Catechismus Concilii Tridentini (*p.* 2. *de Confir. Sacram.* §. 4.): „ Qui adulta jam ætate confirmandi sunt, „ siquidem hujus Sacramenti gratiam & dona consequi cu- „ piant, eos non solum fidem & pietatem afferre, sed gra- „ viora etiam peccata, quæ admiserunt, ex animo dolere „ oportet. Qua in re elaborandum est, ut peccata etiam „ prius confiteantur, & Pastorum cohortatione ad jejunia „ & alia pietatis opera suscipienda incitentur".

Quæst.

Quæst. 8. Quinam sunt effectus hujus Sacramenti?

Resp. Tres sunt hujusmodi effectus; Primus communis aliis Sacramentis est, quod producit augmentum gratiæ in suscipiente, modo cum debitis dispositionibus illud suscipiat; ut enim habetur in Canone (*Can. Spiritus-sanctus de Consec. dist.* 5.): „ Spiritus-sanctus in fonte Baptismi „ plenitudinem tribuit ad innocentiam: in Confirmatione „ augmentum præstat ad gratiam. In Baptismo regeneramur ad vitam: post Baptismum confirmamur ad pugnam. „ In Baptismo abluimur: post Baptismum roboramur".

Secundus effectus hujus Sacramenti peculiaris est, quod perficit gratiam Baptismalem, & corroborat, seu confirmat, addendo vires spirituales ad tuendam interius fidem adversus omnes carnis tentationes, & exterius adversus inimicos fidei, etiam cum periculo vitæ, ut videtur in Canone mox citato.

Tertius hujus Sacramenti effectus est, quod imprimit in anima suscipientis characterem spiritualem, & indelebilem, ut definitum est in Conc. Tridentino, sess. 7. Can. 9. Quare, ut ait Gregorius II. relatus in Canone (*Can. De homine, de Consecr. dist.* 5.): *De homine qui a Pontifice confirmatus fuerit, denuo illis talis iteratio prohibenda est.*

„ In Confirmatione, *ait Divus Thomas* (3. *p. q.* 72. „ *art.* 5. *in corp.*), accipit homo potestatem ad agendum „ ea quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes „ fidei, sicut patet exemplo Apostolorum, qui antequam „ plenitudinem Spiritus-sancti acciperent, erant in cœnaculo perseverantes in oratione; postmodum vero egressi non verebantur publice fidem fateri, etiam coram inimicis fidei Christianæ; & ideo manifestum est, „ quod in Sacramento Confirmationis imprimitur character".

CAPUT IV.

De cæremoniis Sacramenti Confirmationis.

Qu. 1. QUare requiritur, ut aliquis teneat Confirmandum, ipsumque sistat Episcopo?

Resp. Ex Divo Thoma (3. *p. q.* 94. *art.* 10. *in corp.*): „ Dicendum, quod, sicut dictum est, hoc Sacramentum „ exhibetur homini ad robur pugnæ spiritualis. Sicut autem aliquis de novo natus indiget instructione in iis „ quæ pertinent ad conversationem vitæ, secundum illud Heb. 12. *Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, & reverebamur eos*: ita illi qui assumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus, a quibus instruantur de his quæ pertinent ad modum certaminis; „ & ideo in bellis materialibus constituuntur Duces & „ Centuriones, per quos alii gubernentur. Et propter „ hoc etiam ille qui accipit hoc Sacramentum, ab alio „ tenetur, quasi per alium in pugna spirituali erudiendus.

„ dus. Similiter quia per hoc Sacramentum confertur
„ homini perfectio spiritualis ætatis, sicut dictum est,
„ ideo ille qui ad hoc Sacramentum accedit, sustenta-
„ tur, quasi spiritualiter imbecillis & puer".

Hic autem nota, quod qui non est baptizatus, vel non confirmatus, non debet esse susceptor in Sacramento Confirmationis; quia tenens aliquem ad Confirmationem, tenet eum tamquam infirmum, & adhuc imbecillem; hoc autem fieri non potest a non confirmato, cum sit ipse etiam imbecillis, & infirmus. Quare non confirmatus non potest esse patrinus in Sacramento Confirmationis.

Statuitur etiam in Concilio Neapolitano (*anno* 1699. *tit.* 3. *c.* 3. *n.* 2.): „ Ne sacramentorum sanctitas, aut
„ turpiter ignorari, aut nefarie contemni videatur, da-
„ mnat Sancta Synodus impudentem earum licentiam,
„ quæ sæculi luxu, & procaci corporis cultu, ac satanæ
„ pompis affluentes, quibus in Baptismo renunciarunt,
„ ad Confirmationem accedunt, easque repellendas esse
„ decernit, sive Confirmandæ sint, sive Matrinæ".

Quæst. 2. Contrahitur-ne aliqua affinitas in Sacramento Confirmationis, sicut in Baptismo?

Resp. Ut ait Bonifacius Papa relatus in Canone (*Cap. Nedum de Cognat. spirituali n.* 6.), omnino contrahitur; sic enim ait: *Ex Confirmatione quoque, seu frontis Chrismatione, spiritualis cognatio eisdem modis contrahitur, matrimonia similiter impediens contrahenda, & dirimens post contracta.*

Et Concilium Tridentinum (*Sess.* 24. *de reform. Matr. c.* 3.) ait: *Ea quoque cognatio, quæ Confirmatione contrahitur, Confirmantem & Confirmatum, illiusque Patrem & Matrem, ac tenentem non egrediatur.*

Quæst. 3. Quid significat alapa, quam Episcopus leviter infligit confirmato?

Resp. „ Episcopus, *inquit Sanctus Carolus* (*act. part.*
„ 4. *de Sacr. Confirm.*), eum leviter in maxilla cædit,
„ quem Chrismate confirmat, ut sciat homo Christia-
„ nus, se jam militem esse, cujus pugna & victoria e-
„ luceat in patiendis injuriis, non in illis inferendis; de-
„ inde se in Christiana militia constitutum esse, in qua
„ non hujus vitæ jucunditates & commoda quærat; sed
„ incommoda potius, atque adeo mala multa patienter
„ ferat. Ac præterea intelligat, officii sui esse, in acie
„ stare, telaque unde veniant, observare; ita ut, quam-
„ vis illis telorum ictibus corpus, honor, opesque læ-
„ dantur, anima tamen nullo pacto offendatur".

Quæst. 4. Quare Episcopus Confirmatum signat Chrismate signo Crucis in fronte?

Resp. „ In Sacramento Confirmationis, *ait Divus*
„ *Thomas* (3. *p. q.* 72. *art.* 9. *in corp.*), homo accipit
„ Spiritum sanctum ad robur spiritualis pugnæ, ut forti-
„ ter etiam inter adversarios fidei Christi fidem confi-
„ teatur. Unde convenienter signatur Chrismate signo

„ cru-

„ crucis in fronte, propter duo. Primo quidem, quia „ insignitur signo Crucis, quod quidem habet esse evidens „ & manifestum: inter omnia autem loca corporis hu„ mani, maxime frons manifesta est, quæ quasi num„ quam obtegitur: & ideo linitur Confirmatus Chrisma„ ti in fronte, ut in manifesto demonstret se esse Chri„ stianum: sicut & Apostoli post acceptum Spiritum-san„ ctum se manifestaverunt, qui prius in cœnaculo late„ bant. Secundo, quia aliquis impeditur a libera con„ fessione nominis Christi propter duo, scilicet propter „ timorem & propter verecundiam; utriusque autem ho„ rum signum maxime manifestatur in fronte propter „ duo, scilicet propter propinquitatem imaginationis, & „ propter hoc, quod spiritus a corde directe ad frontem „ ascendunt: unde verecundati erubescunt, timentes au„ tem pallescunt. Et ideo in fronte signatur Chrismate, „ ut neque propter timorem, neque propter erubescen„ tiam, nomen Christi confiteri prætermittat".

Quæst. 5. Quare Episcopus pacem dat Confirmato?

Resp. Ex sancto Carolo (*Act. p.* 4. *de Sacram. Confirm.*); *Parochus postremo pacem Confirmatis dari ostendat, ut intelligant se gratiæ plenitudinem, & pacem, quæ exsuperat omnem sensum, consecutos esse.*

Videatur in fine hujusce Tomi tertii Instructio pro Sacramento Confirmationis vulgari lingua exarata, jussu summi Pontificis Clementis XI.

TRACTATUS QUARTUS
DE
SACRAMENTO
EUCHARISTIÆ.

Caput Primum.

Nomen, essentia, dignitas, ac definitio Sacramenti Eucharistiæ.

Quæst. I. QUibusnam præcipuis nominibus insignitur Eucharistiæ Sacramentum?

Resp. „ Hoc Sacramentum, *ait Divus Thomas*, (3. *p.* „ *q.* 75. *art.* 3. *in corp.*), habet triplicem significationem. „ Unam quidem respectu præteriti, in quantum scilicet „ est commemorativum Dominicæ Passionis, quæ fuit „ verum Sacrificium, & secundum hoc nominatur Sacri„ ficium. Aliam autem significationem habet respectu rei „ præsentis, scilicet Ecclesiasticæ unitatis, cui homines

„ aggregantur per hoc Sacramentum : & ſecundum hoc
„ nominatur Communio ſeu Synaxis. Dicit enim Dama-
„ ſcenus 4. lib. de fide Orthodoxa cap. 14. quod dicitur
„ Communio, quia communicamus per ipſam Chriſto,
„ & quia participamus de ejus carne & Deitate, & quia
„ communicamur & unimur ad invicem per eam. Ter-
„ tiam ſignificationem habet reſpectu futuri, in quan-
„ tum ſcilicet hoc Sacramentum eſt præfigurativum frui-
„ tionis Dei, quæ erit in patria; & ſecundum hoc dici-
„ tur Viaticum, quia hic præbet nobis viam illuc per-
„ veniendi: & ſecundum hoc etiam dicitur Euchariſtia,
„ id eſt, bona gratia, quia, *Gratia Dei vita æterna*,
„ dicitur Rom. 6. vel quia realiter continet Chriſtum,
„ qui eſt plenus gratia. Dicitur etiam in Græco Meta-
„ lepſis, id eſt, aſſumptio, quia ut Damaſcenus dicit,
„ per hoc Filii Deitatem aſſumimus".

Secundam ejus ſignificationem innuit Apoſtolus, cum ait (1. *ad Cor. v.* 10. *c.* 17.): *Quoniam unus Panis, unum Corpus multi ſumus, omnes qui de uno Pane participamus.*

Dicitur etiam in Catechiſmo Concilii Tridentini (*p.* 1. *de Euch. Sac. n.* 4.), „ Sacramentum pacis & cha-
„ ritatis; ut intelligeremus, quam indigni ſunt Chriſtia-
„ no nomine, qui inimicitias exercent, odiaque, diſſi-
„ dia, & diſcordias, ut teterrimas Fidelium peſtes, o-
„ mnino exterminandas eſſe, cum præſertim quotidiano
„ Religionis noſtræ ſacrificio, nihil nos ſtudioſius ſerva-
„ re, quam pacem & charitatem, profiteamur".

Quæſt. 2. Euchariſtia eſt-ne Sacramentum?

Reſp. Eſt de fide, Euchariſtiam eſſe Sacramentum, cum id finitum fuerit in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. in cap. *Firmiter*, *De ſumma Trinitate*; & cap. 1. & 2. ſeſſ. 13. Conc. Trid. & ut ait ſanctus Antoninus (3. *p. tit.* 34. *c.* 1. *in princ.*); „ Euchariſtia eſt ma-
„ ximum Sacramentum quoad eſſentiam, licet quædam
„ alia dicantur majora ſecundum alios reſpectus; unde
„ verſus; Major in effectu Baptiſmus: Corpus in eſſe:
„ Conjugium ſigno majus; ſed Chriſma Miniſtro".

Quæſt. 5. Quid eſt Euchariſtia?

Reſp. Eſt novæ legis Sacramentum, continens ſub ſpeciebus Panis & Vini Corpus & Sanguinem Domini noſtri Jeſu-Chriſti vi verborum conſecrationis, inſtitutum ad ſpiritualem hominis refectionem.

Hæc definitio complectitur materiam cum dicitur, *Sacramentum Corporis & Sanguinis Jeſu-Chriſti*: formam, cum dicitur, *Vi verborum conſecrationis*, quæ ſunt forma hujus Sacramenti; *Inſtitutum*, ſignificat cauſam efficientem, quæ eſt Chriſtus: *Ad ſpiritualem hominis refectionem*, ſignificat cauſam finalem, quia eſt finis & effectus hujus Sacramenti. Hæc definitio ſatis clara eſt, nec ulteriori indiget explicatione; plenius tamen patebit ex infra dicendis in Capitibus ſequentibus.

Quæſt.

Quæst. 4. In quonam proprie consistit Sacramentum Eucharistiæ?

Resp. De fide est, definitum in Concilio Tridentino, Eucharistiam non consistere in re aliqua transeunte, cujusmodi sunt verba consecrationis, & usus qui fit hujus Sacramenti, in ejus sumptione, fractione, distributione, &c. sed consistere in aliqua re permanente: „ *Si quis* „ *dixerit, ait Concilium Tridentinum* (sess. 13. Can. 4.), „ peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacra„ mento non esse Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu„ Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem „ ante vel post, & in hostiis seu particulis consecratis, „ quæ post Communionem reservantur, vel supersunt, non „ remanere verum Corpus Domini, anathema sit".

Et consequenter hoc Sacramentum ab aliis differt, quia illa consistunt in actione transeunte, quæ est applicatio formæ ad materiam, ut Baptismus in ablutione; ita ut non existant, nisi dum conferuntur, aut suscipiuntur: at Eucharistiæ Sacramentum consistit in re permanente.

Quod probatur primo ex Scriptura Sacra, in qua constat, Christum Dominum hæc verba protulisse: *Hoc est corpus meum*, priusquam distribueret Eucharistiam Apostolis; ex quo perspicuum est, Corpus Christi Domini fuisse sub speciebus Panis, ac proinde verum Sacramentum, antequam distribueretur.

Secundo probatur ex sanctis Patribus: Juxta sanctum Augustinum in Psalmum 33. *Christum seipsum portavit in manibus suis, dum Eucharistiam portaret*: At evidens est, non potuisse seipsum portare in manibus suis, nisi ejus Corpus fuisset sub speciebus Panis, priusquam manducaretur; hoc igitur Sacramentum non consistit in manducatione.

Et sanctus Justinus in Apologia secunda ait, *Post Sacramenta peracta, Eucharistia consuevit deferri ad absentes.*

Quæst. 5. Quænam est hæc res permanens, in qua consistit Eucharistiæ Sacramentum?

Resp. Sacramentum Eucharistiæ consistit essentialiter in speciebus Panis & Vini, & in Corpore & Sanguine Jesu-Christi contentis sub his speciebus: ut patet ex Canone (*Can. Hoc est, de Cons. dist.*1.), ubi legitur: „ Sacrifi„ cium Ecclesiæ duobus conficitur, duobus constat: vi„ sibili elementorum specie: & invisibili Domini nostri „ Jesu-Christi carne & sanguine".

Quæst. 6. Quænam est dignitas Sacramenti Eucharistiæ?

Resp. Dignitas hujus Sacramenti recte explicatur ab Alexandro Papa III. relato in Canone, ubi ait: „ Nihil in sa„ crificiis majus esse potest, quam Corpus & Sanguis Chri„ sti; nec ulla oblatio hac potior est. Sed hæc omnes præ„ cellit, quæ pura conscientia Domino offerenda est, & pura „ mente sumenda atque ab omnibus veneranda; & sicut po„ tior est cæteris, ita potius excoli & venerari debet".

Unde etiam videmus, venerabilis Sacramenti exposi-

tionem non passim, nec sæpe ab Ecclesia permitti, ne hac de causa minuatur quodammodo illius apud populum reverentia. Et in præclara Synodo Farfensi (*sub Carolo Card. Barberino, c. 6. n.* 15. *&* 17. *pag.* 82.) sic decernitur, juxta plures S. Congregationis Declarationes: „ Sacrosanctæ Eucharistiæ quamcumque publicam expositionem, nisi publica ex causa, a nobis, vel Vicariis nostris approbata, fieri prohibemus, etiam in Ecclesiis Regularium utriusque sexus. *Et paulo inferius*: Si quandoque privata ex causa, sacrosancta Eucharistia exponenda videbitur, e tabernaculo nunquam extrahatur, sed in pyxide velata in aperto ejusdem tabernaculi ostiolo, cum assistentia alicujus sacerdotis stola & superpelliceo induti, & cum sex saltem luminibus cereis collocetur: quod idem in Ecclesiis Regularium servari mandamus". Demum, ut per Confraternitatem Sanctissimi Corporis Christi, honor Venerabili Sacramento majori cum devotionis ardore deferatur, decernit Eminentissimus Cardinalis, ut Parochi „ Indulgentias a Paulo V. Venerab. Archiconfraternitati Sanctissimi Corporis Christi in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam de Urbe concessas, quotannis publicent, quibus omnibus aliæ Confraternitates ejusdem nominis ubivis institutæ, in ipsarum erectione, sine alia nova aggregatione, plene gaudeant".

Præterea in recentiori Synodo Spalatina (*anno* 1688. *c.* 9.) statuitur his verbis: „ Nulla ratione est omittendum, quod observarunt jam pridem non pauci viri sapientia ac pietate præclari, nempe nimis frequenti usu, qui percrebrescit in dies, quacumque etiam levi de causa, Sacramentum Eucharistiæ solemniter exponi, indeque apud populum, qui res non ex vero earum pretio, sed ex raritate solet æstimare, Mysterii augustissimi majestatem ac venerationem imminui. Idcirco meliorem prioris avaritiam secuti, imo Decretis Sacræ Congregationis obsequentes, præcipimus, ut nonnisi ex gravi & publica causa, ac cum nostra licentia, venerabile Sacramentum solemniter in Ostensorio exponatur. Pro personis vero particularibus exponi poterit in ostiolo tabernaculi in pyxide velata, cum luminibus & assistentia". Idem cavetur in Conc. Neapol. anno 1699. tit. 3. cap. 4. n. 16. & in Synodo Cæsariensi ann. 1693. lib. 2. cap. 4.

Quæst. 7. Unde sumenda est unitas aut multiplicitas Sacramenti Eucharistiæ?

Resp. Cum Eucharistiæ Sacramentum institutum sit ad spiritualem animæ refectionem, sequitur unitatem, aut multiplicitatem hujus Sacramenti, sumendam esse ex habitudine, aut conjunctione morali, quam habent species consecrationis ad unam, aut plures refectiones spirituales: quare cum simul præbetur una, vel plures Hostiæ consecratæ, censentur moraliter loquendo unam

tantum

tantum efficere refectionem spiritualem, ideoque unum tantum est Sacramentum; sed si dantur pluribus distinctis refectionibus, ut cum præbentur plures Hostiæ consecratæ pluribus personis, aut eidem diversis temporibus, tunc sunt plura Sacramenta numero distincta, cum sint plures refectiones spirituales.

Quæst. 8. Quæ observanda sunt ad reverentem SS. Eucharistiæ custodiam?

Resp. Præscribitur in Synodo Diœcesana celebrata ab Eminentissimo Jacobo Cardinali de Angelis, pro Abbatia Nonantulæ (*an.* 1687. *c.* 12.): „ Ut in eo Altari, „ in quo Sanctissimum Sacramentum asservari solet, sit „ Tabernaculum majori ex parte deauratum, & decentissime pictum, ipsi Altari ita fixum, ut de facili amoveri non possit, & ita constructum, ut Sacerdos pro „ dicti Sacramenti ministratione Altare ascendere non „ cogatur, elegantis item structuræ compositum, & sericis „ conopeis colorum pro temporum varietate mutandis „ coopertum: quod intus, etiam in ostiolo, totum „ contegatur linteo serico coloris albi, vel rubri, & in „ dicto ostiolo opponatur firmissima sera cum clave argentea, vel saltem deaurata, funiculo serico appensa: „ quæ clavis, una cum aliis sacrorum oleorum, per „ Parochos retineatur in Sacrario sub alia clave penes ipsum „ continuo existente; ne quis possit ad Sanctissimam Eucharistiam temerarias manus extendere sub gravissimis pœnis. „ Intus dictum Tabernaculum asserventur sacræ particulæ „ in Pyxide argentea, tota ab intus etiam cooperculo „ deauranda, quæ tempore hiemali singulis quindecim, „ æstate vero octo diebus mutentur, & sint in ea quantitate, ut fidelibus communicare volentibus non desint. „ Dictaque Pyxis etiam habeat conopeola serica prædictorum colorum, & retineatur super corporali mundo cum „ purificatorio nitidissimo, neque in dicto Tabernaculo „ collocentur sacræ Reliquiæ, seu sacra Olea, aliæque res „ sacræ; sed alibi debitam venerationem recipiant".

CAPUT II.

De materia remota Sacramenti Eucharistiæ.

Quæst. 1. QUotuplex est materia Sacramenti Eucharistiæ?

Resp. Duplex materia, duplexque forma Sacramenti Eucharistiæ distingui potest; materia scilicet, & forma remota, quæ necessario requiruntur ad confectionem hujus Sacramenti, & materia, & forma proxima, quæ sunt partes componentes hoc Sacramentum.

Quæst. 2. Quænam est materia remota hujus Sacramenti?

Resp. Definitum est, solum verum Panem triticeum, & Vinum de vite esse materiam aptam ad ejus confectionem.

nem. Ita definitum fuit in multis Conciliis, quæ referuntur in Canone (*Can. In Sacram. de consecrat. dist.* 4.): Concilium Carthaginense, ubi dicitur: *In Sacramento Corporis & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est, panis, & vinum aquæ mixtum*. Idem traditur ab Eugenio IV. in Decreto Armenorum, ubi dicitur: *Materia Eucharistiæ est panis triticeus, & vinum de vite*.

Quod evidenter probatur authoritate Scripturæ Sacræ. Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. unanimiter asseritur, Christum Dominum instituendo hoc Sacramentum usum fuisse vero Pane, & vero Vino, ac præcepisse Apostolis, ut similiter facerent: sed constat, solum panem triticeum, & solum vinum de vite, simpliciter & absolute dici panem & vinum: solus igitur panis triticeus, & solum vinum de vite possunt esse materia Sacramenti Eucharistiæ.

Quæst. 3. Quænam permixtio alterius grani cum triticeo impedit, quominus hujusmodi panis sit materia sufficiens ad conficiendum hoc Sacramentum?

Resp. Ex Divo Thoma (3. *p. q.* 74. *art.* 3. *ad* 3.): „Dicendum quod modica permixtio non solvit speciem, „quia id quod est modicum, quodammodo absumitur a „plurimo. Et ideo si sit modica permixtio alterius frumen„ti ad multo majorem quantitatem tritici, poterit exinde „confici panis, qui est materia hujus Sacramenti. Si ve„ro sit magna permixtio (puta, ex æquo, vel quasi) ta„lis permixtio speciem mutat; unde panis exinde confe„ctus, non erit debita materia hujus Sacramenti".

Quæst. 4. Panis ex siligine confectus, est-ne materia sufficiens Sacramenti Eucharistiæ?

Resp. Videtur, quod cum siligo sit species tritici, quamvis minus perfecta, possit esse materia sufficiens hujus Sacramenti. *Si quæ frumenta sunt*, ait Divus Thomas (3. *p. q.* 74. *art.* 5. *ad* 2.), *quæ ex semine tritici generari possunt* (*sicut ex grano tritici seminato in malis terris nascitur siligo*) *ex tali frumento panis confectus potest esse materia hujus Sacramenti*. Convenit tamen venerationi tanto Sacramento debitæ, ut purum triticum adhibeatur.

Quæst. 5. Est-ne necesse ad validitatem hujus Sacramenti, ut panis confectus sit cum aqua naturali, & igne coctus?

Resp. Absolute requiritur; alias enim non esset panis, qui est materia hujus Sacramenti; nam, ut ait Sanctus Cyprianus relatus in Canone (*Can. Sic in sanctificando, de consecr. dist.* 2.); *Nec Corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit, & copulatum, & panis unius compage solidatum*. Quare dicit Glossa ibidem, verbo, *Nisi utrumque. Quid si ex melle, vel alio liquore fuerit farina aspersa: numquid transubstantiatur ille panis in Corpus Christi? Non*.

Quæst. 6. Quilibet panis triticeus, sive sit azymus, sive

ve fermentatus, est-ne materia hujus Sacramenti?

Resp. Est materia sufficiens ad ejus validitatem, ut dicitur in Concilio Florentino in Decreto unionis Græcorum: „ Item in azymo, sive fermentato pane triticeo, „ Corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero „ ipsum Domini corpus conficere debere: unumquemque „ scilicet juxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive „ Orientalis consuetudinem ".

„ Non est de necessitate Sacramenti, *inquit D. Thomas* (3. *p. q.* 64. *art.* 6. *in corp.*), quod panis sit azy- „ mus, vel fermentatus; quia in unoquoque confici pot- „ est. Conveniens autem est, ut unusquisque servet ri- „ tum suæ Ecclesiæ in Sacramenti celebratione. Super „ hoc autem sunt diversæ in Ecclesia consuetudines: „ unde sicut peccat Presbyter in Ecclesia Latinorum „ celebrans de Pane fermentato, ita peccaret Presbyter „ Græcus in Ecclesia Græcorum celebrans de Pane azy- „ mo, quasi pervertens Ecclesiæ suæ Ritum ".

Si igitur Presbyter Latinus esset in aliqua Ecclesia Græcorum: aut ibi esset ut advena, & peregrinus transeunter, aut domicilium ibi constituit animo residendi. Si primo modo, uti deberet azymo, quamvis celebraret in Ecclesia Græcorum, & nulla esset Ecclesia Latinorum: si vero secundo modo, deberet uti fermentato, nisi esset in eo loco aliqua Latinorum Ecclesia. Quod si esset, posset uti Pane azymo, modo omne abesset scandalum. Et idem dici posse videtur de Sacerdote Græco respective.

Quæst. 7. Agresta, & Mustum sunt-ne materia sufficiens consecrationis Sanguinis Christi?

Resp. „ Dicendum, *cum Divo Thoma* (3. *p. q.* 4. *ar.* „ 5. *ad* 3.), quod Agresta est in via generationis, & id- „ eo nondum habet speciem vini: & propter hoc de ea „ non potest confici hoc Sacramentum. Mustum autem „ jam habet speciem vini; & ideo de Musto potest con- „ fici hoc Sacramentum. Prohibetur etiam, ne Mustum „ statim expressum in Calice offeratur, quia hoc est in- „ decens propter impuritatem Musti; potest tamen in „ necessitate fieri. Dicitur enim ab eodem Julio Papa: „ Si necesse fuerit, botrus in Calice comprimatur.

Quæst. 8. Potest-ne de aceto confici hoc Sacramentum?

Resp. Ex eodem Angelico Doctore ibidem art. 5. ad 2. *Sicut de pane totaliter corrupto non potest confici hoc Sacramentum, ita nec de aceto: potest tamen confici de vino acescenti, sicut & de pane, qui est in via ad corruptionem, licet peccet conficiens.*

Quæst. 9. Quid agendum, cum vinum congelatur in Calice, ante, vel post consecrationem?

Resp. Ut habetur in Rubricis Missalis (*de Defectibus circa Missam occur.*): *Si in hieme sanguis congeletur in Calice, involvatur Calix pannis calefactis. Si id non proficeret, ponatur in ferventi aqua prope altare, dummodo in Calicem non intret, donec liquefiat.*

Quæst. 10. Debet-ne vinum aqua misceri in Calice?

Resp. Debet omnino, cum talis semper fuerit Ecclesiæ consuetudo, ut patet ex multis locis Conciliorum, & sanctorum Patrum, relatis in Canone, *Si in sanctificando* de consecr. dist. 2. Quod etiam resolutum fuit in Decreto Eugenii Papæ in Concilio Florentino, & deinde definitum in Concilio Tridentino Canone 9. sessione 22.

Rationem affert Divus Thomas (*3. p. q. 64. art. 6. in corp.*), dum ait; „ Vino, quod offertur in hoc Sacramento, debet aqua misceri. Primo quidem propter institutionem; probabiliter enim creditur, quod Dominus hoc Sacramentum instituerit in vino aqua permixto, secundum morem illius terræ. Unde & Proverb. 9. dicitur: *Bibite vinum, quod miscui vobis* “.

Quæst. 11. Est-ne necesse ad validitatem Sacramenti, quod aqua vino misceatur in Calice?

Resp. Non est de necessitate, ut patet ex Rubricis Missalis, de defectu vini: ait enim: „ Si advertat celebrans post consecrationem Calicis non fuisse appositam aquam, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti “. Est tamen de necessitate præcepti, ut dicitur in Concilio Tridentino (*Sess.* 23. *c.* 7.): „ Monet deinde sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miscerent “. Quæ verba declarare videntur, eam mixtionem non esse de jure divino, seu a Christo Domino institutam, nec proinde necessariam ad validitatem Sacramenti, cum id tantum necessarium sit ad validitatem Sacramenti, quod a Deo est institutum.

Quæst. 12. Si aqua non est de necessitate Sacramenti, quomodo intelligendus erit Divus Cyprianus relatus in Canone (*Can. Sic in sanctificando, de consecrat. dist.* 2.), qui ait: „ Sic in sanctificando Calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec solum vinum potest. Sic vero Calix Domini non est aqua sola, nec vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur; quomodo nec Corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit, & copulatum, & panis unius compage solidatum “.

Resp. Dici potest, quod sanctus Cyprianus non intendit, aquam ita esse necessariam in consecratione sanguinis, ut valide vinum consecrari non posset, nisi aqua esset admixta, cum ibidem dicat: *Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine Christo*, id est, ut ibidem ait Glossa: *Ostenditur esse sine Christo, id est, sine unitate Corporis Christi, quod est Ecclesia.* Quia aqua, quæ ponitur in Calice, repræsentat unionem Jesu-Christi cum Ecclesia.

Hoc supposito, facile erit respondere. Primo, quod, cum Divus Cyprianus ait, aquam esse necessariam, intelligendum, esse necessariam, ut fiat consecratio licite, id est, sine peccato; non autem esse necessariam ad vali-

liditatem Sacramenti: ut enim ait Divus Thomas (*in* 1. *dist.* 11. *art.* 4. *q.* 2. *ad* 2. *q. ad* 1.): „ Dicendum quod „ exponendum est verbum Cypriani, non potest, id est, „ non debet; quia illud possumus, quod de jure possumus. Et ideo quantum ad id, quod debet fieri, est „ simile ex parte Corporis & Sanguinis; non autem „ quantum ad id quod fieri potest, quia aqua est de substantia panis, non autem de substantia vini “.

Secundo, sanctus Cyprianus disputabat adversus hæreticos dictos Aquarios, qui contendebant, aquam solam consecrari posse: quare cum ait, aquam & vinum esse necessaria ad validitatem Sacramenti, intendit tantum probare, non posse valide consecrari ex sola aqua, non tamen quod non possit consecrari ex solo vino.

Quæst. 13. Est ne multum aquæ apponendum in Calice?

Resp. Parum aquæ apponi debet, quia secundum opinionem Innocentii III. relati in Canone (*Cap. Cum Marthæ de celebr. Missar.*): „ Inter opiniones illa probabilior „ judicatur, quæ asserit, aquam cum vino in sanguinem „ transmutari (cum in vinum transeat mixta vino) ut „ expressius eluceat proprietas Sacramenti. Nam cum aquæ multæ sint populi multi juxta quod alibi legitur: „ Beati qui seminatis super aquas; ideo vino aqua unitur, „ ut Christo populus adunetur “.

Et ut ait Divus Thomas (3. *p. q.* 74. *art.* 4. *in corp.*) „ Eorum opinio probabilior est, qui dicunt, aquam converti in vinum, & vinum in sanguinem. Hoc autem „ fieri non posset, nisi adeo modicum apponeretur de aqua, quod converteretur in vinum: & ideo semper tutius est parum de aqua apponere, & præcipue si vinum „ sit debile, quia si tanta fieret appositio aquæ, ut solveretur species vini, non posset perfici Sacramentum “.

Et summus Pontifex Honorius III. relatus in Canone (*Cap. perniciosus, de celebr. Missar.*), sic scribit ad quemdam Archiepiscopum, ut impediret abusum in Provincia jam introductum, quo major quantitas aquæ, quam vini, in Calicem infundebatur.

„ Perniciosus, *ait*, in tuis partibus inolevit abusus, „ videlicet, quod in majori quantitate de aqua ponitur „ in Sacrificio, quam de vino: cum secundum rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis, plus in ipso „ sit de vino quam de aqua ponendum. Ideoque fraternitati tuæ mandamus, quatenus id non facias, nec in „ Provincia tua fieri patiaris “.

CAPUT III.

De præsentia, & determinatione materiæ consecrandæ.

Quæst. 1. Est-ne necesse, ut materia, quam Sacerdos consecrare intendit, sit præsens?

Resp. Eſt abſolute neceſſarium, ut enim ait Divus Thomas (*in 4. diſt. 11. q. 2. art. 2. q. 3. ad 1.*) *Ipſa forma pronomine demonſtrativo utens, oſtendit, quod materia conſecranda debet eſſe coram Sacerdote; unde Sacerdos exiſtens in domo ſua, non poſſet conſecrare panem, qui eſt in Altari.*

Quæſt. 2. Quando-nam materia conſecranda cenſetur præſens?

Resp. Ut reſpondeatur quæſtioni propoſitæ, ſupponendum eſt, duplicem eſſe præſentiam, alteram phyſicam, & alteram moralem. Præſentia phyſica eſt proximitas, ſeu approximatio unius rei ad aliam. Præſentia moralis dicit, præter proximitatem, rei cognitionem, & advertentiam de illius præſentia; v. g. ſi Hoſtia ſit ſuper Altare prope Sacerdotem, eſt illi phyſice præſens, ſive Sacerdos advertat, ſive non; quod ſi advertat adeſſe Hoſtiam, tunc Hoſtia cenſetur eſſe præſens moraliter.

Hoc ſuppoſito, certum eſt, requiri ad validitatem Sacramenti, quod Hoſtia ſit præſens moraliter, ideſt, quod nimis non diſtet a conſecrante, & quod advertat eſſe præſentem advertentia actuali, aut virtuali. Ratio eſt, quia demonſtrativa pronomina, *hoc*, & *hic*, oſtendunt, neceſſe eſſe, ut res præſens cognoſcatur ab illo, qui eam demonſtrat; hoc autem dicitur eſſe moraliter præſens.

Quæſt. 3. Requiritur-ne ad præſentiam moralem, quod Sacerdos videat materiam conſecrandam?

Resp. Hoc non eſt neceſſe, cum materia poſſit cenſeri moraliter præſens, licet a Sacerdote minime videatur: ut cum vult conſecrare centum particulas in Pyxide, non poteſt omnes, & ſingulas videre, quamvis ſint moraliter præſentes, ſicut etiam Sacerdos cæcus, qui teneret præ manibus Hoſtiam, aut coram ſe haberet, utique conſecrare poſſet, licet Hoſtiam non videret.

Quæſt. 4. Poſſunt-ne conſecrari particulæ in vaſe operto, ſeu clauſo?

Resp. Poſſunt valide conſecrari, cum cenſeantur ſufficienter præſentes: attamen, ut habetur in Rubricis Miſſalis: *Si adſit vas cum aliis Hoſtiis conſecrandis antequam accipiat Hoſtiam, diſcoperit manu dextera Calicem, ſeu vas aliarum Hoſtiarum.*

Quæſt. 5. Materia conſecrationis debetne neceſſario determinari ab intentione Miniſtrantis?

Resp. Juxta Rubricas Miſſalis, De Defectibus in celebratione Miſſarum occurrentibus; „ Si quis habeat coram „ ſe undecim Hoſtias, & intendat conſecrare ſolum de- „ cem, non determinans, quas decem intendit, in his „ caſibus non conſecrat, quia requiritur intentio. Secus „ ſi putans quidem decem, tamen omnes voluit conſe- „ crare, quas coram ſe habebat. Nam tunc omnes erunt „ conſecratæ: atque ideo quilibet Sacerdos talem ſemper „ intentionem habere debet, ſcilicet conſecrandi eas o- „ mnes, quas ante ſe ad conſecrandum poſitas habet ".

Quæst. 6. Majoris lucis gratia, quid requiritur ad illam præsentiam, quam necessariam diximus in consecratione materiæ?

Resp. Hoc non potest, nec debet mathematice determinari: sed sat est, ut usu, more, & consuetudine hominum, atque prudentium Judicio, materia in ea distantia sit, ut ejus fieri demonstratio rationabiliter possit. Unde absurdum est credere, posse Sacerdotem Hostias trans parietem collocatas, vel a tergo positas, quamtumvis in speculo relucentes, consecrare; quia secundum moralem æstimationem (cujus in administratione Sacramentorum humano modo peragendorum, ratio magna habenda est) materia sic posita, præsens in ordine ad exercendam, demonstrandamque aliam operationem, minime censetur. Hostia tamen sub aliis in acervo latitans, vel subtus Corporali, vel in Pyxide clausa contenta, vel vinum in Calice cooperto existens, præsens moraliter censetur, quia quæ inter jacent corpora per modum continentis, vel velaminis se habentia, subjectarum rerum præsentiam minime impediunt.

„ Si vero, *ut habetur in Concilio Beneventano* (Conc. „ Prov. Benev. ann. 1374 c. 17.), hostia fuerit inventa „ sub palla Altaris, & dubitetur, utrum fuerit consecra- „ ta; dicimus, quod Sacerdos in fine Missæ, post rece- „ ptionem sanguinis, potest eam recipere. Et idem dici- „ mus de aliqua parte ostiæ, si ita inventa fuerit in Al- „ tari, & dubitetur, utrum fuerit consecrata. Et ideo „ caveant Sacerdotes Missam celebrare volentes, ne pa- „ nis, seu vinum sint in Altari, præter illa quæ fuerint „ consecranda tunc ".

Quæst. 7. Requiriturne ad materiam hujus Sacramenti determinata quantitas?

Resp. Materia hujus Sacramenti non est determinatæ quantitatis: unde panis & vinum possunt in qualibet quantitate, valide tamen, etsi aliquando non licite, consecrari: licet enim quantitas materiæ hujus Sacramenti per comparationem ad usum fidelium determinetur; quia cujusvis materiæ determinatio ex fine, propter quem assumitur, petenda est; attamen non potest materiæ quantitas per comparationem ad usum fidelium tunc occurrentium determinari; „ Alioquin, *inquit D. Thomas*, (3. „ p. q. 74. art. 2. in corp.) Sacerdos paucos Parochia- „ nos habens, non posset consecrare multas hostias; un- „ de requiritur, quod materia hujus Sacramenti determi- „ netur per comparationem ad usum fidelium absolute. „ Numerus autem fidelium est indeterminatus. Unde non „ potest dici, quod quantitas materiæ hujus Sacramenti „ sit determinata ".

Sacerdos igitur, qui quantitatem nimiam consecraret, id est, in longe majori copia, quam fidelium, qui communiter occurrunt, vel occurrere possunt, aut solent, usus postulat, valide quidem Sacramentum perageret;

at

at illicite, & sacrilege tamen, utpote qui venerabile Sacramentum certæ corruptioni specierum sine causa exponeret.

Quæst. 8. Potest ne Sacerdos consecrare vinum non consecrando panem, vel panem non consecrando vinum, saltem imminente aliqua extrema necessitate?

Resp Valide quidem una species sine altera consecrari potest, numquam tamen licite: valide, inquam, quia statim, ac verba consecrationis panis prolata sunt, continuo sub speciebus illius existit Corpus Christi; verba enim cum producant, quod significant, statim atque Corpus Christi expressis verbis significatur, sine mora adest, unde & confestim Hostia proponitur adoranda. Numquam tamen unam speciem sine alia consecrare licet, quia non licet alio modo Eucharistiam consecrare, quam eam Christus consecrandam imperavit: at Christus utramque speciem indivisim consecrandam præcepit, ut ait Concilium Tridentinum (*Sess.* 12. *c.* 1.): „ Christus Corpus „ & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo „ Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, Apo„ stolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes consti„ tuebat, ut sumerent, tradidit, & eisdem eorumque in „ Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc „ verba: *Hoc facite in meam commemorationem*: uti „ semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit ".

CAPUT IV.

De forma Sacramenti Eucharistiæ.

Quæst. 1. QUænam est forma consecrationis Panis? *Resp.* Consistit essentialiter in his solis verbis: *Hoc est Corpus meum*; ut enim ait Catechismus Concilii Tridentini (2. *p. de Euchar. Sacr. n.* 10.): *Itaque a sanctis Evangelistis, Matthæo & Luca, itemque ab Apostolo docemur, illam esse formam, Hoc est Corpus meum.* Igitur nec particula *enim*, nec alia verba sunt de essentia consecrationis.

Quæst. 2. Sacerdos omittens particulam *enim*, in consecratione, peccaret-ne?

Resp. Ex Divo Thoma (3. *p. q.* 60. *ar.* 8. *in corp.*): „ Ly enim sublatum, non tollit debitum sensum verbo„ rum. Et ideo non impedit perfectionem Sacramenti; „ quamvis possit contingere, quod ille, qui prætermit„ tit, peccet ex negligentia, vel contemptu ". Et in alio loco ait: (*Idem q.* 78. *ar.* 2. *ad* 5.): „ Hæc con„ junctio, enim, apponitur in hac forma secundum con„ suetudinem Romanæ Ecclesiæ, a beato Petro Apostolo „ derivatam, & hoc propter continuationem ad verba „ præcedentia ". Quare, ut ait sanctus Bonaventura (*In* 4. *dist.* 8. *q.* 3.): „ Si quis tamen formam Ecclesiæ ex „ certa scientia mutet, graviter peccat ".

Quæst.

Quæst. 3. Forma consecrationis sanguinis consistit-ne essentialiter in illis verbis, quibus utitur Ecclesia: Hic est enim Calix sanguinis mei, novi & eterni Testamenti? &c.

Resp. Ex Divo Bonaventura (*Bonav. dist.* 8. *p.* 2. *in exposit. text.*), „ Dicendum, quod circa hoc sunt duæ „ opiniones; alii qui dicunt, quod vis data est verbis; „ quod solum his verbis fit consecratio, quæ dicit Ec- „ clesia; & si verba immutantur, quantumcumque sit „ sensus idem, non conficitur: & ideo dicunt, quod in „ his verbis non fit confectio, seu consecratio, & di- „ cunt, quod Magister non dat ibi formam. Alii di- „ cunt aliter, quod mutatio in modo enuntiandi, dum „ tamen servetur sensus, non impedit consecrationem. „ Unde in forma, quam ponit Magister, ita bene est „ consecratio, sicut in forma, quæ ponitur in Canone. „ Verumtamen hoc asserendum est, quod in forma, quæ „ in Canone scribitur, conficitur Sacramentum, de hac „ utilius est dubitare. Quis enim potest scire, utrum „ Evangelistæ, aut ipse Apostolus formam intenderent „ describere? ideo melius est hic pie dubitare, quam „ præsumptuose definire. Credo tamen, quod si quis „ ita conficeret, non esse parvipendendum, imo honor, „ & reverentia esset adhibenda propter periculum, & „ propter hoc quod non possumus discernere, quia ma- „ jus periculum est in contemnendo Hostiam consecra- „ tam, quam non consecratam venerari pro consecrata; „ ut puta si non consecrata commisceatur aliis consecra- „ tis, a quibus non possit discerni, melius est totum „ venerari, quam despicere aliquam ex eis, cum non „ possit cognosci ".

Quæst. 4. Est ne necesse ad validitatem Sacramenti, ut Sacerdos consecrans proferat verba formæ nomine suo, an requiritur, ut ea proferat nomine Christi?

Resp. Requiritur ad validitatem Sacramenti, ut Sacerdos consecrans proferat in persona Christi verba consecrationis, & dicat: *Hoc est corpus meum*; neque enim consecraret, si nomine suo diceret: *Hoc est corpus Christi*; quia forma substantialiter corrumperetur. Etenim, ut ait sanctus Ambrosius (*l.* 4. *de Sacram. c.* 4.): *Ubi autem venitur, ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos utitur, sed utitur sermonibus Christi.*

Rationem afferunt Divus Thomas, & Divus Bonaventura; „ Dicendum, *inquit Divus Thomas* (*in* 4. *sent.* „ *dist.* 8. *q.* 2. *q.* 3.), quod minister in Sacramentis du- „ pliciter operatur: uno modo, verbo pronuntians, alio „ modo actum aliquem exteriorem exercens, ut in Ba- „ ptismo patet: & utrumque istorum est Sacramentalis „ causa ejus, quod divina virtute, quæ in Sacramentis „ latet, perficitur, causa autem Sacramentalis signifi- „ cando efficit. Unde in illis Sacramentis, in quibus

„ utro-

„ utroque modo Minister operatur, oportet, quod verba
„ prolata significent actum exercitum, & actus exterior
„ significet interiorem effectum, ut in Baptismo patet,
„ quia ablutio exterior, quam verba formæ exprimunt,
„ significat interiorem ablutionem, quam divina virtus
„ perficit in Sacramento latens. Ubi ergo Minister non
„ operatur, nisi verba pronuntians, oportet, quod ver-
„ borum significatio immediate ad hoc, quod efficitur,
„ referatur: in hoc autem Sacramento, cujus perfectio
„ in ipsa materiæ consecratione consistit, non habet Mi-
„ nister actum, nisi pronunciationem verborum: unde o-
„ portet, quod verba formæ significent hoc, quod virtus
„ divina in secreto facit, *in hoc Sacramento, quodque*
„ *a Ministro produci nequit* ".

Quare forma hujus sacramenti a Presbytero ita profertur, ac si loqueretur in persona Christi, ut intelligamus, in consecratione hujus Sacramenti Ministrum nihil aliud præstare, quam proferre verba Christi, quæ sola vim habent producendi effectum hujus Sacramenti.

Ideo, ait Divus Thomas (*3. p. q. 98. art. 1. in corp.*)
„ Forma hujus Sacramenti profertur quasi ex persona i-
„ psius Christi loquentis, ut detur intelligi, quod Mi-
„ nister in perfectione hujus Sacramenti nihil agit, nisi
„ quod profert verba Christi ".

Et Divus Bonaventura ait (*in 4. dist. 8. q. 1. p. 2.*):
„ Quia Minister operatur virtute Verbi incarnati conjun-
„ cta, & ut conjuncta, ideo dicit meum; loquitur enim
„ Sacerdos in persona Christi, ideo pro Christo dicit meum.

Quæst. 5. Quomodo forma consecrationis potest esse vera, cum videatur exigi ad veritatem propositionis, quæ affirmat rem esse, ut existat, priusquam propositio proferatur: at forma consecrationis præcedit rem quam enuntiat, cum ipsi det esse; ac proinde falsa est, affirmans rem esse, cum nondum est?

Resp. Ad hujus intelligentiam sciendum est, duplex esse propositionum genus: aliæ dicuntur speculativæ, quæ tantum repræsentant, & exprimunt objectum; ut cum dico, En urbem pulchram: aliæ dicuntur practicæ, quæ efficiunt, quod enuntiant, ut cum Sacerdos profert verba consecrationis: *Hoc est Corpus meum.*

Hoc supposito, „ Dicendum, *cum Divo Thoma* (*in*
„ *4. dist. 8. p. 2. q. 4.*), *quod* scientia practica non præ-
„ supponit entitatem rei, sed præcedit illam naturaliter,
„ quasi causa, etsi simul sine tempore: & ad hunc mo-
„ dum se habent verba præmissa, quia sunt significantia
„ & factiva ejus quod significant. Unde veritas & signi-
„ ficatio hujus locutionis præcedit naturaliter entitatem
„ rei, quam significat, non præsupponit ipsam, quam sit
„ simul cum ipsa tempore, sicut causa propria cum pro-
„ prio effectu: sed quia significatio & veritas locutio-
„ nis, quæ est simul tempore cum transubstantiatione,
„ consurgit ex consignificationibus partium successive pro-

„ latarum;

„ latarum ; ideo oportet, quod dictio ultimo prolata „ compleat significationem locutionis “.

Quæst. 6. Quomodo intelligenda sunt verba consecrationis vini : *Hic est Calix sanguinis mei, novi & æterni Testamenti, Mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum?*

Resp. Illa sic explicat Divus Thomas (*in 4. dist. 8. q. 2. art. 2. q. 1.*) : „ Per hæc priora verba : *Hic est Calix sanguinis mei, designatur conversio vini in Christi sanguinem.* Hæc locutio, *ait Divus Thomas*, Hic est „ Calix sanguinis mei, figurativa est, & potest intelligi, „ ut sit metonymica locutio, ut ponatur continens pro „ contento, secundum quod dicere consuevimus : Bibe „ Calicem vini, idest, vinum contentum in Calice. Ideo „ autem talis modus locutionis congruus est formæ huic, „ quia sanguis de sua ratione non dicit aliquid potabile, „ sed quod natura abhorret in potum ; & quia in hoc „ Sacramento sanguis Christi consecratur ut potus, ideo „ oportuit aliquid addi, quod ad potum pertineret, scilicet Calicem.

„ Dicitur Testamentum novum, *ait idem Doctor* (*ib.*) „ ratione promissionis per sanguinem Christi confirmatæ, „ quæ vetus impedimentum consequendæ hæreditatis amovit ; & sic quasi quædam innovatio promissionis per „ mortem Christi facta est. Æternum vero ratione bonorum æternorum, de quibus est Testamentum ; vel „ ratione hujus Sacramenti continentis Christum, qui est „ persona æterna.

„ Per prima verba, *ait Angelicus Doctor*, (*3. p. q. 78. ar. 3. in corp.*), cum dicitur : Hic est Calix sanguinis mei, significatur ipsa conversio vini in sanguinem ; per hæc verba autem sequentia designatur virtus „ sanguinis effusi in passione, quæ operatur in hoc Sacramento : quæ quidem ad tria ordinatur. Primo quidem, & principaliter ad adipiscendam æternam hæreditatem, secundum illud Hebr. 10. *Habentes fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi* : Et ad hoc „ designandum dicitur, *Novi & æterni Testamenti*. „ Secundo ad justitiam gratiæ quæ est per fidem, secundum illud Rom. 3. *Quem proposuit Deus propitiatorem per Fidem in sanguine ipsius, ut sit ipse justus justificans eum, qui ex Fide est Jesu Christi* : Et „ quantum ad hoc subditur ; Mysterium fidei. Tertio „ autem, ad removendum impedimenta utriusque prædictorum, scilicet peccata, secundum illud Hebræorum 4. Sanguis Christi emundat conscientiam nostram „ ab operibus mortuis, id est a peccatis ; & quantum ad „ hoc subditur : Qui pro vobis, & pro multis effundetur „ in remissionem peccatorum “.

CA-

CAPUT V.

De præsentia reali Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi in Eucharistiæ Sacramento.

Quæst. 1. CORpus & Sanguis Domini nostri Jesu-Christi continetur-ne realiter, & vere in Sacramento Eucharistiæ?

Resp. Est unum ex præcipuis Fidei nostræ articulis, Corpus & Sanguinem Christi Domini vere & realiter esse in Eucharistiæ Sacramento. Hoc autem probatur primo ex verbis, quibus usus est Salvator noster instituens hoc Sacramentum; Lucæ 22. *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur. Similiter & Calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic est Calix novum Testamentum in meo sanguine, qui pro vobis fundetur.*

Quare sanctus Cyrillus in hæc verba ait (*to.* 4. *Bibl. fol.* 158.): *Non dubites, an hoc verum sit, sed potius suscipe verba Salvatoris in Fide: cum enim sit veritas, non mentitur.*

Neque dici potest, hæc verba intelligenda esse figurative; ita ut cum dicitur Hic Calix (scilicet quod continetur in hoc Calice) pro vobis fundetur, sermo sit de vino, non autem de sanguine Salvatoris, cum constet, vinum non fuisse pro nobis effusum, sed ipsum sanguinem.

Et Divus Paulus 1. ad Corinth. c. 10. ait: „ Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio „ sanguinis Christi est? Et Panis, quem frangimus, „ nonne participatio Corporis Domini est "?

Dici nullatenus potest, hæc Apostoli verba accipienda esse figurative, ut notat sanctus Bonaventura; qui exponens hæc Apostoli verba (*in* 4. *dist.* 10. *q.* 1.): Panis „ quem frangimus, Corpus Domini est, *ait:* Ergo etsi di„ cat, quod hoc similiter dicitur per significationem; con„ tra Apostolus postea infert c. 11. Itaque qui mandu„ cat, & bibit indigne, reus est Corporis & sanguinis „ Domini. Sed si hoc verum esset, quia signum; tunc „ similiter, quia hæc vox, Christus, & signum, qui „ pronuntiaret in peccato, esset reus Corporis & sangui„ nis Domini; quod falsum est ".

Et Divus Chrysostomus explicans præfata verba, Calix benedictionis, ait (*Hom* 24. *in epist. ad Corinth.*) *Horum verborum hæc sententia est, quod est in Calice, id est, quod a latere fluxit, & illius sumus participes.*

Sufficit pro nunc, ne dicamur velle texere controversiam, afferre unam sancti Augustini authoritatem, quem præcipue Patrem vellent Hæretici in suas pertrahere partes.

Hic igitur Ecclesiæ Doctor explicans hæc verba (*S. Aug. Concione* 1. *in Ps.* 33.) *Seipsum portavit in manibus suis*, quæ habentur in versione 70. lib. 1. Regum c. 20. ait: „ Hoc vero, Fratres, quomodo fieri possit in „ ho-

„ homine, qui intelligitur? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, „ manibus suis nemo portatur: quomodo intelligatur in „ ipso David, secundum litteram non invenimus: in „ Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in „ manibus suis, quando commendans ipsum Corpus suum „ ait, Hoc est Corpus meum: ferebat enim illud Corpus in manibus “.

His verbis aperte declarat sanctus Augustinus, neminem posse se ferre in manibus suis; id solum posse competere Christo Domino, qui id tunc fecit, cum hoc Sacramentum instituit, qui Corpus suum portavit, cum hoc Sacramentum portaret; quod clare satis ostendit, Eucharistiam secundum hujus Ecclesiæ Doctoris mentem, non esse solum Corpus in figura, sed vere, atque realiter; nam si foret tantum Corpus Christi in figura, omnis homo posset ita seipsum portare, quia unusquisque potest suam gestare figuram: Sanctus tamen Augustinus ait, id intelligi non posse, nisi de solo Christo Domino, cum nullus alius eo modo portare se possit, quo se ipsum ipse portavit.

Idem sanctus Augustinus in libro, quem scripsit contra Donatistas, ait (*l. 5. contra Donatistas*, 8.) „ Indigne quisque sumens Dominicum Sacramentum, non „ efficiet, ut quia ipse malus est, malum sit, aut quia „ ad salutem non accipit, nihil acceperit: Corpus enim „ Domini & sanguis Domini nihilominus erat, etiam illis „ quibus dicebat Apostolus; Qui manducat indigne, ju„ dicium sibi manducat, & bibit “. Ex quibus evidenter constat, quod Christus Dominus non est in hoc Sacramento, virtute Fidei illius, qui eum recipit; cum Christus Dominus sit vere, & realiter in hoc Sacramento, etiamsi indigne sumatur & ab homine non habente fidem.

Verum clare videmus in Generali Concilio Nicæno (II. *actione 6. t. 3.*), hanc semper fuisse Ecclesiæ Catholicæ fidem; „ Nullus enim, *ait*, aliquando tubarum Spiri„ tus, sanctorum videlicet Apostolorum, aut illustrium „ Patrum nostrorum, incruentum sacrificium nostrum, „ quod in commemorationem Christi Dei nostri, ac o„ mnis dispensationis ejus efficitur, dixit imaginem Cor„ poris ejus: neque enim acceperunt a Domino, sic di„ cere, vel confiteri; sed audiunt Evangelice dicentem „ eum “: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non intrabitis in regnum cælorum: *Et*, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo: *Et alibi*, Accepto pane, gratias agens fregit, & dedit discipulis suis, & ait; Accipite & comedite, hoc est Corpus meum: Et accipiens Calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes; Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum: *Et non dixit: Accipite & comedite imaginem Corporis mei. Sed Paulus divinus Apostolus*, ex

ex divinis Domini vocibus hauriens ait: Ego accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam in qua nocte tradebatur, gratias agens fregit & dixit: Accipite & comedite: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangitur: Hoc facite in meam commemorationem. Similiter Calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic Calix novum Testamentum est in meo sanguine. Hoc facite, quotiescumque biberitis, in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & Calicem hunc bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat: *Ergo liquido demonstratum est, quod nusquam Dominus, vel Apostoli, aut Patres imaginem dixerunt sacrificium sine sanguine, quod per Sacerdotem offeratur; sed ipsum Corpus, & ipsum sanguinem.*

Quæst. 2. Quomodo confutari potest error Hæreticorum asserentium, pronomen, *Hoc*, in forma consecrationis designare panem?

Resp. Patet, illud, *Hoc*, non ex se designare panem, ut hæretici volunt; idque non solum, quia esset falsa oratio, sed quia ipsa verba repugnant; dicendum enim fuisset *Hic*, præsertim cum immediate panis præcessisset. Designat igitur Corpus secundum rectissimam, & usitatissimam locutionem, quia in mundi exordio Adam dixit, *Hoc nunc os ex ossibus meis*: & Moyses Exodi 16. v. 15. *Iste est panis*; & Judæi Matth. 2. *Hic est hæres*: Et cap. 3. v. 17. Deus Pater ait: *Hic est filius meus dilectus*: Et infinita alia, quibus Scriptura, & usus quotidianus plenus est: nam in his omnibus subjectum, & prædicatum idem significant, quod omni propositioni affirmativæ commune est, alioquin esset falsa; sed alio modo, subjectum nomine communi demonstrans talem præsentiam, prædicatum nomine specifico, & particulari: nam quod objiciunt, cum dicitur, *Hoc*, nondum esse Corpus, parvi momenti est; propositio enim operativa, qualis est ista, quæ mutatione quadam efficit, quod significat, sicut non habet veritatem, nisi integre pronunciata, ita quoque demonstrat id quod adest, non eo momento, quo subjectum profertur, sed quod aderit in termino pronunciationis: sicut si Christus aquam in vinum mutasset in nuptiis Galilææ, his verbis, Hoc est vinum, vel costam in mulierem istis verbis, Hæc est mulier, non fuisset necesse, rem demonstratam esse præsentem, nisi absoluta tota oratione.

Quæst. 3. Quomodo confutari potest error dicentium, verbum, *est*, in forma consecrationis, idem esse, ac significat, ita ut sensus sit, Hoc significat Corpus meum?

Resp. In hoc verbo Zuinglius figuram inesse voluit, ut idem sit, quod significat; sed contra linguarum usum: nulla est enim lingua, neque Latina, neque Græca, neque Hebraica, in qua *est* aliter habeat significationem, quam esse, seu, ut Philosophi loquuntur, nudam unionem extremorum: est enim verbum uti communissime signi-

significans, ita ut simplicissime, in quod omnia alia resolvuntur, ipsum vero in nullum aliud resolvi potest; sic enim resolvis, Christus patitur, id est, patiens est; ipsum vero, ut inclusum, non potest resolvi ulterius, nisi resolvas in seipsum. Unde impossibile est in eo fuisse tropum: quia vero signum esse, non est aliud, quam significare, hinc fit, ut unum signum de signo prædicetur, vel re significata de aliquo signo parabolico, sine ullo tropo soleamus *est* explicare per *significat*, ut ensis est gladius, septem boves septem anni sunt, semen est verbum Dei, denarius est vita æterna, & similia. Itaque error ille Zuinglii ex imperitia creatus est.

Quæst. 4. Quomodo confutari potest error Calvini asserentis, esse tropum in prædicato Corpus meum, ut sit idem, quod signum, seu figura Corporis mei?

Resp. Posito Calvini errore, illud, *Hoc*, demonstrare deberet Panem, quod supra rejecimus: deinde Græce additur articulus τὸ σῶμα, istud Corpus, quod habet vim exprimendi veri Corporis, & distinguendi ab omni alio, quod etiam nomine Corporis significari potest, scilicet Corpus mysticum, quod est Ecclesia, ac proinde ipsissimum illud verum Corpus meum; quod multo efficacius postulant verba sequentia apud Lucam, & Paulum, *Quod pro vobis datur*, quod verbo Græco τὸ διδόμενον; quasi diceret Corpus datum: conjungitur enim adjectivum in recto cum substantivo Corpus, ita ut illud ipsum, quod vocatur in recto Corpus, sit datum; figura autem Corporis non est data pro nobis, neque in Cœna, neque in Cruce. Evidentius autem id postulat forma Calicis apud Lucam c. 22. v. 20. *Hic est Calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*; ubi ipse Calix, sanguinem scilicet continens, pro nobis effusus dicitur, quod de figura vel Calicis vel sanguinis nullo modo dici potest.

Et sane cum Agnus Paschalis figura fuerit Christi in Cruce offerendi, ut patet Joannis 19 si Corpus non est aliud, nisi figura Corporis in Cruce offerendi, profecto figuram figuræ substituit, cum tamen voluerit figuris finem imponere. Hinc ne quis hic tropos, figuras, parabolas imaginaretur, categorica locutione usus est verbis lucidissimis, quibus apertiora, aut simpliciora fingi nequeunt. Hinc cum Evangelistæ in aliis recensendis plerumque verbis discrepent, hic a contrario tres Evangelistæ & unus Apostolus Paulus, cum diversis temporibus, ac locis scriberent, in nullo omnino discrepant. Et tamen, ut ait Doctissimus quidam Evangeliorum commentator, tenebriones Hæretici, qui ubique Scripturas apertas esse clamitant, hic tantas tenebras inveniunt, vel potius afferunt, ut sententiam quasi Solis ipsius radiis scriptam in ducentas expositiones laceraverint: contra quos omnes, & si in verbis esset aliqua obscuritas, sufficere deberet unanimis totius Ecclesiæ, & omnium Patrum consensus.

CA-

CAPUT VI.

Explicantur aliquot Scripturæ sacræ & Divi Augustini loca, quibus abutuntur Hæretici.

Quæst. I. QUomodo intelligendum est, quod refertur Joan. c 6. v. 54. ubi postquam dixisset Christus, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Multi ex discipulis ejus dixerunt; Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Quibus respondit: *Spiritus est, qui vivificat, Caro non prodest quidquam: verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Ex his autem videtur concludendum, non manducari, neque bibi realiter & corporaliter Corpus & sanguinem Filii Dei, sed spiritualiter tantum, & per fidem?

Resp. Hunc locum Divi Joannis recte explicat Divus Augustinus (*tr. 27. in Joan.*), „ Caro, *inquit*, non „ prodest quidquam; sed quomodo illi intellexerunt: „ Carnem quippe sic intellexerunt quomodo in cadavere „ dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo „ spiritu vegetatur: accedat spiritus ad carnem, & pro„ dest plurimum; nam si caro nihil prodesset, Verbum „ Caro non fieret, ut habitaret in nobis “.

Voluit igitur Christus eos damnare, qui credebant, eum velle præbere proprium Corpus manducandum, eodem modo quo comeditur caro in macello divendita; non vero credentes, manducari vere & realiter Corpus Filii Dei, quamvis spiritualiter quantum ad modum sumendi: *Accedat*, ait Divus Augustinus, *spiritus ad carnem*, sumatur scilicet spiritualiter quantum ad modum, *& prodest plurimum*; nisi enim manducantibus prodesset Caro, quomodo ipsemet Christus Dominus addere potuisset in eodem loco: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam Carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam?* Modus igitur sumendi Christum spiritualiter, non excludit realem ejus manducationem.

Quæst. 2. Quomodo intelligenda sunt hæc verba Joannis 16. *Relinquo mundum, & vado ad Patrem?* Ergo, inquiunt Hæretici, Christus non est amplius in mundo, nec consequenter in Eucharistia.

Resp. Sic intelligi debent, quod Christus reliquit mundum, quantum ad præsentiam visibilem, quamvis mundum non reliquerit, quantum ad præsentiam invisibilem in Sacramento Eucharistiæ, eo modo, quo intelligi debent verba ejusdem Christi Domini Lucæ 24. v. 44. *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos cum adhuc essem vobiscum*, licet, dum eis loqueretur, esset cum ipsis: sed tantum ostendit his verbis, tunc cum eis non esse

eodem

eodem modo, quo ante resurrectionem; sic dum ait: *Ego relinquo mundum*, intelligit se relinquere quantum ad hunc modum visibilem inter eos manendi, licet semper adsit sacramentaliter.

Quæst. 3. Quomodo exponendum est, quod dicitur Matth. capite 26. *Semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habebitis?* Ergo CHRISTUS non est nobiscum in Sacramento Eucharistiæ?

Resp. Patet in his verbis loqui Christum Dominum tantum de præsentia corporea visibili, & in eo statu, quo recipere posset commodum aliquod corporale ab hominibus, ut accipiunt pauperes; non vero de præsentia invisibili in Sacramento: quod evidentius apparet ex verbis Christi Marci 14. *Semper pauperes habetis vobiscum, & cum volueritis potestis illis benefacere: me autem non semper habebitis.*

Quæst. 4. Quomodo intelligendum est, quod ait Apostolus (1. *ad Cor.* 4. 10.), *Patres nostri omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eumdem potum spiritualem biberunt:* Ex quo videtur concludendum, nos non manducare, neque bibere, nisi per fidem, Corpus & sanguinem Jesu Christi; cum certum sit, eos non manducasse corporaliter carnem Christi, sed tantum per fidem?

Resp. Intelligit Apostolus, quod Hebræi illius temporis, sive boni, sive mali fuerint, eandem inter se escam manducaverint, non vero quod eandem nobiscum escam manducaverint, ut interpretantur Chrysostomus & Theophylactus, quod & textui satis conforme videtur: Attamen quia Divus Augustinus, Tract. 26. in Joannem, conclusit ex hoc loco Apostoli, nos, & Hebræos eandem escam manducasse: responderi secundo potest, antiquos Patres eandem escam manducasse, sed non eodem modo. Esca antiquorum Patrum, & nostra idem Christus est, sed diverso modo sumptus; nam Corpus Christi Domini non nisi spiritualiter per fidem, & in figura manducaverunt, nos autem realiter & corporaliter illud manducamus. Antiqui Patres manducaverunt Corpus Christi Domini in figura, quemadmodum lex vetus tantum erat figura Legis novæ; nos vere manducamus juxta Legem novam, quæ non est amplius figura, sed veritas; ut enim ait Divus Augustinus (*in Ps.* 77.), „ Idem in mysterio „ cibus & potus illorum & noster; sed significatione „ idem, non specie; quia idem ipse Christus in petra fi- „ guratus, nobis in carne manifestatus “.

Quæst. 5. Quomodo exponi debent hæc Divi Augustini verba (*Tract.* 25. *in Joann.*): *Ut quid paras ventrem & dentes? crede, & manducasti:* Ex quibus videtur concludendum, a nobis non sumi realiter & ore corporeo Corpus Christi Domini; sed spiritualiter tantum per fidem?

Resp. Nullo modo loquitur D. Augustinus in hoc loco de

de manducatione Corporis Christi, sive in Eucharistia, sive extra; sed de meditatione verbi Dei, quod est mentale animæ pabulum, & de fide, quæ haberi debet in Christum incarnatum. Divus Augustinus postquam retulit verba Salvatoris arguentis Judæos, quod ipsum tantum quærerent, ut ab eo pascerentur corporaliter, propter miraculum multiplicationis quinque panum & duorum piscium: ,, Quæritis me, *inquit Christus Dominus*, ,, (*Joan. c. 6. v. 26.*), non quia vidistis signa, sed quia ,, manducastis ex panibus, & saturati estis: Operamini ,, non cibum qui perit, sed qui permaneat in vitam æternam. Dixerunt ergo ad eum; Quid facimus, ut operemur opera Dei? Respondit Jesus, & dixit eis: Hoc est ,, opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille". Ad hæc verba exclamat Divus Augustinus contra plebem Judaicam, quæ post panes & pisces, quibus enutriti erant a Christo Domino, anhelabat, ac dicit (*ib.*): *Hoc est ergo manducare cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Ut quid paras ventrem & dentes? Crede, & manducasti*: arguens non quidem Christianos, qui afferunt animam & corpus ad manducandum Corpus Christi; sed populum, qui parabat ventrem & dentes ad manducandum panem materialem, & non parabat animam, ut crederet in Christum Dominum.

Nam quomodo potuisset Divus Augustinus arguere Christianos, quod afferrent ventrem & dentes ad Corpus Christi manducandum, cum idem dixerit alibi (*contra adversarios Legis & Prophetarum, lib. 2. c. 9.*): ,, Mediatorem Dei & hominum hominem Christum Jesum, ,, Carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem, fideli corde, atque ore suscipimus; ,, quamvis horribilius videatur, humanam Carnem manducare, quam perimere, & humanum sanguinem potare, quam fundere"?

Quæ verba satis ostendunt malam Hæreticorum fidem, proferentium hunc Divi Augustini locum contra realem Christi Domini in Eucharistia præsentiam, ut simplices rudesque hac argumenti specie decipiant; quamquam certum sit, & evidens, Sanctum Augustinum non loqui omnino in hoc loco de Eucharistia.

Quæst. 6. Quomodo intelligendus est locus iste Divi Augustini in Joannem (*tr. 26.*), *Credere in eum, hoc est manducare Panem vivum: qui credit in eum, manducat, invisibiliter saginatur, quia & invisibiliter renascitur?* Ex quo loco colligere volunt Hæretici, Corpus Christi per fidem tantum sumi.

Resp. Facile est percipere, consequentiam, quam hic inferunt Hæretici, perperam esse deductam, cum solemne sit apud sanctos Patres, & præcipue apud Divum Augustinum, explicare loca Scripturæ in sensu allegorico, supponendo tamen sensum litteralem. Sic idem Augustinus numquid in eodem loco ait, loquens de muliere

liere quæ tetigit Christum Dominum, *Quid est, tetigit, nisi crediderit?* Et tamen intendit-ne Divus Augustinus, quod mulier fluxu sanguinis laborans, Dominum realiter non tetigerit?

Et eidem Sanctus Augustinus Concione 1. in Psalmum 73. numquid dicit: *Jejunium ipsius erat, quando defecerunt omnes qui in eo crediderant: quia & esuries ipsius erat, ut in eum crederetur. Quia & sitis ipsius erat, quando dixit mulieri: Sitio, da mihi bibere; fidem quippe ipsius sitiebat: & de Cruce cum diceret, Sitio, fidem illorum quærebat.* Et tamen intendit-ne Divus Augustinus, sitim Christi Domini, sive in historia Samaritanæ, sive in Cruce, non fuisse veram & realem sitim; intendit-ne per allegoriam sitis mentalis, & intellectualis excludere veritatem sitis externæ, & corporalis; ac proinde dicendum est, quod in omnibus his locis, in quibus loquitur Divus Augustinus in sensu allegorico, semper supponit sensum litteralem.

Eodem modo respondendum est variis sancti Augustini, aliorumque Patrum locis, qui videntur asserere, Christum Dominum esse figuraliter in Eucharistia, quod scilicet supponunt semper realitatem Corporis Christi in hoc Sacramento; ut enim ait idem Augustinus relatus in Canone (*Utrum de consec. dist. 2.*): *Corpus Christi & veritas & figura est, veritas, dum Corpus Christi, & sanguis virtute Spiritus sancti in virtute ipsius ex panis & vini substantia efficitur: figura vero est id quod exterius sentitur*; scilicet quod repræsentat Corpus Christi verum in hoc Sacramento, & sacrificium, quod in ligno Crucis peractum fuit.

CAPUT VII.

De actione qua Corpus Christi est in Eucharistia, ac de modo quo ibi realiter existit.

Quæst. 1. QUomodo vocanda est actio, qua panis & vinum mutantur, seu convertuntur in Corpus & sanguinem Christi in Eucharistia?

Resp. Actio qua panis, & vinum, quæ sunt materia Eucharistiæ, convertuntur in Corpus & sanguinem Christi Domini, vocatur ab Ecclesia Catholica Transsubstantiatio; ut enim ait Concilium Tridentinum (*Sess. 23. c. 4.*): „ Quoniam autem Christus Redemptor noster Corpus „ suum, id quod sub specie panis offerebat, vere esse „ dicit; ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque „ nunc denuo sancta hæc Synodus declarat, per conse„ crationem panis & vini, conversionem fieri totius sub„ stantiæ panis in substantiam Corporis Christi Domini, „ & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus. „ Quæ conversio convenienter & proprie a Catholica „ Ecclesia Transsubstantiatio est appellata ".

Et, ut ait Divus Ambrosius relatus in Canone (*Can. Panis* 55. *de consecr.*), „ Panis est in Altari usitatus „ ante verba Sacramentorum : ubi accessit consecratio, de „ pane fit Caro Christi “.

Dicitur etiam in Canone (*Can. Nos autem, de Consecr. dist.* 2.) „ Cum fideliter fateamur, aut consecratio- „ nem esse panem & vinum, quod natura formavit; post „ consecrationem vero Christi carnem & sanguinem, quod „ benedictio consecravit “.

Denique Concilium Lateranense sub Innocentio III. (*Cap. Firmiter, de summa Trinitate*) „ Corpus & san- „ guis Christi Jesu, *ait Concilium*, in Sacramento Altaris „ sub speciebus panis & vini veraciter continentur, trans- „ substantiatis Pane in Corpus, & vino in sanguinem „ potestate divina “.

Quæst. 2. Quid est Transsubstantiatio?

Resp. Constat ex inductis auctoritatibus, transsubstantiationem esse conversionem, seu mutationem totius substantiæ in aliam substantiam, quæ illi succedit ex vi hujus conversionis.

Est primo conversio, seu mutatio, quia in transubstantiatione, una substantia transit in aliam substantiam.

2. Est *mutatio totius substantiæ in aliam substantiam illi succedentem*; per quod transsubstantiatio distinguitur a quacumque alia mutatione, tam substantiali, quam accidentali. Primo ab accidentali, in qua substantia non mutatur, nisi quia recipit novum accidens, quod non habebat. Secundo a mutatione substantiali, sive contingat per conversionem, aut creationem, sive annihilationem. Nam in conversione substantiali, naturali, & consueta tota substantia non mutatur, tam quoad materiam, quam quoad formam, cum materia semper remanet: at in transsubstantiatione nihil remanet, neque materiæ, neque formæ. In creatione quoque, una substantia non mutatur in aliam substantiam, sed producitur ex nihilo; & in annihilatione una substantia redigitur in nihilum: in sola igitur transubstantiatione una substantia transit, seu mutatur in aliam.

Tertio est mutatio, quæ fit: *Ex vi & virtute conversionis*, quia in transubstantiatione necesse est, ut substantia desinat esse per eamdem virtutem, quæ aliam ejus loco producit; quare, ut ait Sanctus Ambrosius (*lib. de initiandis, c.* 9.): *Si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de cælo depromeret: non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum?*

Quæst. 3. Remanet-ne aliquid de substantia panis & vini post consecrationem?

Resp. Est de fide definitum in Concilio Tridentino (*Sess.* 13. *Can.* 2.), totam substantiam panis & vini mutari in substantiam Corporis & Sanguinis Domini: *Si quis dixerit*, inquit, *in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini una cum Corpore & sanguine*

sanguine Domini nostri Jesu Christi, anathema sit.

Rationem autem hanc affert Divus Ambrosius relatus in Canone (*Can. Omnia, de consecr. dist.* 2.): „ Omnia, „ *inquit*, quæcumque voluit Dominus, fecit in cælo & „ in terra: & quia voluit, licet figura panis & vini hic „ sit, omnino nihil aliud quam Caro Christi & sanguis „ post consecrationem credenda sunt: Unde ipsa Veritas „ ad Discipulos hæc inquit: *Caro mea est pro mundi* „ *vita* ".

Quæst. 4. Si nihil remanet de substantia panis post consecrationem, quare Sacramentum Eucharistiæ dicitur panis in Scriptura sacra?

Resp. Ut ait Catechismus Conc. Trid. (*p.* 2. *de Euch. n.* 38.) „ Mirandum non est, si post consecrationem „ Panis etiam vocetur: hoc enim nomine Eucharistia „ appellari consuevit, tum quia panis speciem habeat, „ tum quia naturalem alendi & nutriendi Corporis vim, „ quæ panis propria est, adhuc retineat. Eam autem „ esse sacrarum litterarum consuetudinem, ut res ita „ appellent, cujusmodi esse videantur, satis ostendit quod „ in Genesi dictum est, tres viros Abrahæ apparuisse, qui „ tamen tres Angeli erant; & duo illi qui Apostolis, „ ascendente in cælum Christo Domino, apparuerunt, „ cum essent Angeli, viri dicuntur ".

Quæst. 5. Quid est in Eucharistiæ Sacramento ex vi, & virtute verborum, & quid ibi est solum per concomitantiam?

Resp. Concilium Tridentinum (*sess.* 13. *c.* 3.) clare resolvit hanc difficultatem, cum ait, „ Verum Domini „ nostri Corpus, verumque ejus sanguinem sub panis & „ vini specie, una cum ipsius anima & divinitate existe- „ re: sed Corpus quidem sub specie panis, & sanguinem „ sub vini specie ex vi verborum: ipsum autem Corpus „ sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, ani- „ mamque sub utraque vi naturalis illius connexionis & „ concomitantiæ (qua partes Christi Domini, qui jam „ ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se „ copulantur): Divinitatem porro, propter admirabilem „ illam ejus cum corpore & anima hypostaticam unio- „ nem. Quapropter verissimum est, tantumdem sub al- „ terutra specie, atque sub utraque contineri, totus enim „ & integer Christus sub panis specie, & sub quavis „ ipsius speciei parte; totus item sub vini specie, & sub „ ejus partibus existit ".

Ideo autem ex vi & efficacia consecrationis, seu verborum, solum Corpus ponitur sub speciebus panis, & solus sanguis sub speciebus vini; quia id solum est in Eucharistia ex vi verborum, cujus præsentia necessaria est ad veritatem verborum, quæ proferuntur, id scilicet quod præcise significatur per verba prolata; & id est in Eucharistia per concomitantiam, quod naturalem, & necessariam connexionem habet cum eo, quod adest, seu

ſeu ponitur ex vi, & efficacia verborum: at evidens eſt, quod ad veritatem verborum conſecrationis panis, ſufficit, ut ponatur Corpus Filii Dei, & ad veritatem verborum conſecrationis vini, ſanguis, cætera vero ex neceſſaria connexione; nam cum Chriſti Corpus ſit vivens, eſſe nequit ſine ſanguine, anima, & divinitate.

„ Sub ſpeciebus panis, *ait Divus Thomas* (*3. p. q. 76.* „ *art. 2. in corp.*), ſanguis Chriſti eſt ex reali concomi- „ tantia, ſicut anima & divinitas, eo quod nunc ſanguis „ Chriſti non eſt ab ejus Corpore ſeparatus, ſicut fuit „ tempore Paſſionis & mortis. Unde ſi tunc fuiſſet hoc „ Sacramentum, celebratum ſub ſpeciebus panis, fuiſſet „ Corpus Chriſti ſine ſanguine; & ſub ſpeciebus vini, „ ſanguis ſine Corpore, ſicut erat in veritate“.

Quæſt. 6. Quomodo Corpus Chriſti Domini eſt in Euchariſtiæ Sacramento?

Reſp. Ad hujus intelligentiam ſciendum eſt cum D. Thoma (*3. p. q. 76. art. 3. in corp.*), quod „ Corpus „ Chriſti eſt in hoc Sacramento per modum ſubſtantiæ, „ id eſt, per modum quo ſubſtantia eſt ſub dimenſioni- „ bus, non per modum dimenſionum, id eſt, non per „ modum illum quo quantitas dimenſiva alicujus Corporis „ eſt ſub quantitate dimenſiva loci. Manifeſtum eſt au- „ tem, quod natura ſubſtantiæ tota eſt ſub qualibet parte „ dimenſionum, ſub quibus continetur, ſicut ſub qualibet „ parte panis eſt tota natura panis; & hoc indifferenter, „ ſive ſint dimenſiones actu diviſæ, (ſicut cum aer divi- „ ditur, vel panis ſecatur) vel etiam ſint actu indiviſæ, „ diviſibiles vero potentia“.

Ex his patet, quomodo totus Chriſtus ſit ſub qualibet parte ſpecierum Panis, non modo cum hoſtia eſt diviſa, verum etiam cum tota integra eſt; ſicut ratio ſubſtantiæ in toto continuo, & in totis ejus partibus invenitur: neque enim, ait Catechiſmus Romanus, p. 2. (*de Euchar. Sacr. n. 43.*) „ Chriſtum Dominum ea ratione in Sacra- „ mento eſſe dicimus, ut magnus, aut parvus eſt, quod ad „ quantitatem pertinet; ſed ut ſubſtantia eſt. Subſtantia „ enim Panis in Chriſti ſubſtantiam, non in magnitudi- „ nem, aut quantitatem, convertitur. Nemo vero dubi- „ tat, ſubſtantiam æque in parvo, atque in magno ſpa- „ tio contineri: nam & aeris ſubſtantia, totaque ejus na- „ tura ſic in parva ut in magna aeris parte; itemque tota „ aquæ natura non minus in urnula, quam in flumine „ inſit, neceſſe eſt. Cum igitur Panis ſubſtantiæ Corpus „ Domini ſuccedat, fateri oportet, ad eundem plane mo- „ dum in Sacramento eſſe, quomodo Panis ſubſtantia ante „ conſecrationem. Ea vero utrum ſub magna, an ſub par- „ va quantitate eſſet, nihil ad rem omnino pertinebat“.

Unde ut ait ſanctus Auguſtinus relatus in Canone (*Can. Singuli, de conſec. diſt. 2.*): „ Singuli accipiunt Chriſtum „ Dominum, & in ſingulis portionibus totus eſt: nec per „ ſingulos minuitur, ſed integrum ſe præbet in ſingulis“.

CAPUT VIII.

De speciebus Sacramentalibus.

Quæst. 1. QUid sunt species Sacramentales?

Resp. Nihil aliud per species Sacramentales significatur, quam accidentia Panis, & vini, quæ remanent post consecrationem, cujusmodi sunt figura, color, odor, sapor, & similia; & hoc est, quod Theologi, post Magistrum sententiarum, appellant Sacramentum tantum.

Quæst. 2. Quid est illud, quod vocant Sacramentum tantum; Sacramentum, & rem Sacramenti; & tandem rem, & non Sacramentum?

Resp. Sic clare a Magistro sententiarum explicatur, cum ait (*n. 4. dist. 8.*); *Sunt ergo hic tria distinguenda: unum, quod tantum est Sacramentum: alterum, quod est Sacramentum, & res: & tertium, quod res est, & non Sacramentum. Sacramentum & non res, est species visibilis Panis & vini; Sacramentum & res, Caro Christi propria & sanguis; Res & non Sacramentum, mystica ejus Caro*, vel potius ipsa gratia quæ confertur.

Id igitur, quod est in Eucharistia Sacramentum tantum, est species Panis, & species vini, quia definitio Sacramenti, quæ est, ut sit invisibilis gratiæ visibilis forma, optime competit ipsis speciebus panis, & vini: sunt enim visibilis forma invisibilis gratiæ, puta tam Corporis, & sanguinis Christi, quam gratiæ Sacramentalis, quia Corpus mysticum efficitur unum ex multis membris, sicut Panis ex multis granis. Res tantum, est gratia, quæ sumentibus ipsam Eucharistiam confertur; est enim res significata, & non significans: Corpus & sanguis sunt res, & Sacramentum; res scilicet, quia significantur per species, & per consecrationem perficiuntur; Sacramentum autem, quia Corpus Christi, quatenus sub eisdem speciebus velatur Corpus mysticum, repræsentat gratiam, quæ in alimentum Corporis mystici confertur.

Quæst. 3. Accidentia panis & vini subsistunt-ne absque subjecto in Eucharistia?

Resp. Constat ex authoritatibus inductis ad ostendendum, substantiam panis & vini non amplius in Sacramento remanere post consecrationem, accidentia panis & vini ex seipsis subsistere, & absque subjecto contra naturæ ordinem, quia nequeunt sustentari a Corpore & sanguine Jesu Christi: „ Neque etiam, *ait Divus Thomas* (*3. p. q. 77. art. 1. in corp.*), est possibile „ quod Corpus Christi gloriosum & impassibile existens, „ alteretur ad suscipiendas hujusmodi qualitates. Et ideo relinquitur, quod accidentia in hoc Sacramento „ manent sine subjecto; quod quidem virtute divina

 „ fie-

„ fieri poteſt. Cum enim effectus magis dependeat a „ cauſa prima, quam a cauſa ſecunda; Deus qui eſt „ prima cauſa ſubſtantiæ & accidentis, per ſuam infini- „ tam virtutem conſervare poteſt in eſſe accidens, ſub- „ tracta ſubſtantia, per quem conſervabitur in eſſe, ſicut „ per propriam cauſam; ſicut etiam alios effectus natu- „ ralium cauſarum poteſt producere ſine naturalibus cau- „ ſis: ſicut humanum Corpus formavit in utero Virginis „ ſine virili ſemine ".

Cujus rationem affert ſanctus Baſilius dum ait (*in Hexamer.*): „ Cum enim Deus poſſit plus facere, quam „ noſter intellectus intelligere, & intellectus intelligat ac- „ cidens præter ſubjectum: ergo Deus poteſt hoc facere, „ quod accidens ſit ſine ſubjecto ".

Quæſt. 4. Poteſt ne convenientia quædam afferri, cur accidentia manere debeant ſine ſubjecto in Sacramento Euchariſtiæ?

Reſp. Sanctus Thomas hanc egregiam adducit rationem, dum ait (*S. Th. Opuſc.* 75.): „ Accidentia ſine „ ſubjecto in Sacramento exiſtunt, ut fides locum habeat, „ dum viſibile inviſibiliter ſumitur ſub aliena ſpecie oc- „ cultatum, & ſenſus a deceptione immunes reddantur, „ qui de accidentibus judicant ſibi notis ". Et ita per cognitionem horum accidentium fidem noſtram excitemus, qua docemur, Corpus Chriſti Domini vere ſub his accidentibus contineri.

Quæſt. 5. Quandonam Corpus Chriſti Domini deſinit eſſe ſub ſpeciebus Sacramentalibus?

Reſp. Sic reſpondet Divus Thomas (3. *p. q.* 77. *art.* 4. *in corp.*): „ Cum corpus Chriſti & ſanguis ſuccedant in „ hoc Sacramento ſubſtantiæ Panis & vini, ſi fit talis „ immutatio ex parte accidentium quæ non ſuffeciſſet ad „ corruptionem panis & vini; propter talem immutatio- „ nem non deſinit corpus & ſanguis Chriſti eſſe ſub hoc „ Sacramento, ſive fiat immutatio ex parte qualitatis, „ puta cum modicum immutatur color aut ſapor panis „ vel vini; ſive ex parte quantitatis, ſicut cum dividi- „ tur Panis aut vinum in tales partes, quod adhuc in „ eis poſſit ſalvari natura Panis aut vini. Si vero fiat „ tanta immutatio, quod fuiſſet corrupta ſubſtantia Pa- „ nis & vini, non remanet corpus & ſanguis Chriſti ſub „ hoc Sacramento, & hoc ſive ex parte qualitatum, „ ſicut cum ita immutatur color & ſapor, & aliæ quali- „ tates Panis & vini, quod nullo modo poſſit compati „ naturam Panis aut vini; ſive etiam ex parte quanti- „ tatis, puta ſi pulverizetur Panis, vel vinum in tam „ minutas partes dividatur, ut jam non remaneant ſpe- „ cies Panis vel vini.

Quæſt. 6. Species Sacramentales poſſunt ne corrumpi, & inſervire generationi alicujus ſubſtantiæ?

Reſp. Certum eſt, atque experientia compertum, multa ſæpe ex Euchariſtia generari; patet enim ad ſenſum,

ex

ex speciebus minimo humore corruptis, vel mora diuturniore servatis, vermes generari, easque combustas in cinerem redigi, efficique acetum ex vino. Quod quomodo fieri possit, ostendit Divus Thomas his verbis (3. *p. q.* 78. *art.* 3. *in corp.*): *Species Sacramentales retinent idem esse, quod prius habebant, substantia panis & vini existente; & ideo sicut esse horum accidentium corrumpi poterat, substantia panis & vini existente, ita etiam potest corrumpi, ea substantia abeunte*. Quoniam corpus Christi Domini huic substantiæ succedens, id omne præstat, quod præstaret talis substantia si permansisset.

Major est difficultas concipiendi, quomodo ex speciebus Sacramentalibus, quæ sunt in hoc Sacramento sine substantia, generari possit alia substantia; quod etiam explicat sanctus Thomas loco citato (*art.* 2. *in corp.*), „ Videtur dicendum, *inquit*, quod in ipsa consecratione „ miraculose datur quantitati dimensivæ Panis & vini, „ quod sit primum subjectum subsequentium formarum: „ hoc autem est proprium materiæ. Et ideo ex conse„ quenti datur prædictæ quantitati dimensivæ omne il„ lud, quod ad materiam pertinet; & ideo quidquid pos„ set generari ex materia Panis vel vini, si adesset, „ totum potest generari ex prædicta quantitate dimensiva „ Panis vel vini, non quidem novo miraculo, sed ex vi „ miraculi prius facti.

Sensus ergo Divi Thomæ est, quod quia per consecrationem datum est quantitati supplere vices materiæ primæ quantum ad omnia, quæ instans generationis antecedunt, ita ut formas accidentales, & omnes dispositiones ad novam præparantes recipere queat; ideo Deus, introducta ultima dispositione, materiam primam producit in ipso instanti generationis novæ formæ, quæ tamen ex sinu materiæ, vi agentium naturalium, dicitur educi, quatenus vi ultimæ dispositionis, ab agente naturali inductæ, materia a Deo producta, talem, & non aliam recipit formam; nec est necesse, quod materia ad recipiendas novæ formæ dispositiones, tempore præcesserit novam formæ introductionem, modo in suas vices gerente quantitate antecesserit: cum enim de æquipollentibus idem sit judicium, satis est, ut quantitas officia materiæ supplens, toto tempore instans generationis antecedente, sub novæ formæ privatione præcesserit.

Porro Deus materiam in ejusmodi generationibus connaturaliter substituit, utpote qui ad exigentiam causarum naturalium eam subministrat; statim enim atque dispositiones ad novam formam positæ sunt, exigunt causæ naturales eam formam introduci, ad quam dispositiones per se sunt institutæ: forma vero cum introduci non possit, nisi in materiam, nec materia vi agentium naturalium produci possit; idcirco ad generalem totius Orbis provisorem attinet, causarum secundarum exigentiam supplere, ac convenientem proinde materiam mox

educendæ formæ ſupponere; ſicut animam rationalem ad exigentiam organicæ materiæ creat.

Hinc ſequitur, ſpecies Sacramentales poſſe nutrire, quoniam quidem cibus non aliter nutrit, quam per ſui converſionem in ſubſtantiam ejus qui alitur; proindeque cum ſpecies Sacramentales, ut diximus, converti poſſint in ſubſtantiam, quæ generatur ex his ſpeciebus, poſſunt etiam converti in ſubſtantiam corporis humani.

CAPUT IX.

De miniſtro Sacramenti Euchariſtiæ.

Quæſt. 1. QUiſnam eſt hujus Sacramenti Miniſter? *Reſp.* Duplex in hoc Sacramento diſtinguendus eſt Miniſter. Alter eſt Miniſter confectionis; alter diſtributionis, ſeu diſpenſationis Euchariſtiæ. Miniſter confectionis eſt ſolus Sacerdos; *Ad Presbyterum*, inquit ſanctus Iſidorus relatus in Canone (*Can. Perlectis*, *diſt.* 25.) *pertinet*, *Sacramentum Corporis & ſanguinis Domini in altari Dei conficere*: quia ſolus Presbyter conſecrare poteſt.

Ratio petitur ex hujus Sacramenti dignitate; ut enim ait Divus Thomas (3. *p. q.* 82. *art.* 1. *in corp.*): „ Hoc „ Sacramentum eſt tantæ dignitatis, quod non conficitur, niſi in perſona Chriſti. Quicumque autem aliquid „ agit in perſona alterius, oportet hoc fieri per poteſtatem ab illo conceſſam. Sicut autem baptizato conceditur a Chriſto poteſtas ſumendi hoc Sacramentum, „ ita Sacerdoti, cum ordinatur, confertur poteſtas hoc „ Sacramentum conferendi in perſona Chriſti. Per hoc „ enim ponitur in gradu eorum, quibus dictum eſt a „ Domino: hoc facite in meam commemorationem, „ & ideo dicendum eſt, quod proprium eſt Sacerdotis „ conficere hoc Sacramentum.

Pertinet etiam ad Sacerdotem hujus Sacramenti diſpenſatio: *Presbyter*, ut habetur in Canone (*Can. Pervenit*, *de Conſecr. diſt.* 2.), *per ſemetipſum infirmus communicet*.

Poteſt tamen Diaconus adminiſtrare Euchariſtiam urgente neceſſitate, ut dicitur in Canone (*Can. Præſent. diſt.* 93.): *Præſente Presbytero*, *Diaconus Euchariſtiam Corpus Domini populo*, *ſi neceſſitas cogat*, *juſſus eroget*. Et in Concilio Eboracenſi anno 1194. cap. 4. ſic habetur: *Decrevimus etiam*, *ut nonniſi ſumma & gravi urgente neceſſitate*, *Diaconus Corpus Chriſti cuiquam eroget*.

Quæſt. 2. Requiritur-ne ſtatus gratiæ ad adminiſtrandum Sacramentum Euchariſtiæ?

Reſp. Eſt omnino neceſſarius, ita ut qui diſpenſaret Euchariſtiam in ſtatu peccati mortalis, peccaret graviter; ut enim ait Divus Thomas (*in* 4. *ſent. diſt.* 23. *art.* 3. *q.* 1. *ad* 2.): *Ad reverentiam ipſius in diſpenſante hoc*

Sa-

Sacramentum, non solum exigitur sanctificatio morum, sed etiam Sacramentalis sanctificatio. Unde & manus Sacerdotis unctione sanctificantur. Si enim Deus exigat tantam sanctitatem ab illis, qui ad altare propius accedunt, ut secundum sanctum Antoninum (*in Confessionali in 3. p. interrog. de Clericis c.* 11.): *Quotiescumque quis exequitur officium alicujus Ordinis in mortali, ut Acolythatum, Subdiaconatum, & hujusmodi, mortale est*; quanto magis asserere debemus, eum qui in peccato mortali hoc Sacramentum administrat, reum peccati mortalis; quippe qui propius ad res sacras accedat, quam Acolythus, aut Subdiaconus, qui circa vasa, aut circa materiam hujus Sacramenti parandam versantur?

Quæst. 3. Quibusnam administrari non debet Sacramentum Eucharistiæ?

Resp. Ex Divo Thoma (*in 4. dist. 9. art. 5. in resp. ad 1. q.*): *Si peccatum est manifestum, debet denegari Eucharistia, sive in occulto, sive in manifesto petat.* Idem habet Divus Bonaventura.

Sanctus Joannes Chrisostomus ait (*hom. 43. in Matth.*) *Non parva vobis*, scilicet Sacerdotibus, *imminet pœna, si quem aliqua improbitate teneri scientes, ei hujus mensæ participationem permittatis: Sanguis enim ejus ex manibus requiritur vestris; non de ignotis, sed de notis hæc disputo.*

Sanctus Carolus de Sacramento Eucharistiæ disserens, hæc tradit (*Act. p. 4. de Sacram. Euchar.*) „ Non „ admittuntur ad Communionem Hæretici, Schismatici, „ Excommunicati, Interdicti, publice criminosi, ma- „ nifesteque infames; ut Meretrices, publici Concubina- „ rii, fœneratores, Magi, Sortilegi, Blasphemi, & alii „ id generis publice facinorosi homines “. Et in Concilio Mediolanensi (4. *tit. Quæ ad Pœnit. Sacr. pert.*) legitur: „ Si qui odia & inimicitias exerceant, si alii „ denique qui in aliqua peccandi consuetudine usuque „ jaceant. Nec vero antea, quam ipse perspexerit, istos „ ab ea male agendi via recessisse, peccandique occasio- „ nem, ac publicas offensiones præcidisse, permittas „ (etiamsi qui testimonium Confessarii afferant) ne in „ Paschali quidem celebritate sacram Communionem eis „ ministrari: quin imo illam tamdiu differri jubeat, „ quoad eorum veram vitæ emendationem Episcopus co- „ gnoverit “.

Huic sanctæ doctrinæ adhærens Carolus Bascapè, Episcopus Novariensis, Sancti Caroli olim familiaris, sic loquitur in monitis Parochis datis vulgari lingua (*Carlo Vescovo di Novarra 1594. lettera a' Vicarii foranei.*) „ Che ciascuno Curato avvisi il suo popolo, che peccato- „ ri pubblici non saranno ammessi alla Santissima Co- „ munione, ancora che portino fede di essere confessati „ altrove, se prima non vede in loro l'emendazione con-

„ veniente ; ed in effetto, quando si presenteranno o u„ surarii manifesti, o persone che tengono concubine, „ o altramente siano in peccati di carne, o altri, che „ pubblicamente siano in stato di peccato mortale, non „ diano loro la santissima Comunione. E se alcuno di „ questi porterà il testimonio di essersi confessato altro„ ve, il Curato lo pigli, e lo mandi a noi, acciocchè „ sappiamo il Confessore, dal quale quel tale sarà asso„ luto ; ma con tutto ciò non l'ammetta alla Santissima „ Comunione, senza nostro ordine".

His accedunt Histriones, quia, ut ait sanctus Cyprianus relatus in Canone (*Can. Pro delectione de conf. dist.* 3.): *Nec Majestati Divinæ, vel Evangelicæ congruit disciplinæ, ut pudor, vel honor Ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur per Communionem.* Posset tamen illis concedi Eucharistia, ut ait Concilium Carthaginense (*Can. Scenicis, de conf. dist.* 2.), si veræ conversionis signa dedissent: *Scenicis*, inquit Concilium, *atque Histrionibus, cæterisque hujusmodi personis, vel Apostaticis conversis, vel reversis ad Dominum, gratia vel reconciliatio non negetur.*

Et in accurata Synodo Farfensi (*sub Carolo Card. Barberin. c.* 9. *q.* 7. *p.* 76.) sic statuitur: „ Sedulo præterea „ Parochi caveant, ne quosvis indiscriminatim ad sacram „ Communionis mensam admittant, omnino excludentes „ publice excommunicatos, concubinarios, meretrices, „ blasphemos, maleficos, usurarios publicos, itemque „ publice criminosos: eos præterea, qui in odio proximi „ cum scandalo perseverant, necnon conjuges cohabitare „ sine causa legitima nolentes ; nisi prius hi omnes cer„ tum pœnitentiæ cum vitæ emendatione signum dede„ rint". Vide infra c. 11. q. 4.

Denique sanctus Carolus monet (*Act. p.* 4. *de Sacr. Euchar.*), ut „ Mulieres non sumptuosis, non caudatis „ vestibus, non crinibus inaniter intortis, non fuco aut „ pigmentis vultu illito, non pectore nudo aut tenui ve„ lo obtecto, sed ita vestito, ut ne præter faciem quid„ quam cernatur, velo denso bene super faciem demisso, „ *ad hoc Sacramentum accedant ; secus esse reppellendas.*

Quæst. 4. Debet-ne dari Eucharistia iis, quorum peccatum non est publice notum?

Resp. Sanctus Thomas hanc egregie solvit difficultatem, cum ait (*in* 4. *dist.* 9. *art.* 5. *in resp. ad* 1. *q.*): „ Si Sacerdos sciat peccatum alicujus, qui Eucharistiam „ petit, per Confessionem, vel alio quolibet modo ; di„ stinguendum est, quia aut peccatum est occultum, „ aut manifestum. Si est occultum, aut exigit in occul„ to, aut in manifesto. Si in occulto, debet ei denega„ ri, & monere, ne in publico petat. Si autem in ma„ nifesto petit, debet ei dari. Primo, quia pro peccato „ occulto pœnam inferens publicam, revelator est Con„ fessionis, aut proditor criminis. Secundo, quia quilibet

Chri-

„ Christianus habet jus in perceptione Eucharistiæ, nisi „ illud per peccatum mortale amittat; unde cum in fa- „ cie Ecclesiæ non constet, istum amisisse jus suum, „ non oportet ei in facie Ecclesiæ denegari.

Rituale Romanum de Sacramento Eucharistiæ ait: *Occultos vero peccatores, si occulte petant, & non eos emendatos agnoverit, repellat; non autem si publice petant, & sine scandalo ipsos præterire nequeat.*

Quæst. 5. Debet-ne pueris ante annos discretionis dari sancta Communio?

Resp. Licet prioribus Ecclesiæ sæculis quibusdam in locis concessa fuerit pueris sacra Communio; hæc tamen consuetudo prudentissimo Ecclesiæ judicio, & authoritate nunc penitus exolevit: *Pueris item*, ait sanctus Carolus (*Act. p. 8. de Sacr. Euch.*), *qui propter ætatis imbecillitatem nondum hujus Sacramenti cognitionem & gustum habent, Sacram Eucharistiam non ministrabit.*

Rationem affert Divus Thomas (*in* 4. *dist.* 9. *art.* 5. *resp. ad* 4. *q.*), dum ait: Dicendum, quod pueris ca- „ rentibus usu rationis, qui non possunt distinguere inter „ cibum spiritualem & corporalem, non debet Euchari- „ stia dari, quia ad Eucharistiæ sumptionem exigitur „ actualis devotio, quam tales pueri habere non possunt; „ pueris autem jam incipientibus habere discretionem, „ etiam ante perfectam ætatem, puta cum sint decem „ vel undecim annorum, aut circa hoc, potest dari, si „ in eis signa discretionis appareant & devotionis ". Quod præsertim intelligendum est, si mortis immineat periculum, ne sine hoc Viatico discedant.

Quæst. 6. Quomodo intelligendum est quod refertur in Canone (*Can. in Ecclesia, de consecr. dist.* 4.), ubi sic ait Bonifacius Papa: *Non cogitetis eos vitam habere posse, qui fuerint expertes Corporis & sanguinis Christi, dicente ipso, Nisi manducaveritis Carnem meam, non habebitis vitam in vobis.*

Resp. Sanctus Thomas sic ait (*in* 4. *dist.* 5. *art.* 5. *q.* 4. *ad* 1.); *Intelligendum est, quantum ad rem Sacramenti, quæ est unitas Ecclesiæ, extra quam non est salus, neque vita; & non quantum ad Sacramentalem manducationem.*

Quæst. 7. Debetne dari Sacra Communio amentibus rationis usu carentibus?

Resp. „ Dicendum, *cum divo Thoma* (*in* 4. *dist.* 1. „ *art.* 1. *in resp. ad* 3. *q.*), quod de amentibus distin- „ guendum est; quidam enim dicunt large amentes, qui „ debilem mentem habent, sicut dicitur invisibile quod „ male videtur: & tamen sunt aliquo modo docibiles „ eorum quæ ad fidem & devotionem Sacramenti perti- „ nent: & talibus non oportet Corpus Christi denegari. „ Quidam vero sunt omnino carentes judicio rationis: „ & isti vel fuerunt tales a nativitate; & tunc eis non „ debet dari, quia non possunt ad devotionem induci,

„ quæ requiritur ad hoc Sacramentum ; vel inciderint
„ in amentiam post fidem & devotionem Sacramenti ;
„ & tunc debet eis dari, nisi timeatur periculum vel
„ de vomitu, vel de expulsione, aut aliquo hujusmo-
„ di ".

Concilium Carthaginense IV. relatum in Canone ait (*Can. Is qui 26. q. 6.*) : „ Is qui pœnitentiam in infir-
„ mitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus
„ venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phre-
„ nesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audie-
„ runt, & accipiat pœnitentiam, & si continuo credi-
„ tur moriturus, reconcilietur per manus impositionem,
„ & infundatur ori ejus Eucharistia. Si supervixerit, ad-
„ moneatur a supradictis testibus petitioni suæ satisfa-
„ ctum, & subdatur statutis pœnitentiæ legibus, quam-
„ diu Sacerdos qui pœnitentiam dedit probaverit ".

Idem decrevit S. Carolus (*Act. p. 4. De Sacr. Euchar. tit. qui ad com. admittendi.*) „ Amentibus, inquit, præ-
„ terea hoc Sacramentum non ministrabit. Quamvis si
„ antequam in insaniam inciderint, piam & religiosam
„ animi voluntatem præ se tulerint, licebit in fine vitæ
„ ex Decreto Concilii Carthaginensis, modo vomitatio-
„ nis vel alterius indignitatis & incommodi periculum
„ non sit ".

Idem videtur dicendum de surdis & mutis a nativitate, si dum essent sani & incolumes, divinis mysteriis & officiis libenter & religiose interfuerint, si cum honoris & reverentiæ testificatione Deum adoraverint, & externo corporis habitu testati fuerint, se realem Corporis Christi in hoc Sacramento adorandi præsentiam credere, & ardens quoddam ejusdem Corporis percipiendi desiderium nutibus & signis patefecerint: si denique præmissa Sacramentali confessione, quæ ab eis per signa, & nutus extorquetur, pectoris tunsione, & aliis id generis indiciis, conceptum de peccatis dolorem, sicut & piam animi voluntatem, indicaverint.

Quæst. 8. Quisnam dici potest manifestus, sive publicus peccator, ita ut ei merito denegari possit sacra Communio?

Resp. Manifesti peccatores dicuntur illi qui vel per sententiam, quæ in convictum fertur, aut per confessionem factam in judicio, sunt notati: vel qui per factum notorium, cujus populus est testis, sunt manifesti peccatores. Itaque ille dicitur v. g. publicus usurarius, qui per propriam confessionem, aut per testes a Judice pro tali damnatur; vel qui ex notorio factus est manifestus peccator, ut qui ex officio usuras exercet.

Illud autem dicitur peccatum publicum & notorium per evidentiam facti, quod nulla tergiversatione potest celari, ut habetur expresse in cap. *Tua nos, de Cohabitatione Clericorum & mulierum*. Ubi vero de administratione Sacramentorum agitur, nullus certus potest præscribi personarum numerus, ut crimen dicatur noto-

rium;

rium; sed relinquitur prudentum arbitrio, seu judicio.

Quæst. 9. In dubio, utrum scilicet quis sit publicus peccator, si potest probari ejus crimen per testes, debet-ne a publica Communione excludi?

Resp. In re dubia locum habet regula juris; *Melior est conditio possidentis*; unde quia quis possessor est suæ famæ, inclinandum est in hanc partem, ut in re ancipiti ad Communionem admittatur, præsertim cum juxta axioma Juris, omnis homo naturaliter præsumatur bonus, nisi contraria facta ejus prodant delicta.

Non ideo semper crimen dicitur notorium, quod probari per testes valeat; indicia autem jus tantum faciunt, ut via inquisitionis ad causæ cognitionem procedatur; non autem ut infames ante condemnationem, aut notorietatem, a sacra Communione arceantur: nisi quando nulla tergiversatione crimen occultari potest, quia a multis certo scitur.

Quæst. 10. Si peccat Sacerdos ministrando Eucharistiam peccatori publico, esset-ne minus malum ministrare ei hostiam non consecratam?

Resp. Nullo modo debet dari hostia non consecrata pro consecrata: tum quia in Sacramento veritatis non debet esse aliqua fictio: tum quia cum manducans adoret, quod manducat, ut ait Sanctus Augustinus, daret Sacerdos occasionem idololatrandi; quod gravissimum est flagitium, & pio Sacerdoti horrorem incutere debet.

CAPUT X.

De necessitate Sacramenti Eucharistiæ.

Quæst. I. QUotuplex est necessitas?

Resp. Duplex necessitatis genus distingui potest: altera est necessitas medii, cum scilicet res adeo necessaria est ad obtinendum finem, ut sine ipsa finis numquam haberi possit: sic gratia sanctificans necessaria est ad salutem necessitate medii, quia sine ipsa salus numquam obtineri potest.

Altera est necessitas præcepti, cum scilicet ad salutem necessaria est, quia omitti absque peccato non potest, propter præceptum, quod instat, nisi adsit aliqua ratio, quæ dispensare censeatur a præcepto. Sic necessarium est ad salutem audire Missam die Dominica, quia præceptum est; quamvis alias salus obtineri possit, cum ob grave aliquod incommodum accedit legitima non adimplendi præcepti dispensatio.

Quæst. 2. Quot modis sumi potest Eucharistia?

Resp. Dupliciter sumi potest. Primo realiter, & vere: secundo spiritualiter & in voto. Sumitur realiter, cum suscipitur ore corporeo, tum sumitur spiritualiter, cum scilicet, quamvis realiter non sumatur, adest tamen verum illam recipiendi desiderium: quod deside-

rium seu votum esse potest vel implicitum, vel explicitum; votum explicitum est, cum adest vera, & expressa voluntas sumendi Eucharistiam: est tantum implicitum, cum licet non sit expressa suscipiendi voluntas, aliquod tamen recipitur, quod in se continet hujus Sacramenti votum, seu desiderium, sicut ait Divus Thomas (*3. p. q. 76. art. 3. in corp.*): „ Perceptio Baptismi est necessaria ad inchoandam spiritualem vitam: perceptio autem Eucharistiæ est necessaria ad consummandam ipsam. Per Baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam: & ideo ex hoc ipso, quod pueri baptizentur, ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam. Et sicut ex fide Ecclesiæ credunt, sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam; & consequenter recipiunt rem ipsius, *quæ est unio cum Ecclesia* ".

Quæst. 3. Eucharistia realiter sumpta, est-ne de necessitate medii ad salutem tam pueris, quam adultis?

Resp. Non est hoc modo necessaria, ut patet ex Concilio Tridentino (*sess. 2. c. 4.*) his verbis: „ Eadem sancta Synodus docet, parvulos usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ Communionem: siquidem per Baptismi lavacrum regenerati & Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt ": ac proinde Eucharistia non est pueris necessaria ad salutem, cum possint in gratia sanctificante decedere, non suscepta Eucharistia: ad salutem autem consequendam utique sufficit in statu gratiæ decedere.

Neque etiam Eucharistia est de necessitate medii adultis; ut enim dicitur Marci cap. ultimo: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*.

Et ut ait Divus Thomas (*in 4. dist. 9. art. 1. in resp. ad 2.*): „ Gratia est sufficiens causa gloriæ. Unde omne illud, sine quo potest haberi gratia, non est de necessitate salutis. Hoc autem Sacramentum gratiam præsupponit, quia præsupponit Baptismum, in quo gratia datur: & ideo quantum est de se, non est de necessitate salutis; sed de ordinatione Ecclesiæ homines obligantur, secundum Ecclesiæ statutum, Corpus Christi semel in anno sumere ".

Quæst. 4. Votum proprium & explicitum Eucharistiæ, est ne necessarium necessitate medii ad salutem?

Resp. Non est ita necessarium: Primo, quia pueri salutem consequi possunt absque percepta Eucharistia, ut probavimus ex Concilio Tridentino; qui tamen hujus desiderii sunt incapaces. Secundo, quia illud tantum Sacramentum est necessarium necessitate medii, quod institutum est ad producendam primam gratiam sanctificantem, quæ, ut diximus ex Divo Thoma, est sufficiens causa salutis obtinendæ; ac proinde, cum Eucharistiæ Sacramentum institutum non sit ad producendam primam gratiam, sequitur, non esse necessarium necessitate

te medii verum illud recipiendi votum, seu desiderium.

Quæst. 5. Votum implicitum & improprie dictum Eucharistiæ, est ne ad salutem necessarium necessitate medii?

Resp. Cum hoc votum contineatur in susceptione Baptismi, quatenus per Baptismum unimur Ecclesiæ, & idonei efficimur ad sumendum Sacramentum Eucharistiæ; sicut etiam propter propensionem, quam, qui recipit vitam spiritualem, censetur habere eam conservandi, & perficiendi per susceptionem Eucharistiæ, quæ est vitæ spiritualis consummatio; sequitur quod sicut Baptismus est de necessitate medii ad salutem, ita votum Eucharistiæ improprie acceptum, paris sit necessitatis.

Quæst. 6. Quomodo intelligendum est id, quod dicitur Joannis cap. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: Ex quo videtur posse concludi, Sacramentum Eucharistiæ realiter susceptum esse de necessitate medii ad vitam æternam consequendam?

Resp. Sanctus Thomas (3. *p. q.* 73. *art.* 3. *ad* 1.) clare explicat hunc locum authoritate Divi Augustini, cujus verba referuntur in Canone „ Cum dicat, hunc cibum & potum (scilicet carnis suæ & sanguinis) societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum, quod est Ecclesia in prædestinatis & vocatis, & justificatis & glorificatis sanctis & fidelibus ejus ". Hoc est, secundum explicationem Divi Augustini, necesse est ad salutem, manducare, & bibere Corpus & Sanguinem Domini, ita ut per hanc manducationem unitas Ecclesiæ intelligatur, quam, ut supra diximus, habemus per Baptismum.

Quare S. Fulgentius relatus in Canone, qui Canon Divo Augustino tribuitur, ait (*Can. Nulli, de consecr. dist.* 4.), „ Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque Fidelium Corporis sanguinisque Dominici participem fieri, quando Baptismate membrum Christi efficitur; nec alienari ab illius Panis Calicisque consortio, etiam si, antequam Panem illum comedat & Calicem bibat, de hoc sæculo in unitate Corporis Christi constitutus abscedat: Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non privatur, quando ipse hoc, quod illud Sacramentum est, invenit " Hoc est, unionem Christi cum Ecclesia, quam habemus per baptismum.

Quæst. 7. Est ne de necessitate præcepti Divini sumere Eucharistiam?

Resp. Respondet D. Thomas his verbis (3. *p. q.* 80. *ar.* 11. *in corp.*) „ Manifestum est, quod homo tenetur hoc Sacramentum sumere, non solum ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini dicentis Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. Ex statuto autem Ecclesiæ sunt determinata tempora exequendi Christi

„ præce-

„ præceptum “. Et Concilium Tridentinum (*Seff.* 13. *c.* 2.) ait: „ Salvator noſter diſceſſurus ex hoc mundo „ ad Patrem, Sacramentum hoc inſtituit, & in illius „ ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit “. Eſt igitur de præcepto Divino ſumere Euchariſtiam, licet Chriſtus Dominus Eccleſiæ judicio reliquerit determinandum ejus obligationis tempus?

Quæſt. 8. Quonam tempore præceptum Divinum obligat ad perceptionem Euchariſtiæ?

Reſp. Olim ter in anno tenebantur Fideles Euchariſtiam ſumere, ut patet ex Canone (*Can. Etſi*, *de conſec. diſt.* 2.), ubi legitur: „ Etſi non frequentius, ſaltem in anno ter Laici homines communicent, Paſcha „ videlicet, & Pentecoſte, & Natali Domini “.

Deinde hoc tempus determinatum fuit a Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. (*Cap. Omnis de pœnit. & remiſſ.*) ut ſemel in anno ad Euchariſtiam Fideles accedere tenerentur: „ Omnis utriuſque ſexus Fidelis, „ *inquit*, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, „ ſuſcipiat reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ „ Sacramentum; niſi forte, de proprii Sacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus ab „ hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum “.

Et Concilium Tridentinum (*Seff.* 13. *Can. q.* 9.) ait: „ Si quis negaverit, omnes & ſingulos Chriſti Fideles „ utriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis pervenerint, „ teneri ſingulis annis, ſaltem in Paſchate, ad communicandum juxta præceptum Eccleſiæ, anathema ſit “.

Statuitur autem in Venerabili Synodo Farfenſi (*Synodus Farfenſis ſub Carolo Card. Barberino c.* 8. *n.* 8. *p.* 77.), quod Parochi „ tempore Paſchali, quod clauditur „ Dominicis Palmarum, & in Albis, ipſi per ſe oves ſuas „ cæleſti hoc cibo reficiant; quod ſi quis a Parochia „ tempore paſchali abfuerit, intra octo dies poſt reditum, in eadem communicare, ſub pœnis contra non „ communicantes ſancitis, teneatur; niſi præcepti in alia „ Eccleſia adimpleti atteſtationem attulerit, cui an fides „ ſit adhibenda, nec ne, Parochus, penſatis perſonarum „ qualitatibus, prudentia ſua atque conſcientia judicabit.

„ Et quoniam aliqui, data opera, ut proprii Parochi „ judicium effugiant, a ſua parochia hoc tempore abſunt; „ idcirco, nulla habita ratione atteſtationis Communionis „ realis forſitan factæ, poſt reditum ad præcepti adimplementum teneantur, niſi forte per octo continuos dies „ ante feriam quintam in Cœna Domini abfuerint.

Verum Innocentius XI. pravam deſtruere volens quorundam Caſuiſtarum opinionem circa hujus præcepti impletionem, damnavit ſequentem propoſitionem (*Decretum Innoc. XI. contra* 65. *Propoſit.* 2. *Martii* 1689.): *Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem*.

Obligat etiam hoc præceptum, cum inſtat mortis periculum,

riculum, ut patet ex Concilio Nicæno relato in Canone (*Can. de his* 25. *q.* 6.), ubi legitur: *De his vero qui recedunt ex corpore, antiquæ legis regula observabitur etiam tunc, ita ut si forte quis recedit ex corpore, necessario vitæ suæ Viatico non defraudetur*: proindeque, secundum hoc Concilium, Eucharistia est necessaria necessitate præcepti Divini iis qui sunt in mortis periculo, cum a Concilio necessarium Viaticum vocetur. Secundo, quia ut ait Concilium Tridentinum (*Conc. Trid. sess.* 23. *c.* 3.): *Panem illum supersubstantialem suscipere possunt Fideles, cujus vigore confortati ex hujus miseræ peregrinationis itinere ad cælestem patriam pervenire valeant*. Unde patet, tunc, scilicet instante morte, Divinum Viaticum, quod Concilia necessarium vocant, omnino ex præcepto Divino sumendum esse.

Quæst. 9. Si quis paucis ante diebus sacram Communionem perceperit, tenetur-ne iterum sumere imminente mortis periculo?

Resp. Tenetur, quia instante mortis periculo, nova urget necessitas, novo robore in mortis agone opus est, ut patet ex Concilio Tridentino supra citato.

Quæst. 10. Præceptum de sumenda Eucharistia in ipsa Paschali solemnitate, debet-ne impellere Confessarios ad impertiendam pœnitentibus absolutionem, vel Communionem, quam ipsis alias denegarent.

Resp. Non possunt, nec debent; nam ita se gerere debent, ut quocumque tempore sese fideles Cælestium Mysteriorum dispensatores exhibeant, nec umquam ea, quatenus in ipsis erit, sacrilego accessu violari patiantur. Hominum, v. g., in vitiosos habitus implicatorum, aut in proximis peccandi occasionibus degentium Communionem in aliud tempus differre possunt, & debent; eam enim facultatem ipsis facit celeberrimus Canon, *Omnis utriusque sexus* (*Can. Omnis, de pœnit. & remiss.*); ubi postquam præcepit omnibus Fidelibus, ut suscipiant reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, addit: *Nisi forte, de proprii Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum*. Proindeque Confessores, qui pœnitentium saluti consulere tenentur, ut eos, faciliori percipiendæ Eucharistiæ copia facta, non conjiciant in apertum, aut certe probabile damnationis periculum, debent differre Communionem. Imo talibus viris in vitiosos habitus, & proximas peccandi occasiones immersis, in ipsa Paschatis celebritate potius, quam alio tempore, Corporis Christi perceptio interdicenda aliquo modo videretur; nam ad vitiosos habitus, & ad proximas peccandi occasiones, contumaciam addidere, utpote qui observandæ Quadragesimæ præceptum Fidelibus ab Ecclesia impositum, criminosa suæ salutis incuria violarunt. Nemo enim nescit, Ecclesiam Dei omnibus passim Fidelibus observandæ

Qua-

Quadragesimæ præceptum indixisse, ut omnes Catholici, & præsertim mortalium peccatorum sibi conscii, ipsa ineunte Quadragesima rite confessi, condignis pœnitentiæ fructibus, id est, orationibus, eleemosynis, jejuniis, aliisque id genus pietatis operibus, ad satisfaciendum, ad impetrandum, & ad promerendum divinitus institutis, non solum sua expiarent crimina, sed etiam vitiosos habitus, male vivendo comparatos, ex animo revellerent, & incumberent in parandas virtutes Christianas, atque ita ad dignam Communionem, cum veris Fidelibus in ipsa Paschatis solemnitate celebrandam, sese omni studio ac diligentia compararent.

Quod quidem præceptum cum aliquo modo infregerint, an a viro cordato judicabuntur facile digni, qui accedant vel in ipso Paschate ad Corpus Christi, ad cujus perceptionem (quæ maximam animi corporisque sanctimoniam, & puritatem exigit) nullam præparationem adhibuerunt?

Quæst. 11. Tenentur-ne pueri Eucharistiam sumere, cum ad annos discretionis pervenerint?

Resp. Constat ex Divo Thoma c. præcedenti relato, hoc præceptum non obligare pueros, nisi post perfectam dignitatis hujus Sacramenti notitiam, juxta id quod ait Apostolus (1. *ad Cor. c.* 11.): *Probet autem seipsum homo, & sic de Pane illo edat, & de Calice bibat. Si autem*, ait Divus Thomas (4. *ad Hann. dist.* 9. *art.* 4. *ad* 3.), *sunt in ætate apta ad dijudicandum & reverendum Corpus Domini, vel prope ætatem adultam (scilicet* 12. *annorum vel* 11.) *tunc si appareant signa reverentiæ & discretionis possunt sumere; alias non.*

Quæst. 12. Est-ne ad salutem necessarium sumere Eucharistiam sub utraque specie Panis, & vini, juxta illud Christi Domini: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* Quæ verba innuere videntur hoc Sacramentum sub utraque specie esse sumendum?

Resp. Oppositum est de fide definitum in Concilio Constantiensi (*sess.* 13.) ubi legitur: „ Licet in primitiva
„ Ecclesia hujusmodi Sacramentum reciperetur a Fidelibus
„ sub utraque specie: tamen hæc consuetudo ad evitan-
„ dum aliqua pericula & scandala, est rationaliter in-
„ troducta, quod a conficientibus sub utraque specie, &
„ a Laicis tantummodo sub specie Panis suscipiatur; cum
„ firmissime credendum sit, & nullatenus dubitandum,
„ integrum Christi Corpus & Sanguinem tam sub specie
„ Panis, quam sub specie vini contineri. Quapropter di-
„ cere, quod hanc legem & consuetudinem observare sit
„ sacrilegum aut illicitum, censeri debet erroneum: per-
„ tinaciter asserentes oppositum, tamquam Hæretici ar-
„ cendi, & graviter puniendi sunt. Item præcipimus sub
„ pœna excommunicationis, quod nullus Presbyter com-
„ municet populum sub utraque specie Panis & vini “.

Et Concilium Tridentinum (*Seſſ.* 21. *c.* 1.) diſerte explicat authoritatem Scripturæ a nobis adductæ : *Sed neque, ait, ex ſermone illo apud Joannem 6. recte colligitur, utriuſque ſpeciei Communionem a Domino præceptam eſſe (utcumque juxta varias ſanctorum Patrum & Doctorum interpretationes intelligatur) namque qui dixit :* Niſi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis ; *dixit quoque :* Si quis manducaverit ex hoc Pane, vivet in æternum. *Et qui dixit :* Qui manducat meam Carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam : *dixit etiam :* Panis, quem ego dabo, Caro mea eſt pro mundi vita. *Is denique qui dixit ;* Qui manducat meam Carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo : *dixit nihilominus :* Qui manducat Panem hunc, vivet in æternum.

Ex quibus Concilii verbis clare ſatis patet, Dei præcepto ſatisfieri, cum ſub ſola ſpecie Panis recipitur Euchariſtia, quia Corpus & Sanguis Chriſti Domini noſtri recipitur.

Quæſt. 13. Si non teneantur Fideles Euchariſtiam recipere ſub utraque ſpecie, quare Gelaſius Papa relatus in Canone (*Can. Comperimus, de conſecr. diſt.* 2.) damnat eos, qui hoc Sacramentum recipiunt ſub ſola ſpecie panis, dum ait „ Comperimus autem, quod quidam „ ſumpta tantummodo Corporis ſacri portione, a Calice „ ſacri cruoris abſtineant : qui procul dubio, quoniam „ neſcio qua ſuperſtitione docentur obſtringi, aut integra „ Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur ; quia „ diviſio unius ejuſdemque myſterii, ſine grandi ſacri- „ legio non poteſt provenire ?

Reſp. Ad hunc Canonis intelligentiam ſciendum eſt, quod eo tempore, ſicut & ſancti Leonis, Manichæi aſſerentes, vinum eſſe creaturam diaboli, latitabant inter Chriſtianos, & ne proderentur, Communionem ſimul cum Catholicis ſumebant ; ſed ſuperſtitioſe abſtinebant a perceptione Sanguinis Chriſti ſub ſpecie vini, ut patet ex ſancto Leone, qui ait (*Serm.* 8. *de temp. Quadrag*) : „ Cumque ad tegendum infidelitatem ſuam Manichæi „ noſtris audeant intereſſe myſteriis ; ita in Sacramento- „ rum Communione ſe temperant, ut interdum tutius „ lateant, ore indigno Chriſti Corpus accipiant, ſan- „ guinem vero redemptionis haurire omnino declinent : „ quod ideo veſtram volumus ſcire ſanctitatem, ut vobis „ hujuſcemodi homines ex his manifeſtentur indiciis, „ & quorum deprehenſa fuerit ſacrilega ſimulatio, notati „ & proditi a ſanctorum ſocietate, ſacerdotali authori- „ tate, pellantur “.

Quare, ad dignoſcendos Manichæos, decrevit Gelaſius Papa, quod in quæſito retulimus.

Tantum igitur abeſt, ut ex hoc Decreto concludi poſſit, non licere Euchariſtiam ſumere ſub una tantum ſpecie, quin potius oppoſitum inferri debeat, cum ex

hoc

hoc Decreto appareat, antea licitum fuisse Fidelibus sub una tantum specie Communionem sumere, unde facilius poterant Manichæi inter Fideles delitescere; & hoc prohibitum deinde fuit ad aliquod tempus ut Fideles a Manichæis discerni possent.

Quæst. 14. Eucharistia suscepta sub una tantum specie, producit-ne tantumdem gratiæ, ac si sub utraque sumeretur?

Resp. Ita asserendum videtur ex Doctrina Concilii Tridentini (*Sess.* 21. *c.* 1.) „ Fatendum est, *inquit Concilium*, etiam sub altera tantum specie totum atque „ integrum Christum, verumque Sacramentum sumi; „ ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia „ necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem „ solam accipiunt ".

Et Divus Hilarius relatus in Canone (*Can. ubi pars est*, *de consecrat. dist.* 2.), *ait*: „ Ubi pars est Corporis, „ est & totum; eadem ratio est in Corpore Domini, quæ „ in manna, quod in ejus figura præcessit, de quo di„ citur, Qui plus collegerat, non habuit amplius, neque „ qui minus paraverat, invenit minus. Non est omnino „ quantitas visibilis in hoc æstimanda mysterio, sed „ virtus Sacramenti spiritualis ".

Denique sanctus Thomas ait (3. *p. q.* 80. *art.* 13. *ad* 3.): „ Potest autem a populo Corpus sine sanguine „ sumi; nec exinde sequitur aliquod detrimentum ". Quare asserere debemus, Sacramentum sub una specie datum tantam conferre gratiam, ac si traditum esset sub duabus.

Quæst. 15. Debent-ne sine ulla necessitate plures hostiæ seu particulæ tradi personis devotis, ut inde majorem percipiant fructum?

Resp. Certum est ex his, quæ diximus ex sancto Hilario, absque necessitate tradendas non esse, ut scilicet uberior fructus percipiatur; cum non sit omnino quantitas visibilis in hoc æstimanda Sacramento, sed virtus Sacramenti spiritualis.

Quare Innocentius XI. abolere volens hunc abusum a speciosa pietate inductum, approbavit Decretum Congregationis Concilii Tridentini circa Communionem quotidianam 12. Februarii 1669. quod sic habet, *Episcopi, Parochi, seu Confessarii insuper admoneant, nulli tradendas plures Eucharistiæ formas, seu particulas; neque grandiores, sed consuetas*. Habetur hoc Decretum integrum in fine Tomi 4.

Quæst. 16. Communio sub unica specie, fuit-ne in usu prioribus Ecclesiæ sæculis?

Resp. Cum Fideles semper crediderint id quod fides docet, scilicet totum Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu-Christi contineri sub unaquaque specie, nulla umquam lege prohibitum fuit sumere Eucharistiam sub unica specie. Sed potius videmus, Laicos aliquando hoc Sacramentum sumpsisse sub utraque specie, aliquando

sub

sub sola specie Panis, & quandoque etiam sub sola specie vini. Constat, quod prioribus Ecclesiæ sæculis tam Sacerdotes, quam Laici sumebant Eucharistiam sub utraque specie, dum sacris Mysteriis aderant, ut videri potest in Decreto Constantiensis Concilii supra numer. 10. relato. In duodecimo tantum sæculo Episcopi prohibuerunt Laicis Calicis usum; cum enim numerus Fidelium plurimum augeretur, periculum erat, ne irreverentiæ daretur locus & alicujus partis Sanguinis Christi effusio accidere posset. Illud plurium Episcoporum Decretum Constitutione Concilii Generalis Constantiensis confirmatum fuit anno 1415.

Constat etiam, Fideles prioribus Ecclesiæ sæculis sub sola panis specie sæpius communicasse; ferebant enim aliquando Eucharistiam in proprias domos, ut eam percipere possent, dum instante gravi aliqua persecutione, in mortis periculo se constitutos putabant: ut videre est in libro quem Tertullianus ad uxorem direxit (*lib. 2. ad Uxorem, c. 5.*), ut ei statum vidualem suaderet, casu, quo ipse prior moreretur: eam etiam efficaciter hortatur, ut si ad secundas nuptias convolet, sponsum saltem infidelem non eligat: *Non sciet maritus*, inquit, *quid secreto ante omnem cibum gustes: & si sciverit Panem, non illum credit esse qui dicitur.* Et in libro de Oratione (*c. 14.*), loquens idem Tertullianus de his, qui inani scrupulo ducti, Eucharistiam sumere nolebant circa horam nonam, ne aliquo modo jejunium frangerent, quod usque ad vesperam his temporibus observari solebat; hortatur, ut Eucharistiam apud se reservent, ut eam circa vesperum sumere possent, & eo tempore quo jejunium non amplius observatur; ut eo modo communicare possent sine ulla talis jejunii violatione: *Accepto*, inquit, *Corpore Domini & reservato, utrumque salvum est, & participatio sacrificii, & executio officii.*

Apud sanctum Cyprianum habetur (*lib. de Lapsis*),
„ Cum quædam mulier arcam suam, in qua Domini
„ sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne
„ inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. Qui-
„ dam & ipse maculatus, Sacrificio a Sacerdote celebra-
„ to, Panem cum cæteris ausus est latenter accipere,
„ Sanctum Domini edere & contrectare non potuit,
„ cinerem ferre se apertis manibus invenit ".

Ipse Dominus Jesus-Christus Corpus suum discipulis euntibus in Emmaus sub sola Panis specie dedit; *Et factum est*, inquit sanctus Lucas in Evangelio (*Lucæ 24. v. 30.*), *dum recumberet cum eis, accepit Panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum: & ipse evanuit ex oculis eorum.*

Id etiam asserere videtur sanctus Augustinus, dum exponens hæc Evangelii verba (*S. Aug. lib. 3. de consens. Evangelistar. c. 25.*); „ Oculi eorum tenebantur,

„ ne

„ ne eum agnoscerent: Non incongruenter accipimus,
„ *inquit*, hoc impedimentum *in oculis* eorum a Satana
„ factum fuisse, ne agnosceretur Jesus; sed tamen a
„ Christo facta est permissio usque ad Sacramentum Panis,
„ ut unitate Corporis ejus participata, removeri intelli-
„ gatur impedimentum inimici, ut Christus possit agnosci.

Superfluum esset hic majorem authoritatum numerum texere ad probandum, priorum saeculorum Christianos saepius sub sola specie panis communicasse, cum id obvium & apertum sit in Ecclesiastica historia, in qua constat, quod Christiani Eucharistiam in propriis domibus servabant, quod eam ad absentes mittebant, quod in longinquis itineribus eamdem deferre solebant, ut eam, instante aliquo periculo, sumere possent. Hoc etiam modo Anachoritae vastas solitudines incolentes communicabant, aliqua sacrae Eucharistiae fragmenta secum asportabant, postquam in praecipuis solemnitatibus Missae sacrificio in Urbibus adstitissent.

Non minus constat, pueros, quibus Eucharistia olim statim post Baptismum dabatur, illam sub sola vini specie recipere consuevisse, nam apud sanctum Cyprianum habetur (*Ep. 63. ad Caecilium*), quod *Per Baptismum Spiritus-sanctus accipitur, & sic a baptizatis & Spiritum-sanctum consecutis ad bibendum Calicem Domini pervenitur.*

Idem sanctus Cyprianus hunc usum confirmat, dum referens id quod accidit puellulae, quae frustum panis vino Idolis oblato intinctum gustaverat, sic loquitur (*lib. de Lapsis*): „ Ubi vero, solemnibus adimpletis, Calicem
„ Diaconus offerre praesentibus coepit, & accipientibus
„ caeteris locus ejus advenit, faciem suam parvula, in-
„ stinctu Divinae Majestatis, avertere, & labiis obtu-
„ rantibus premere Calicem recusare: perstitit tamen
„ Diaconus, & reluctanti licet de Sacramento Calicis
„ infudit. Tunc sequitur singultus & vomitus: in corpore
„ atque ore violato Eucharistia permanere non potuit".

In Concilio Tridentino (*sess. 21. c. 4.*) habetur, quod pluribus in locis Eucharistia olim pueris statim post Baptismum dari consueverat, quod certe sub sola vini specie fieri poterat: „ Neque ideo tamen, *inquit Concilium*,
„ damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam
„ locis servavit. Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti
„ probabilem causam pro illius temporis ratione habue-
„ runt: ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse,
„ sine controversia credendum est".

Haec etiam Ecclesiae consuetudo, qua pueris Eucharistia olim dabatur, aperte ostendit & probat, Fideles non putasse, Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi sola fide in hoc Sacramento sumi; cum enim pueri nullum suum actum elicere possent, hoc Sacramentum illis plane inutile fuisset.

CAPUT XI.

De Frequentatione Sacramenti Euchariſtiæ, & diſpoſitionibus ad illud recipiendum requiſitis.

Quæſt. 1. Eſt-ne neceſſarium, crebro accedere ad Euchariſtiæ Sacramentum?

Reſp. Generaliter loquendo præſtat ſæpius ad illud accedere, quam ab eo abſtinere, juxta id quod habetur in Concilio Tridentino (*ſeſſ.* 22. *c.* 6.); „ Optaret quidem „ Sacro-ſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis Fideles „ adſtantes non ſolum ſpirituali affectu, ſed Sacramentali „ etiam Euchariſtię perceptione communicarent, quo ad eos „ hujus ſanctiſſimi ſacrificii fructus uberior proveniret “. Et ut ait Divus Thomas (*in* 4. *diſt.* 10. *q.* 3. *art.* 2. *in reſponſ. ad* 3.): „ Dicendum, quod in his quæ ſunt „ ex genere ſuo bona, peccatum non accidit, niſi ex „ aliquo accidente, dum inordinate explentur, & ideo „ in eis proficere per ſe bonum eſt; ſed abſtinere ab eis „ non eſt bonum, niſi ratione accidentis alicujus. Unde „ cum Euchariſtiam accipere ſit bonum ex genere, aſ- „ ſumere eam eſt bonum per ſe, abſtinere eſt bonum „ per accidens, in quantum ſcilicet timetur, ne inor- „ dinate ſumatur. Et quia quod eſt per ſe, præjudicat „ ei quod eſt per accidens; ideo ſimpliciter loquendo, „ melius eſt Euchariſtiam ſumere, quam ab ea abſtine- „ re “. Videri poteſt Decretum de Communione quotidiana, Tom. 4. in fine.

Quæſt. 2. In praxi eſt-ne conſulendum Sacerdoti, ut quotidie celebret: aut Laico, ut ſingulis diebus Euchariſtiam percipiat?

Reſp. „ Dicendum, *cum Divo Thoma* (*in* 4. *diſt.* „ 12. *q.* 3. *ar.* 1. *in reſponſ. ad* 2.), quod in hoc Sa- „ cramento duo requiruntur ex parte recipientis, ſcilicet „ deſiderium conjunctionis ad Chriſtum, quod facit „ amor; & reverentia Sacramenti, quæ ad donum ti- „ moris pertinet. Primum quidem incitat ad frequenta- „ tionem hujus Sacramenti quotidianam; ſed ſecundum „ retrahit. Unde ſi aliquis experimentaliter cognoſceret, „ ex quotidiana ſumptione fervorem amoris augeri, & „ reverentiam non minui, talis deberet quotidie com- „ municare. Si autem ſentiret, per quotidianam fre- „ quentationem reverentiam minui, & fervorem non „ multum augeri, talis deberet interdum abſtinere, ut „ cum majori reverentia & devotione poſtmodum acce- „ deret. Unde quantum ad hoc, unuſquiſque relinquen- „ dus eſt judicio ſuo “.

Et Gennadius in Canone *Quotidie* (*de conſecrat. diſt.* 2.), qui Canon vulgo tribuitur Divo Auguſtino, ait: „ Quotidie Euchariſtiæ Communionem percipere, nec

„ lau-

„ laudo, nec vitupero: omnibus tamen Dominicis diebus
„ Communionem suadeo & hortor, si tamen mens sine
„ affectu peccandi sit ".

„ Dixerit quispiam, *ait Divus Augustinus* (*Ep.* 118.
„ *ad Januar. c.* 3.), non quotidie accipiendam Eucha-
„ ristiam, alius affirmet quotidie; faciat unusquisque,
„ quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum;
„ neuter enim honor exhonorat Corpus & Sanguinem
„ Domini, si saluberrimum Sacramentum certatim ho-
„ norare contendunt. Neque enim litigaverunt inter se,
„ aut quisquam eorum se alteri præposuit, Zachæus &
„ ille Centurio; cum alter eorum gaudens in domum
„ suam susceperit Dominum; alter dixerit, Non sum
„ dignus, ut intres sub tectum meum: ambo honori-
„ ficantes Salvatorem diverso, & quasi contrario modo:
„ ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti.
„ Ad hoc valet, quod Manna secundum propriam vo-
„ luntatem in ore cujusque sapiebat ".

„ Circa Sacerdotes, *ait sanctus Bonaventura* (lib. 2.
„ de Profectu Religiosor. c. 77.), potest hæc forma tene-
„ ri, ut nec nimis raro, nec nimis continuo celebrare,
„ imprætermisse sacram Hostiam studeant immolare; ni-
„ mis enim continuo celebrare, aliquam videtur notare
„ irreverentiam, cum vix aliquis sit tam devotus, qui
„ semper eadem devotione ferveat, quod semper cum de-
„ bita reverentia illud faciat, & cordis ardore, quin ali-
„ quando reperiat quantulumcumque quod eum impediat.
Hoc autem de vulgaribus intelligendum est Sacerdoti-
bus, non vero de iis qui singulari pietate fulgent, qui
exemplo plurimorum Sanctorum quotidie celebrantium,
aut communicantium, ad sacram Eucharistiam sine in-
terruptione accedunt; sed id etiam confundere potest
plures Sacerdotes, qui munia & obligationes tam sancto
statui convenientes sæpius negligunt, & tamen a celebra-
tione quotidiana numquam desistunt, licet parum de e-
mendatione cogitent.

Quæst. 3. Quot sunt dispositiones ad percipiendam cum
fructu sacram Communionem?

Resp. Duplicis sunt generis; aliæ se tenent ex parte
corporis, aliæ ex parte animæ.

Quæst. 4. Quænam sunt corporis dispositiones ad Com-
munionem requisitæ?

Resp. Egregie illas describit sanctus Carolus, dum ait
„ (*Act. p.* 4. *de Sacram. Euchar.*): „ Opus est, ut je-
„ juni fideles ad sacram mensam accedant: ita ut sal-
„ tem a dimidia antecedentis diei nocte usque ad illud
„ temporis punctum, quo Eucharistiam accipiunt, nihil
„ omnino comederint, aut biberint. Sed præstantissimi
„ hujus Sacramenti dignitas hoc postulat, ut, qui ma-
„ trimonio juncti sunt, aliquot dies a concubitu uxo-
„ rum abstineant, Davidis exemplo admoniti, qui propo-
„ sitionis Panes cum a Sacerdote suscepturus esset se, suos-

„ que

„ que pueros ab uxorum consuetudine puros jam tres „ ipsos dies esse professus est, & ex Canone etiam veteri, qui tres, vel quatuor, vel etiam octo dies abstinentiæ in hoc genere proponit. Quod ad corporis habitum pertinet, quem in sacra Communione adhibeant, hæc Parochus præmonebit, & curabit, ut summa reverentia, omnique humilitate Fideles accedant, ac sumant, oculis non vagis, sed in Christi Corpus pie conjectis, ore supra pannum lineum suppositum modeste porrecto, capite non demisso, lingua paululum labrum inferius intus attingente, non tamen extra os prominente, in qua particulam suscipiant: neque linguam ipsam retrahant, priusquam Presbyter manum removerit, tum vero caput humiliter demittant, ita etiam ut suspiriis abstineant, quibus particulæ possint excuti: pallio quantum fieri potest adhibito, non birretis, pileisque pluma inaniter ornatis: armis depositis; toto denique corporis habitu decenti, humili & modesto, non sordido. Mulieres non sumptuosis, non caudatis vestibus, non crinibus inaniter intortis, non fuco, aut pigmentis vultu illito: non pectore nudo, aut tenui velo obtecto, sed ita vestito, ut præter faciem quidquam nudum non cernatur, velo denso super faciem demisso. *Canone* Liquido. *De Cons. dist.* 2. Placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani prius Dominicum Corpus intraret, quam cæteri cibi. *Can.* Omnis homo. *De Consecr. dist.* 2. Omnis homo ante sacram Communionem a propria uxore abstinere debet tribus, aut quatuor, aut octo diebus".

Et sanctus Hieronymus supra Matth. relatus a Divo Thoma, ait (3. *p. q.* 80. *art.* 7. *ad* 2.): „ Si Panes propositionis ab his, qui uxores tetigerant, comedi non poterant; quanto magis ille Panis, qui de cælo descendit, non potest ab his, qui conjugalibus paulo ante hæsere complexibus, violari atque contingi "? Quod etiam expresse habetur in Epistola 50. sancti Hieronymi ad Pammachium.

Rationem affert Divus Bonaventura his verbis (4. *sent. dist.* 12. *q.* 2. *p.* 2. *in fine*). „ Ad illud quod objicitur de conjunctione cum uxore, dicendum, quod raro contingit quod homo conjungatur secundum illum actum debitum exigendo, quin sit ibi aliqua culpa. Si autem solum reddendo debitum, non credo quod debeat retrahi, etsi de congruo, vel etiam causa prolis".

Id ipsum clare explicat sanctus Gregorius relatus a Canone, dum ait (*in Can. Vir cum propria* 33. *q.* 4.): „ Si quis ergo sua conjuge non cupidine voluptatis captus, sed solummodo liberorum creandorum gratia utitur, ipse profecto de ingressu Ecclesiæ, seu de sumendo Corporis Dominici sanguinisque mysterio, suo est relinquendus judicio; quia a nobis prohiberi non debet

„ accipere, qui in igne positus, nescit ardere. Cum „ vero non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere commixtionis, habent conjuges etiam „ de sua commixtione, quod defleant".

Quod quidem satis ostendit, secundum communem Canonum Patrumque doctrinam, eos, qui matrimonii debitum petendo, aliam habuere intentionem, quam prolis generationem, quod tamen sæpe contingit inter conjuges, ad hoc Sacramentum eodem, aut sequenti die, accedere minime debere.

Sanctus Thomas Patrum sententias interpretatur, dum ait (*3. p. q. 80. art. 7. ad 2.*): „ Dicendum, quod coitus „ conjugalis, si sit sine peccato (puta si fiat causa prolis „ generandæ, vel causa reddendi debitum) non alia „ ratione impedit sumptionem hujus Sacramenti, nisi, „ sicut dictum est de pollutione nocturna, quæ accidit „ sine peccato, scilicet propter immunditiam corporalem, „ & mentis distractionem".

Inter alias externas dispositiones a sancto Carolo superius indicatas, illa certe a mulieribus præcipue observanda est, ut scilicet ad sacram mensam pectore aperto accedere non audeant; cum præsertim in Edicto ab Eminentissimo Cardinali Carpegna Vicario, de mandato Innocentii XI. publicato, reperiantur hæc verba vulgaria (*Editto de' 30. Nov. 1683.*): „ Si comanda per parte „ della Santità sua, in virtù di santa obbedienza, a tut- „ te le Donne di qualsivoglia stato, grado, e condizione „ si siano, che non compariscano per le strade, nè altri „ luoghi pubblici, nè respettivamente l'artigiane nelle „ loro botteghe, e molto meno si facciano vedere per „ le Chiese con il petto, o spalle, o braccia scoperte; „ ma coprino le spalle, e il petto fino al collo, e le „ braccia fino a i polsi delle mani, con drappo, o altra „ cosa che sia densa, e non trasparente". Prohibendo ne contrafacientes ad Sacramenta Pœnitentiæ, aut Eucharistiæ admittantur.

Et in præclara Synodo ab Eminentissimo Episcopo postea Cardinali Petruccio in lucem edita sic habetur (*Syn. Æsina ann. 1683. tit. 14.*): „ Mulieres humeris, „ pectore, mamillisque, brachiisve seminudatis accedere „ ad tantum Sacramentum non formidantes, Sacerdos „ constanti cordis robore ac zelo munitus, Divino Sa- „ cramento non pascat, licet sæculari nobilitate præ- „ fulgeant, divitiisque titulisve quibuscumque se jactent „ ornatas: nec pharisaica scandala vereatur: nam zelo „ zelare debet, & custodire gloriam Domini Dei sui, „ pro qua millies emori debet esse paratus, non respi- „ ciens in faciem hominis, nec pavescens vultus & iras „ creaturæ mortalis.

Præterea Eminentissimus Jacobus Cardinalis Boncompagnus in præclara, elegantique Synodo Bononiensi (*an. 1638. l. 1. c. 10.*), statuit, ut fœminæ „ ad sacramen-

„ ta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ non admittantur, ſi
„ notabiliter pectus nudatum oſtenderint, aut brachia:
„ Parochorum & Confeſſariorum erit onus, caſtigandi
„ licentiam, ſi noverint, in fœminis a chriſtiana com-
„ poſitione recedentem ": ut etiam ſtatuitur in Synodo Nonantulæ Cardinalis de Angelis cap. 12. ann. 1688. Vide ſupra cap. 9. q. 3. Vide Tom. 6. tract. 5. cap. 2. q. 9. & Tom. 4. cap. 12. q. 2.

Quæſt. 5. Licet ne in aliquo caſu etiam non jejunis porrigere Euchariſtiam?

Reſp. Poteſt quidem Viaticum brevi morituris dari non jejunis, ut ait Rituale Romanum. Quod etiam definitum fuit in Concilio Conſtantienſi (*Seſſ.* 13.) his verbis:
„ Decrevit, ac definiit, quod licet Chriſtus poſt cœnam
„ inſtituerit, & diſcipulis adminiſtraverit hoc venerabile
„ Sacramentum; tamen, hoc non obſtante, ſacrorum
„ Canonum authoritas, & Eccleſiæ approbata conſuetudo
„ ſervavit, & ſervat, quod hujuſmodi Sacramentum nec
„ poſt cœnam conficiatur, nec ſumatur a non jejunis, niſi
„ in caſu infirmitatis, aut alterius neceſſitatis a jure,
„ vel Eccleſia conceſſo, vel admiſſo ".

Obſervandum tamen cum Divo Thoma (3. *p. q.* 80. *art.* 2. *ad* 4.), quod „ Reliquiæ cibi remanentes in ore, ſi
„ caſualiter tranſglutiantur, non impediunt ſumptionem
„ hujus Sacramenti: quia non trajiciuntur per modum ci-
„ bi, ſed per modum ſalivæ. Et eadem ratio eſt de reliquiis
„ aquæ, vel vini, quibus os abluitur, dummodo non
„ trajiciantur in magna quantitate, ſed permixtæ ſali-
„ væ; quod vitari non poteſt ".

Quæſt. 6. Infirmus periculoſe laborans, qui ſemel non jejunus communicavit, poteſt ne pluries etiam non jejunus communicare?

Reſp. Hujuſmodi infirmus multoties Euchariſtiæ Sacramentum etiam non jejunus percipere poteſt perſeverante morbo vel ingraveſcente morbi periculo: „ Quod ſi æger,
„ *dicitur in Rituali*, ſumpto Viatico ſupervixerit, vel
„ mortis periculum evaſerit, & voluerit communicare,
„ ejus pio deſiderio non deerit Parochus, quoties æquum
„ videbitur: quin & per modum Viatici, infirmo etiam
„ non jejuno iterum concedet, ſi poſtquam convaluerit,
„ denuo in aliquod grave mortis periculum inciderit ".
Materna Eccleſiæ indulgentia, quæ in Concilio Conſtantienſi congregata eam facultatem ægrotantibus impertiit, ut non jejuni communicarent, gaudere poterit ægrotus. Hæc autem Concilii facultas cum non ſit ad unam vicem redacta, ſed indefinite conceſſa, patet, eam a Concilii Patribus indultam, ut quoties juſta neceſſitas exigeret, ægrotantibus non jejunis hoc Sacramento jam ſemel donato, interjecto inter utriuſque Viatici perceptionem ſex, aut octo dierum ſpatio, iiſdem etiam non jejunis ſaluberrimum denuo Viaticum concederetur.

Quæſt. 7. Pollutiones, quæ aliquando in ſomno contin-

 gunt,

gunt, impediunt-ne perceptionem ſacræ Communionis?

Reſp. Divus Thomas, tum ſcientia, tum puritate Angelorum æmulator, huic quæſtioni ſolidiſſime ſic reſpondet (*in* 4 *diſt.* 9. *art.* 4. *q.* 1. *in reſ. ad* 2. *q.*), „ Pollutio „ quandoque ex illuſione accidit, quando phantaſmata „ per cauſam extrinſecam ſpiritualem, ſcilicet dæmones, „ commoventur. Quandoque ex reliquiis præteritorum „ cogitationum: quod eſt cauſa ſpiritualis intrinſeca. „ Quandoque ex cauſa intrinſeca naturali, quæ quidem „ cauſa vel fuit voluntati ſubjecta, ſicut eſt, quando ex „ ſuperfluitate cibi, aut potus præcedente, pollutio accidit; vel non fuit voluntati ſubjecta, ſive accidat ex „ debilitate naturæ impotentis retinere ſemen, ſive ex „ ejus virtute ſuperflua expellentis, ſive quocumque alio „ modo, in idem redit. Secundo, diſtinguitur pollutio „ quantum ad modum: Quià quandoque accidit ſine imaginatione, quandoque cum imaginatione; hoc dupliciter, quia quandoque in ipſa ſomni imaginatione homo „ turpitudini conſentit, quandoque diſſentit; & tamen „ pollutio accidit. Quando ergo ſine imaginatione pollutio accidit, ſignum eſt, quod pollutio ex cauſa ſit „ corporali intrinſeca: ſed quando cum imaginatione, „ poteſt ſic, vel ſic eſſe. In omnibus igitur prædictis „ pollutionibus, corporalis immunditia eſt communis; „ ſed quædam mentis hebetatio non eſt, niſi in illis pollutionibus, quæ cum imaginatione accidunt; quia in „ illis, quæ ſine imaginatione accidunt, anima nihil „ participare videtur. Nulla autem dictarum eſt peccatum, ut ex dictis patet, ſed poteſt eſſe effectus peccati, ſignificans præcedens peccatum vel veniale, vel „ mortale. Peccatum autem mortale ex neceſſitate a „ perceptione Euchariſtiæ impedit: quia mortaliter peccat, qui cum conſcientia peccati mortalis accedit: hebetudo autem mentis, & immunditia corporalis, ex „ quadam decentia honeſtatis, quia indevotio quædam „ vidètur ſic accedere, niſi neceſſitas urgeat. Et ideo „ conſiderandum eſt, utrum in cauſa pollutionis poſſit „ inveniri peccatum præcedens; quia cogitatio turpium „ quandoque eſt ſine peccato, ſicut cum in cogitatione „ tantum manet, ut cum quis diſputans de talibus, oportet, quod loquens cogitet; aliquando etiam cum „ peccato veniali, quando ad affectionem cogitatio pertingens, in ſola delectatione finitur, quandoque etiam „ cum mortali, quando conſenſus adjungitur, & quia cogitationi tali de propinquo eſt delectatio, & delectationis conſenſus, inde etiam in dubium poteſt verti, utrum „ ſequens pollutio ex peccato acciderit, vel non, & aut „ veniali aut mortali; ſatis tamen probabiliter poteſt „ conjici, non præceſſiſſe conſenſum, quando in ipſa ſomni imaginatione anima diſſentit; non tamen oportet, „ quod ſi conſentiat, conſenſus in vigilando præceſſerit; „ quia hoc poteſt accidere propter ligamen judicii rationis,

„ quod

„ quod quandoque magis, quandoque minus est liberum „ in somno. Unde in tali pollutione, si ad causam recur- „ rens dubitet de consensu, omnino abstinere debet. Si au- „ tem expresse invenerit consensum non præcessisse, & ne- „ cessitas urgeat, aut aliqua causa potior reformet pactum, „ potest accedere, aut etiam celebrare, non obstante cor- „ poris immunditia, aut hebetatione mentis: alias si ne- „ cessitas non incumbat, videtur non exhibere reverentiam „ debitam Sacramento; non tamen, si celebrat, mortali- „ ter peccat, sed venialiter; sicut cum quis quandoque „ mentis evagationem patitur. Quando autem ex illusio- „ ne accidit, si illusionis causa in nobis præcessit, puta „ cum quis indevotus ad dormiendum accesserit, idem est „ judicium, ac de pollutione, quæ ex cogitatione præce- „ denti causatur; si autem in nobis causa non præcesserit, „ imo magis causa contraria, & hoc frequenter accidat, „ & præcipue in diebus, quibus quis communicare debet; „ signum est, quod diabolus homini fructum Eucharistiæ „ percipiendæ auferre conatur. Unde in tali casu consultum „ fuit cuidam Monacho, ut in Collationibus Patrum le- „ gitur, quod communicaret; & sic Diabolus videns, „ se non posse consequi intentum, ab illusione cessavit ".

Quæst. 8. Quænam sunt animæ indispositiones, quibus Communio redditur sacrilega?

Resp. Ut diximus ex Divo Thoma, peccatum mortale ex necessitate a perceptione Eucharistiæ impedit, quia mortaliter peccat, qui cum conscientia peccati mortalis accedit; aut sine tali conscientia, si ex ejus culpa credit se paratum esse, & non sit, contra mandatum Apostoli (1. *ad Cor. cap.* 11.): *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de Calice bibat.*

Et ex Concilio Tridentino (*sess.* 13. *c.* 7.), in quo sic legitur: „ Ecclesiastica autem consuetudo declarat, „ eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi con- „ scius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus vi- „ deatur, absque præmissa Sacramentali Confessione, ad „ sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod a Christia- „ nis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex „ officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus per- „ petuo servandum esse decrevit, modo non desit illis „ copia Confessoris: quod si, necessitate urgente, Sacer- „ dos absque prævia Confessione celebraverit, quampri- „ mum confiteatur ".

Quæst. 9. Sufficit ne, ut quis immunis sit a mortali peccato, ad recipiendam cum fructu sacram Communionem?

Resp. Certum est, ad recipiendum totum Communionis fructum, non sufficere, ut quis immunis sit a quocumque mortali peccato; sed insuper requiri, ut immunis sit ab omni affectu voluntario venialium peccatorum; ut habetur in Canone *Quotidie* (*de consec. dist.* 2.), quem Gratianus attribuit Divo Augustino, in quo sic legi-

legitur. „ Quotidie Eucharistiæ Communionem percipe-
„ re, nec laudo, nec vitupero; omnibus tamen Domi-
„ nicis diebus communicandum suadeo, & hortor; si
„ tamen mens sine affectu peccandi sit. Nam habentem
„ adhuc voluntatem peccandi, gravari magis dico Eu-
„ charistiæ perceptione, quam purificari. Et ideo, quam-
„ vis quis peccato mordeatur, peccandi non habeat de
„ cætero voluntatem, & communicaturus satisfaciat la-
„ crymis, & orationibus, & confidens de Domini mise-
„ ratione, qui peccata piæ confessioni donare consuevit,
„ accedat ad Eucharistiam intrepidus, & securus: Sed
„ hoc de illo dico, quem capitalia & mortalia peccata
„ non gravant ".

Huic Canoni innixus Sanctus Franciscus Salesius, in Introductione ad vitam devotam, Philotheæ suadet, ut singulis diebus Dominicis communicet, modo absit affectus ad peccata mortalia, & venialia. Quare hæc regula, ex sancto Francisco Salesio, dari potest, quod ad suadendum alicui, ut singulis diebus Dominicis communicet, necesse est, ut sit exemptus ab omni peccato mortali, neque habeat affectum ad veniale, & magnum habeat communicandi desiderium. Ita suadet S. Franciscus Salesius 2. p. c. 20.

Quæst. 10. Quid intelligis, cum asseris, deponendum esse omnem affectum etiam venialium peccatorum, ad fructuose Communionem percipiendam?

Resp. Intelligo, renunciandum esse ex animo cuicumque rei, quæ Deum, quamvis leviter, possit offendere; & operam dandam hujusmodi defectibus serio emendandis, ad quos se quis propensum agnoscit.

Quare Sanctus Anselmus ait (*Ansel. in* 1. *ad Corint. c.* 1.): „ Ante communionem ubi est homo, versetur
„ ante oculos ejus imago futuri judicii, & quidquid in
„ se viderit, quod a judice venturo reprehendi possit, &
„ puniri, ipse nunc in seipso reprehendat, & puniat.
„ Peccata enim, sive parva, sive magna, impunita esse
„ non possunt, quia aut homine puniente, aut Deo ju-
„ dicante plectuntur.

Verum autem, & præcipuum ex mediis ad discernendum, sit-ne in nobis aliquis affectus peccati venialis, est expendere, seu examinare, an aliquam adhibeamus diligentiam, ut præveniamus naturæ nostræ ad hæc peccata propensionem, & fideliter applicemus remedia, quæ ab his eximere nos possunt. Sic qui propensus est ad levia mendacia proferenda, debet, quantum fieri potest, ante Communionem se retractare. Ille, qui nimis propensus est ad sua commoda inordinate quærenda, deberet se exercere in aliqua mortificatione, quotiescumque agnoscit amorem suarum commoditatum illum impulisse, ut Deum leviter offenderet: qui se ad vanam gloriam inclinatum videt, deberet se in rebus humilibus exercere, ut se abjectum ostenderet coram illis, quorum

æstimationem inaniter prosequebatur; & sic de cæteris.

Quæst. 11. Sufficit-ne ad frequentem Communionem carere affectu peccandi?

Resp. Præterea requiritur, ex Divo Salesio supra citato, magnum communicandi desiderium. Quare S. Chrysostomus ait (*hom.* 83. *in Matt.*): „ Nemo igitur „ cum nausea accedat, nemo remissus, sed excitati, ac „ incensi, ac ferventes omnes accedant. Non videtis, „ quanta infantes animi alacritate mamillas arripiunt? „ Qua pressione papillis infigunt labia? Non minori „ cupiditate nos quoque ad hanc mensam, & ad hujus „ Calicis spiritualem accedamus papillam; imo vero „ majori desiderio quasi lactentes pueri gratiam Spiritus „ sugamus. Unus sit nobis dolor, una mœstitia, si hoc „ alimento spirituali privemur ".

Verum ne nosmetipsos in hoc desiderio fallamus, sciendum est, hujusmodi desiderium duplicis esse generis, sicut duplex est fames circa corporale nutrimentum; altera quæ provenit ex vera digestione seu concoctione, estque salutaris: altera quæ provenit ex stomachi intemperie, estque mala, seu perniciosa, quia indicat aliquam indispositionem: sic accidit in nostro casu; & attente advertendum est, an hoc desiderium communicandi sit vera fames spiritualis alimenti, & procedat ab animo divino amore inflammato, ut ait supra relatus Divus Thomas: quo fit, ut cupiamus uniri Christo, & ejus vita vivere: an sit perniciosa fames ab extranea aliqua causa, aut vitiosa qualitate proveniens, ut cum quis ob mundi honestatem, ad virtutis ostentationem, aut ob alia hujusmodi motiva, ad sacram Communionem accedit.

Argumentum tutissimum, & evidentissimum in hac fame discernenda, est fructus, seu progressus, qui percipitur ex sacra Communione, cum juxta sanctos Patres, Jesus Christus in hoc Sacramento se nobis præbeat, ut vere Dii simus, sicut ipse vere est homo. Idcirco si post Communionem quis fideliter curat abstinere ab iis omnibus, vel etiam minimis, quæ Deum offendunt, vitiosos affectus superare, & a maculis, quæ ex prava cupiditate nascuntur, se continuo purgare: tunc verum sine dubio est desiderium communicandi; tunc vera omnino fames Divini illius cibi.

Quæst. 12. Est ne consulendum iis, qui se peccatorum mortalium conscios norunt, ut statim post Confessionem communicent?

Resp. Dicendum, cum S. Thoma (*in* 4. *dist.* 9. *art.* 4. *q.* 1. *in resp. ad* 2. *q.*), *quod non esset consulendum alicui, quod statim post peccatum mortale, etiam contritus, & confessus, ad Eucharistiam accederet: sed deberet, nisi magna necessitas urgeret, per aliquod tempus propter reverentiam abstinere.*

Et S. Ambrosius relatus in Canone ait (*Can. Nonnulli, de Pœnit. dist.* 1.): *Nonnulli ideo poscunt pœnitentiam,*

tiam, ut statim sibi reddi Communionem velint. Hi non tam se solvere cupiunt, quam Sacerdotem ligare: suam etiam conscientiam non exuunt, Sacerdotis induunt, cui præceptum est: Nolite sanctum dare canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos: *hoc est, immundis Spiritibus sacræ Communionis non impendenda consortia.*

Denique S. Isidorus ait (*S. Isid. Hisp. lib.* 1. *de Officiis Ecclesiasticis*): *Cæterum si talia sunt peccata, quæ quasi mortuum removeant ab Altari, prius agenda pœnitentia est, ac sic deinde hoc salutiferum medicamentum suscipiendum: qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit. Hoc est enim indigne accipere, si eo tempore quis accipiat, quo debet agere pœnitentiam.* Idem habet Sanctus Augustinus ep. 100. S. Anselmus in 1. ad Corinth. cap. 11. Ita sancti Patres de summa hujus Sacramenti dignitate divinitus persuasi; sed non ita recentiores aliquot Casuistæ, qui vel maxime indignos ad sacram Communionem impellebant, ut patet ex sequenti horrenda profecto propositione, damnata ab Innoc. XI. (*In Decret. contra* 65. *Proposit.* 1. *Martii* 1699. *Propos.* 56.) *Frequens Confessio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.*

Quæst. 13. Quid injungere debent Confessores Pœnitentibus imparatis, quibus ad aliquod tempus differunt sacram Communionem?

Resp. Injungere debent, ac præscribere remedia, quibus removeantur ab omni peccati affectu; & primo eos obligare, ut mundanas dimittant conversationes, & in secessu vivant, prout uniuscujusque patitur status, sive conditio. Nam si Christus nutriturus animas nostras solo Dei verbo, nos immunes exigit a sollicitudine sæculi, & fallacibus mundi divitiis, asseritque, quod *Solicitudo sæculi istius, & fallacia divitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficit* (*Matth.* 13.): requiret-ne fortasse minus ab iis, quos propria carne dignatur in hoc Sacramento pascere?

Obligare eos debent, ut diligenter conscientias excutiant, agantque congruam pœnitentiam peccatorum, quorum se noverint conscios, cum hoc examen, & hæc pœnitentia debeant Communionem præcedere, ex Sancto Anselmo supra relato.

Præscribere debent Confessarii, ut per aliquod temporis spatium orationi, & lectioni spirituali vacent; in actibus humiliationis animæ, & corporis se exerceant, eo quod propria culpa meruerint hoc Sacramento Divino privari; offerantque Deo in peccatorum satisfactionem afflictiones, & labores propriæ cujusque conditioni annexos.

Denique obligare eos debent, ut sæpe recolant, seu cogitent commoda, & ingentes fructus, quos percepturi sunt ex hoc Sacramento, si se ad illud recipiendum disponant, ut oportet, omni bonorum operum genere; ut sunt je-

jejunia, mortificationes, eleemosynæ, orationes frequentiores, & alii id generis pietatis, & pœnitentiæ actus.

CAPUT XII.

De effectibus Sacramenti Eucharistiæ.

Quæst. I. QUisnam est primus Sacramenti Eucharistiæ effectus?

Resp. Ut habetur in Decreto Eugenii IV. in Concilio Florentino: „ Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum; & quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris ejus unitur, consequens est, quod per hoc Sacramentum in sumentibus digne augeatur gratia “.

Hoc Sacramentum, ait Sanctus Carolus (*Act. p.* 4. *de Sacram. Euchar.*), *gratiam in animam influit, cum pure, & sancte sumitur.* Qui manducat, *inquit Dominus*, meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. *Qui enim pietatis & religionis studio affecti hoc Sacramentum sumunt, Christi Corpori tamquam viva membra inseruntur; siquidem scriptum est:* Qui manducat me, & ipse vivet propter me.

Quæst. 2. Qui immunis a peccato mortali communicat, sed cum affectu peccati venialis, & absque actuali devotione, recipit-ne augmentum gratiæ?

Resp. Videtur, juxta Divum Thomam fieri posse, ut accedens ad hoc Sacramentum absque actuali devotione, cum affectu peccati venialis, non percipiat effectum hujus Sacramenti, quamvis immunis sit a peccato lethali (*in* 4. *dist.* 2. *a.* 1. *q.* 2. *in resp. ad* 2. *q.*): „ Dicendum, „ *inquit*, quod omnis perfectio acquirenda impeditur per remotionem propriæ dispositionis. Sicut autem dispositiones materiales se habent ad perfectionem formæ, ita actus se habent ad perfectionem finis. Unde cum hoc Sacramentum perficiat conjungendo fini, ad hoc quod effectum suum plene habeat in sumente, oportet, quod adsit actualis devotio: & quia interdum absque mortali peccato actualis devotio impediri potest, cum distractiones variæ ipsam impediant, & peccata venialia virtutum actum tollant: absque peccato mortali potest effectus hujus Sacramenti impediri, ita quod aliquis augmentum gratiæ non consequatur, nec tamen reatum peccati mortalis incurrat, sed forte reatum peccati venialis, ex hoc quod imparatus accedit “.

Et Cardinalis Cajetanus hujus rationem, ut ita dicam, sensibilem affert his verbis (*in* 4. *q.* 79. 3. *p.* 1. *S. Th.*): „ Si qualibet sumptione Eucharistiæ (etiamsi nullus interior charitatis actus, ob mentis distractionem, in-

„ terveniat) augeretur gratia, infinitorum pene Sacerdo-
„ tum, quos credimus vere in gratia celebrare, charitas
„ jam esset major intensive, quam credi rationabile sit,
„ cum tanta multitudo charitatis in tanta multitudine
„ otiosa pateat, quoniam nec extra apparent, nec intus
„ de seipsis testantur actus similes ferventissimæ charita-
„ tis: & tamen certum est, quod sicut amor Dei non
„ est otiosus, sed operatur magna, si est; ita tam ma-
„ gna augmentatio amoris Dei non est otiosa, sed ope-
„ ratur multo majora, quam prius proportionaliter, si
„ est: & consequenter si longe majora operari renuit,
„ longe major charitas non est: & tamen longe major
„ ponitur esse in singulis celebrationibus, quantumcum-
„ que parum crevisset charitas Sacerdotis, qui tot annis,
„ diebus fere singulis, in gratia celebravit".

Quæst. 3. Quinam sunt cæteri hujus Sacramenti effectus?

Resp. Ex Decreto unionis Eugenii IV. in Concilio Florentino: *Omnem effectum, quem materialiter cibus & potus quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando, & delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem.*

Tertius hujus Sacramenti effectus habetur in Concilio Tridentino (*sess.* 13. *c.* 2.), his verbis: *Sumi voluit Sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vita illius, qui dixit:* Qui manducat me, & ipse vivet propter me: *Tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præservemur.*

Et ut ait sanctus Bernardus (*ser. de Bapt. & de Sacram. Altar. circa medium*): „ Duo Sacramentum hoc operatur
„ in nobis: ut videlicet & sensum minuat in minimis, &
„ in gravioribus peccatis tollat omnino consensum; si quis
„ vestrum non tam sæpe modo, non tam acerbos sentit
„ iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum
„ hujusmodi, gratias agat Corpori & Sanguini Domini,
„ quoniam virtus Sacramenti operatur in eo".

Hoc Sacramentum vim etiam habet remittendi peccata venialia, ut ait sanctus Ambrosius (*de Sacr. l.* 5. *c.* 4.):
„ Qui vulnus habet, medicinam requirit; medicina est
„ cæleste, & venerabile Sacramentum, iste Panis quoti-
„ dianus in remedium quotidianæ infirmitatis", id est, peccatorum venialium.

„ Hoc Sacramentum, *inquit Divus Thomas* (3. *p. q.*
„ 79. *art.* 3. *in corp.*), operatur remissionem peccati, per-
„ ceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cujus con-
„ scientiam, & affectum non habet". Juxta id, quod dicit Ecclesia in Collecta pro vivis, & defunctis: *Sit hoc Sacramentum ablutio scelerum.*

„ Dicendum, *ait ibidem S. Thomas in respons. ad* 1.
„ quod petimus, ut hoc Sacramentum sit ablutio scele-
„ rum, quorum conscientiam non habemus, secundum il-

„ lud

„ lud Pſalmi 18. *Ab occultis meis munda me Domine* “.

Denique ultimus hujus Sacramenti effectus, qui reliquos aliquo modo complectitur, eſt peculiaris quædam virtus ad procurandam digne ſuſcipientibus vitam æternam; ut habetur Joannis cap. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.*

Quare Divus Auguſtinus ſuper illud Joannis cap. 6. Caro mea vere eſt cibus, ait (*tr.* 26. *in Jo.*): „ Cum „ cibo, & potu id appetant homines, ut non eſuriant, „ neque ſitiant: hoc veraciter non præſtat, niſi iſte cibus, „ & potus, qui eos, a quibus ſumitur, immortales, & „ incorruptibiles facit in ſocietate Sanctorum, ubi pax „ erit, & unitas plena, atque perfecta.

TRACTATUS QUINTUS
DE
SACRIFICIO
MISSÆ.

Caput Primum.

Nomen, definitio, & exiſtentia Sacrificii Miſſæ.

Quæſt. I. QUid ſignificat Miſſa?

Reſp. Etymologia nominis Miſſæ, juxta piam S. Thomæ, & S. Bonaventuræ explicationem, ſumitur a Latino nomine *Miſſa*, quod ſignificat mittere, quia, ut ait Divus Thomas (3. *p. q.* 83. *art.* 4. *ad* 9.) „ Propterea etiam Miſſa nominatur, quia per Angelum (id „ eſt, Chriſtum, qui eſt magni conſilii Angelus) Sacer„ dos preces ad Deum mittit, ſicut populus per Sacer„ dotem, vel quia Chriſtus eſt Hoſtia nobis miſſa a Deo: „ unde & in fine Miſſæ Diaconus populum licentiat, „ dicens, *Ite Miſſa eſt*, ſcilicet Hoſtia ad Deum per „ Angelum, ut ſcilicet ſit Deo accepta “.

Et Divus Bonaventura ait (*in opuſc. de Expoſ. Miſſæ*, c. 2.) „ Dicitur autem Miſſa a mittendo, & repræ„ ſentat legationem inter homines, & Deum. Deus enim „ mittit Filium ſuum Chriſtum in Altare, & iterum „ mittit Eccleſia fidelis eumdem Chriſtum ad Patrem, „ ut pro peccatoribus intercedat “.

Sed verior hujus nominis explicatio ea eſt, quam tradit Alcimus Avitus Epiſcopus Viennenſis, dum ait (*Ad Guidobaldum Bugrundionum Regem*, *ep.* 8.): „ Non „ miſſam facitis, nihil eſt aliud, quam non dimittitis:

„ a cujus proprietate ſermonis in Eccleſiis, Palatiiſque „ ſive Prætoriis, Miſſa fieri pronunciatur, cum populus „ ab obſervatione dimittitur. Nam genus hoc nominis „ etiam in ſæcularibus Auctoribus invenietis, *ut in Cicerone, & Suetonio* “.

Certum eſt, in primitiva Eccleſia duas fuiſſe dimiſſiones (quod nomini Miſſæ locum dedit). Prima fiebat poſt lectionem Evangelii, & ſermonem, cum Diaconus clara voce dimittebat infideles, pœnitentes, Catechumenos, & alios, quibus non licebat Sacrificio intereſſe: altera fiebat, ut nunc etiam in uſu eſt, peracto Sacrificio, ſeu in fine Miſſæ, cum dimittebantur Fideles, his verbis, *Ite, Miſſa eſt*.

Primi Chriſtiani, utpote exactioris diſciplinæ, profanos, & nondum purgatos maxime declinabant; quapropter Eccleſiarum ſanctuario ab eorum aſpectibus, & velis & ferreis cancellis removebant; donec Baptiſmo ſuſcepto, & poſt pœnitentiam juxta morem rite peractam, ad Divina Myſteria omnes ſimul convenirent.

Ante Myſteriorum celebrationem dimittebantur indigni, qui intereſſent; adeoque in duas veluti partes Miſſam diviſerunt, ſcilicet in Miſſam Catechumenorum, & Miſſam Fidelium. Miſſa Catechumenorum duobus, & tribus primis ſæculis conſtabat aliquot Pſalmis, & orationibus, & ſtatim a templis dimittebantur; verum progreſſu temporis judicarunt ſancti Patres, non dimittendos eſſe Catechumenos, & pœnitentes, niſi poſt lectionem Evangelii, ejuſque expoſitionem in concione, ut inde fructum ſpiritualem perciperent; ac proinde ſtatutum fuit in Concilio Carthaginenſi 4. (*Can.* 84. *an.* 398.) *Ut Epiſcopus nullum prohibeat ingredi Eccleſiam, & audire verbum Dei, ſive Gentilem, ſive Hæreticum, ſive Judæum, uſque ad Miſſam Catechumenorum.*

Rationem affert Concilium Valentinum in Hiſpania (*cap.* 1. *anno* 524.), dum ait: „ Hoc inter cætera cenſuimus obſervandum, ut ſacro-ſancta Evangelia ante „ munerum illationem, vel Miſſam Catechumenorum, „ in ordine lectionum poſt Apoſtolum legantur, quatenus ſalutaria præcepta Domini noſtri Jeſu-Chriſti, vel „ ſermonem Sacerdotis, non ſolum Fideles, ſed etiam „ Catechumeni, ac pœnitentes, & omnes, qui ex diverſo ſunt, audire licitum habeant; ſic enim Pontifi„ cum prædicatione audita, nonnullos ad fidem attractos „ evidenter ſcimus “.

Quæſt. 2. Hoc nomen *Miſſa* eſt-ne antiquum in Eccleſia?

Reſp. Antiquiſſimum eſt, cum Divus Ambroſius 4. ſæculo ejus mentionem faciat Epiſtola 33. ad Marcellinam ſororem: *Miſſam facere cœpit*: & ſermone 34. *Moneo vos, ut, qui juxta Eccleſiam eſt, & ſine gravi impedimento poteſt, quotidie audiat Miſſam.*

Divus Auguſtinus, qui eodem ſæculo florebat, utitur hoc Miſſæ nomine ſermone 91. de tempore: *In lectione,*

ne, quæ nobis ad Missas legenda est. Et ser. 237. *Ecce post sermonem fit Missa Catechumenis, manebunt Fideles.*

Facile est referre varios auctores 5. sæculi, qui utuntur nomine Missæ. S. Leo Papa, Victor, & Paulinus illius meminerunt. Observandum solum hic est, de hoc nomine loqui S. Ambrosium, & S. Augustinum, ut de nomine jam dudum in usu apud Christianos; ex quo patet, nomen Missæ esse fere coævum Ecclesiæ.

Quæst. 3. Quid est Sacrificium?

Resp. Sacrificium proprie sumptum definitur a Theologis, Oblatio sensibilis soli Deo facta ad profitendum supremum ejus in omnes creaturas dominium, a legitimo Ministro, rei externæ, & sensibilis peculiariter consecratæ, per veram immutationem, & destructionem rei oblatæ. Colligitur hæc definitio ex sancto Thom. 2. 2. q. 85.

Hæc definitio non competit, nisi vero Sacrificio: non autem Sacrificio late accepto, quod complectitur omnia bonorum operum genera in honorem Dei; sic S. Augustinus ait (*de Civ. Dei lib.* 10.), *Verum Sacrificium est omne opus quod agitur, ut sancta societate inhæreamus Deo.*

Et ut ait Divus Thomas (3. *p. q.* 22. *ar.* 3.): *Omne illud, quod Deo exhibetur, ad hoc quod spiritus hominis feratur in Deum, potest dici Sacrificium, secundum illud Psalmi:* Sacrificium Deo spiritus contribulatus.

Ecclesiastici c. 5. *Sacrificium salutare est, attendere mandatis, & discedere ab iniquitate. Qui facit misericordiam, offert Sacrificium.* At in sequentibus sumitur Sacrificium in propria significatione: *Misericordiam volo, non Sacrificium*, Osee c. 6. *Melior est enim obedientia, quam victimæ*, 1. Regum c. 15.

Quæst. 4. Quomodo potest clare explanari tradita Sacrificii definitio?

Resp. Dicitur, & est 1. *Oblatio*, hoc est, actio peculiaris, & determinata, qua aliquid offertur. Deinde est *oblatio sensibilis*, per quod Sacrificium externum, & visibile, de quo hic loquimur, distinguitur a Sacrificio interno, & invisibili, quod consistit in pia voluntate, qua quis seipsum offert Deo cum his, quæ possidet, in perpetuam servitutem. Sacrificium externum, & visibile, testimonium est apparens interni Sacrificii. Quare S. Augustinus ait (*Lib.* 10. *de Civ. Dei*, *c.* 5.): *Sacrificium visibile, invisibilis Sacrificii Sacramentum, id est, sacrum signum est.* Verum licet regulariter loquendo oblatio invisibilis, & interior, præstantior sit externa, & visibili; & invisibilis accepta sit Deo sine externa, & mere visibili; licet hæc externa non sit grata Deo, qui intuetur cor, sine invisibili, & interna, attamen nomen Sacrificii proprie convenit oblationi externæ, & visibili, non autem invisibili, quia occulta est, & particularis; & nomine Sacrificii intelligitur honor publicus, & solemnis exhibitus supremo Domino a Ministro publico; necesse igitur est, ut oblatio sit externa.

Tertio, est *oblatio soli Deo facta:* quia Sacrificium est verus Latriæ cultus, qui supremæ Majestati solum defertur, unde legimus Exodi cap. 22. *Qui immolat Diis, occidetur, præterquam Domino soli.* Quemadmodum cultus datur internus, quem soli Dei exhibemus, quo ipsum agnoscimus primum & supremum bonum, principium & finem omnium rerum, & in hac cognitione, quam fides inspirat, nosmetipsos humiliter ex animo prosternimus, ac demittimus coram eo; oportebat etiam, ut signum esset exterius, quo testaremur hos venerationis sensus soli Deo debitos: Atqui solum Sacrificium cultum hunc potest significare, siquidem cætera omnia testimonia, & externa signa observationis, & reverentiæ, quæ Deo a nobis exhibetur, sive flectendo genua, sive ad eum dirigendo preces, deferri possunt etiam Angelis, & hominibus: at sacrificium soli Deo reservatur, ac debetur: „ Et quamvis, *ut ait Concilium Tridentinum* „ (de Sacrif. Missæ sess. 22. c. 3.), in honorem, & „ memoriam Sanctorum, nonnullas interdum Missas „ Ecclesia celebrare consueverit; non tamen illis Sacri- „ ficium offerri docet, sed soli Deo, qui illos coronavit. „ Unde nec Sacerdos dicere solet: *Offero tibi Sacrificium* „ *Petre, & Paule;* sed Deo de illorum victoriis gratias „ agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis „ intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam „ facimus in terris ".

S. Augustinus nos docet, Sacrificium non posse offerri Martyribus, sed soli Deo (*l. 8. de Civ. Dei, c. 27.*): „ Quis audivit aliquando, *ait*, stantem Sacerdotem ad „ altare, etiam super sanctum Corpus Martyris ad Dei „ honorem, cultumque constructum, dicere in precibus, „ Offero tibi Sacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypria- „ ne, cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos „ & homines, & Martyres fecit "?

Quod adhuc clare explicat Divus Augustin. lib. 20. quem scripsit contra Faustum Manichæum: „ Populus Christianus, „ *ait*, memorias Martyrum religiosa solemnitate concele- „ brat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum „ consocietur, atque orationibus adjuvetur; ita tamen, ut „ nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum sacrificemus, „ quamvis in memorias Martyrum constituamus altaria ".

Divus Thomas rationem nos docet, cur Sacrificium soli Deo offerri possit, cum ait (2. 2. *q.* 85. *art.* 2.): „ Exteriores actus Religionis ad interiores ordinantur: „ anima autem se offert Deo in Sacrificium, sicut principio „ suæ creationis, & sicut fini suæ beatificationis; & ideo „ sicut soli Deo summo debemus Sacrificium spirituale offer- „ re, ita etiam soli Deo debemus offerre exteriora Sacrificia.

„ Non alteri visibile Sacrificium offerendum esse no- „ verimus, *ait Divus Augustinus* (de Civ. Dei l. 10. „ c. 92.), quam illi, cujus in cordibus nostris invisibile „ Sacrificium nos ipsi debemus ".

4. Est

4. Est *Obl. Deo facta ad profitendum supremum ejus in omnes creaturas dominium*. Et hic est omnium finis Sacrif., quæ sunt veluti tributa reddita in testimonium subjectionis nostræ, & plenariæ potestatis, quam Deus habet in nos. Hic finis meritum, & pretium constituit actus Sacrificii instituti ad summum Deo honorem exhibendum, profitendo, omnia ab ipso esse, & pro illius gloria ad nihilum redigenda.

Dicitur *A legitimo Ministro*, quia ad omnes promiscue non spectat offerre Sacrificium, sed ad specialiter deputatos, ut personas publicas, & præcipuos Ministros ad id peragendum nomine totius populi. In lege naturæ id spectabat ad capita familiarum, ut ad Noe, Abraham, & alios, aut ad eos, quibus inspirabat Deus, ut hoc munere fungerentur. In lege scripta, Sacerdotium ad solam Aaron posteritatem pertinebat, juxta illud Exodi c. 33. *Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum Filiis suis de medio filiorum Israel, ut Sacerdotio fungatur mihi*. Sed in lege gratiæ adoranda victima, quæ in nostris offertur Altaribus, a solis Sacerdotibus immolari potest, qui hanc potestatem accipiunt, dum ordinantur. „ Sacerdoti, *inquit Divus Thomas* (3. p. q. 22. art. 1.), cum ordinatur, confertur potestas hoc Sa-
„ cramentum consecrandi in persona Christi: per hoc enim
„ ponitur in gradu eorum, quibus dictum est a Domino:
„ *Hoc facite in meam commemorationem*: Et ideo di-
„ cendum est, quod proprium est Sacerdotum, hoc
„ conficere Sacramentum ".

Quæst. 5. Quare dicitur: *Rei externæ & sensibilis specialiter Deo consecratæ?*

Resp. Quia victima oblata debet fieri sacra ex prophana, & per hanc consecrationem Deo singulariter dedicari: *Id enim significat sacrificare, ac sacrum facere*; ut ait Divus Th. 2. 2. q. 85. art. 3. ad 3. Hæc consecratio, qua res Deo in Sacrificium oblatæ in veteri lege ipsi dedicabantur, fiebat diversis mysticis cæremoniis prolixe relatis in Levitico; quæ cæremoniæ figuræ erant, & umbræ ejus, quod agitur in vero Sacrificio, quod in nostris offertur Altaribus; & per hanc consecrationem Sacrificium etiam differt a meris oblationibus, quæ hac consecratione, & dedicatione non egent.

Quæst. 6. Quare dicitur: *Per transmutationem, & veram rei oblatæ destructionem?*

Resp. Per hoc, Sacrificium distinguitur a simplicibus oblationibus; ut enim ait Divus Thomas (2. 2. q. 85. art. 3. ad 3.): „ Sacrificia proprie dicuntur, quando
„ circa res Deo oblatas aliquid fit, sicut quando animalia
„ occidebantur, & comburebantur, quod Panis frangi-
„ tur, & comeditur, & benedicitur ". Ratio necessitatis hujus destructionis in Sacrificio est, quia offertur Deo, ut solemnis protestatio subjectionis nostræ, qua ipsum agnoscimus, ut supremum vitæ, & mortis dominum;

& hæc

& hæc destructio, seu immolatio repræsentat supremam Dei in nos authoritatem, nosque paratos esse ad perdendam vitam cum Deo placuerit; & quia non licet nobis ipsis necem inferre, substituimus victimam in Sacrificio externo, ut ostendamus dispositionem, in qua sumus, vitam nostram sacrificandi pro honore supremæ ejus debito Majestati. Huc accedit, quod omnia tam legis naturæ, quam scriptæ Sacrificia, repræsentabant Sacrificium Christi in Cruce peragendum, ut ait S. Augustinus his verbis (*lib.* 10. *de Civ. Dei*, *c.* 20.): „ Hujus veri Sacrificii multiplicia, variaque signa erant „ Sacrificia prisca Sanctorum, cum hoc unum per multa „ figuraretur " *:* Atqui hoc Divinum Sacrificium impletum est per destructionem, & immutationem pretiosæ victimæ, quæ oblata fuit: oportebat igitur, ut Sacrificia perficerentur per mortem, & destructionem diversarum oblationum, quæ Deo in Sacrificio offerebantur; cumque Sacrificium, quod in nostris offertur Altaribus, sit repræsentatio, & innovatio Sacrificii in Cruce oblati, *Sola offerendi ratione diversa*, ut ait Concilium Tridentinum (*Sess.* 22. *de Sac. Missæ c.* 2.), perfici debet per destructionem victimæ oblatæ.

Quæst. 7. Oportet-ne, sacrificium externum conjunctum esse cum sacrificio interno?

Resp. Ut Sacrificium integrum sit, & perfectum, esse debet internum simul, & externum; offerre Deo Sacrificium externum sine interno, est offerre signum mendax, & umbram sine corpore, & eodem modo se gerere, ac illi, qui multa promittunt sine intentione illa adimplendi, contra illud, quod dicitur Joannis cap. 4. *Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Hic est Dei cultus*, ait Divus Augustinus (*de Civ. Dei l.* 10. *c.* 4.), *hæc vera religio, hæc vera pietas, hæc tantum Deo debita servitus*. Et idem in Psalmum 77. ait: „ Hoc enim colitur, quod „ diligitur: unde quia Deus rebus omnibus major, & „ melior invenitur, plus omnibus diligendus est, ut co- „ latur: nec colitur ille, nisi amando.

Quæst. 8. Quotuplex est Sacrificium?

Resp. Quadruplex. Primum est antonomastice Sacrificium Latriæ, aut adorationis, seu Latreuticum, quo agnoscimus supremum Dei in omnes creaturas dominium; & hoc Sacrificium in lege scripta fiebat per Holocausta. Levitici c. 6. *Hæc est lex Holocausti; cremabitur in Altari tota nocte usque mane*. Ad ostendendum, quod omnia, quæ possidemus, a Deo habemus. Hoc Sacrificium ex intimo cordis affectu offerre debent Christiani, ait S. Gregorius (*in Ezech. homil.* 20): *Cum enim quis aliquid suum Deo vovet, & aliquid non vovet, Sacrificium est. Cum vero omne quod habet, omne quod vivit, omne quod sapit, omnipotenti Deo voverit, Holocaustum est*. Et idem Homil. 12. ait: *Qui enim*

si

sic operantur ea, quæ Dei sunt, ut tamen quædam, quæ sunt sæculi, non relinquant, Sacrificium, & non Holocaustum offerunt; qui autem cuncta, quæ sunt mundi, deserunt, & totam mentem igne divini amoris incendunt, hi nimirum omnipotenti Domino Sacrificium, & Holocaustum fiunt.

Sacrificium actionis gratiarum, seu Eucharisticum, illud est, quod offertur Deo ad ipsi gratias agendum pro omnibus beneficiis acceptis, quibus nos licet indignos quotidie cumulat.

Offerimus etiam Deo Sacrificium propitiatorium, ad ejus iram placandam, ad satisfaciendum ejus justitiæ, & ad obtinendam veniam peccatorum.

Denique Sacrificium impetratorium illud est, quo misericordiam Dei imploramus, ut necessaria animæ, & corpori largiatur. Hæc tria postrema Sacrificia fiebant in lege veteri, per Sacrificia, quæ dicebantur pacifica, & per expiatoria, ut diversas hostias pro peccatis. Sacrificia pacifica instituta erant, aut pro gratiis acceptis, aut pro obtinendis, ac proinde erant Eucharistica, aut impetratoria. Quatuor hæc Sacrificia perfectissimo modo concurrunt in Sacrificio, quod in Altari nunc offertur; ut ait S. Chrysostomus (*in Ps.* 95.); *Omnia veterum Sacrificia, nova superveniens gratia, uno complectitur Sacrificio.*

Quæst. 9. Tenemur-ne ex jure naturali offerre Deo Sacrificia?

Resp. Ut asserit D. Thomas (2. 2. *q.* 85. *art.* 2.), „ Ex naturali ratione procedit, ut quemadmodum do„ minis temporalibus aliqua offeruntur in recognitionem „ dominii; ita etiam Deo, tamquam supremo omnium „ Domino, quasdam sensibiles res in signum debitæ „ subjectionis & honoris offeramus; unde Sacrificiorum „ oblatio ad jus naturæ pertinet. Naturalis ratio dictat „ homini, quod alicui superiori subdatur propter defe„ ctus, quos in se ipso sentit, in quibus ab aliquo supe„ riori eget adjuvari & dirigi; & quidquid illud sit, „ hoc est, quod apud omnes dicitur Deus. Sicut autem „ in rebus naturalibus naturaliter inferiora superioribus „ subduntur; ita etiam naturalis ratio dictat homini „ secundum naturalem inclinationem, ut ei quod est „ supra hominem, subjectionem & honorem exhibeat „ secundum suum modum: est autem modus conveniens „ homini, ut sensibilibus signis utatur ad aliqua expri„ menda, quia ex sensibus cognitionem accipit. Et ideo „ ex naturali ratione procedit, quod homo quibusdam „ sensibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in signum „ debitæ subjectionis & honoris. Hoc autem pertinet ad „ rationem Sacrificii; & ideo ratio Sacrificii pertinet ad „ jus naturale ".

Ideoque nulla est religio, sive vera, sive falsa, quæ non præceperit offerre Sacrificia in signum subjectionis,

quæ Deo debetur. Ex quo patet, quam deploranda sit cæcitas Hæreticorum hujus temporis, qui negantes veritatem sacro sancti Sacrificii Missæ, quod est unicum Sacrificium exterius & visibile Christianorum, consequenter negant illud, quod essentiam Religionis constituit.

Quæst. 10. Missa est-ne verum Sacrificium?

Resp. Missam esse verum Sacrificium, de fide est, in Concilio Tridentino (*Sess.* 22. *de Sacrif. Missæ Can.* 1.) definitum sub anathemate his verbis: *Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium, anathema sit.*

Primum Scripturæ argumentum petitur ex cap. 1. Malachiæ Prophetæ, Sacerdotis Aaronis sic increpantis, *Non est mihi voluntas* in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra, ab ortu enim Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo *Oblatio munda*. Quibus verbis Propheta prædixit, ut ait Sanctus Augustinus (*lib. de Civit. Dei c.* 3.), *Cessaturas victimas, quas in umbra futurorum offerebant Judæi: & unum Sacrificium a solis ortu usque ad occasum, sicut jam fieri cernimus, oblaturos*, in sacrosancto Missæ Sacrificio, quod offertur ab omnibus Christianis.

Neque valet, quod contendunt Hæretici, præfatum illud vaticinium de Sacrificio Crucis intelligendum esse: refelluntur enim ex genuina significatione vocis Hebraicæ *Mincha*, quam consulto & sancti Spiritus afflatu adhibuit Propheta, ut aperte significaret incruentum Eucharistiæ Sacrificium. Nam *Mincha* nihil erat aliud quam Sacrificium farinæ, & panis, ut videre est Levitici cap. 2. quod proinde sua specie, & forma Eucharistiæ Sacramentum pariter, & Sacrificium luculenter adumbrabat: siquidem cum hujusmodi Sacrificio farinæ, *Mincha* scilicet, quotidie libabatur vinum in jugi Sacrificio Agni juxta legem, Exodi 29. & 40. quo repræsentabatur altera Eucharistiæ species, scilicet vini, sub qua ex vi verborum consecrationis Sanguis Christi ponitur & immolatur, quemadmodum eorumdem verborum vi ejusdem Christi Corpus sub panis specie præsens sistitur.

In Sacrificio Crucis nihil tale cernitur; neque enim in illo farina, & panis offertur, nec vinum libatur: ergo Propheta nominatim expressit novum illud, quod prænunciabat, Sacrificium per vocem Hebraicam *Mincha*, ut se Sacrificium in Pane & vino perficiendum, & ideo a Crucis Sacrificio diversum, innuere & prædicare liquido declararet. Nam omnes Catholici profitentur, sanguinolentum Crucis Sacrificium adumbratum fuisse in cæde animalium, quæ in veteri lege ex Divina institutione sacrificabantur; sed incruentum novi Testamenti Sacrificium in aliis Sacrificiis, & in iis potissimum, in

qui-

quibus panis & vinum offerebatur, esse adumbratum asserunt, & credunt.

Quare Concilium Trident. (*Sess. 22. de Sacrif. Missæ cap. 1.*) congruenter universali traditione declaravit, novi Testamenti Sacrificium *Esse mundam illam oblationem, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest, quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in Gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit.*

Secundum hujus veritatis argumentum sumitur ex Apostolo, Epistola ad Hebræos, cap. 9. *Christus factus est Pontifex in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Scilicet, quod sicut Melchisedech panem & vinum Deo in Sacrificium obtulit; ita in ultima Cęna Dominus noster Jesus Christus obtulit Deo Patri suum Corpus & Sanguinem in Sacrificium sub speciebus panis, & vini. Ita explicant sancti Patres hunc Apostoli locum. Sanctus Cyprianus lib. 2. Epist. ad Cæcilium. S. Ambrosius lib. 5. de Sacr. cap. 1. Sanctus Hieronymus in Epist. ad Marcellam. Sanctus Augustinus lib. 1. contra adversarium Legis & Prophetarum, & alii.

Sufficiet ad institutum nostrum, testimonium sanctorum Irenæi, & Ambrosii adducere. S. Irenæus, qui vivebat in fine 2. sæculi, sic ait (*l. 4. c. 32.*): „ Eum „ qui est ex creatura, Panem accepit, & gratias egit, „ dicens: *Hoc est Corpus meum*, & in Calicem simili„ ter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, „ suum sanguinem confessus est, & novi Testamenti no„ vam docuit oblationem, quam Ecclesia, ab Apostolis „ recipiens, offert Deo in universo mundo, ei qui ali„ menta nobis præstat, primitias suorum munerum: de „ quo & in duodecim Prophetis Malachias sic præsigni„ ficavit: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Do„ minus omnipotens, & Sacrificium non accipiam de „ manibus vestris. Quoniam ab ortu solis usque ad oc„ casum, nomen meum glorificatur inter Gentes, & in „ omni loco incensum offertur in nomine meo, & Sacri„ ficium purum. Quoniam magnum est nomen meum in „ Gentibus, dicit Dominus omnipotens.* Manifestissime „ significans per hæc, quoniam prior quidem populus „ cessavit offerre Deo, omni autem loco Sacrificium of„ fertur Deo, & hoc purum, nomen autem ejus glori„ ficatur in Gentibus “.

Sanctus autem Ambrosius, in precationibus ante Missam, sic ait: „ Ego Domine, memor venerandæ Passionis tuæ, „ accedo ad Altare tuum, licet peccator, ut offeram „ tibi Sacrificium, quod tu instituisti, & offerri præce„ pisti in tui commemorationem pro salute nostra “.

Quæst. II. Quomodo intelligendum est, quod dicit Apostolus ad Hebræos, cap. 10. *Christus una oblatione consummavit in æternum sanctificatos?* Etenim Sacrificium, quod Christus in Cruce obtulit Patri, virtutem

habet

habet infinitam, & æternam, quæ sola sufficit ad nostram sanctificationem. Unde inferunt Hæretici, quod sola oblatio Christi in Cruce sufficit sine alio Sacrificio.

Resp. Ex his verbis tantummodo inferri potest, quod ait Divus Thomas in hunc locum: *Quia scilicet Hostia Christi, qui Deus est & homo, habet virtutem æternam sanctificandi*. Quo non obstante, tenemur hoc Sacrificium offerre ad obediendum Christo Domino, id nobis in Evangelio præcipienti, cum ait: *Hoc facite in meam commemorationem*: & ut hæc merita nobis applicentur.

Ita solide explicat Concilium Tridentinum (*sess.* 22. *de Sacr. Missæ*, *c.* 1.) his verbis. „ Ut suæ Ecclesiæ „ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret „ Sacrificium, quo cruentum illud semel in Cruce pera- „ gendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem „ usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus „ in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie commit- „ tuntur, peccatorum applicaretur ".

Idem asserit Divus Augustinus relatus in Canone (*Can. Semel de consecr. dist.* 2.); *Semel*, inquit, *immolatus est Christus in semetipso, id est, ut ait Glossa, passus in propria persona in forma humana, & tamen quotidie immolatur in Sacramento*.

Divus Ambrosius relatus in Canone ait (*Can. in Christo de consecr. dist.* 2.): *In Christo semel oblata est Hostia ad salutem sempiternam potens. Quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus? Sed ad recordationem mortis ejus*.

S. Thomas hanc confirmat veritatem ex Ecclesiæ Collecta in Missa (3. *p. q.* 83. *art.* 1. *in corp.*): *Quoties hujus Hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ Redemptionis exercetur*.

Quæst. 12. Quomodo intelligendum est illud Apostoli ad Hebræos cap. 7. *Et alii quidem* plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium: unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis?

Resp. Facile est explicare hunc Apostoli locum, si dicamus cum omnibus Catholicis, Sacerdotes, qui sunt in Ecclesia, non succedere Christo Domino, cum proprie loquendo ille solus sit unicus, & principalis Sacerdos, & alii non offerant Sacrificium, nisi ut Ministri, & instrumenta Christi; & ideo non offerunt Sacrificium, neque consecrant nomine proprio, propriaque authoritate, sed nomine & authoritate Jesu Christi. *Nunc autem*, ait S. Augustinus, relatus in Canone (*Utrum de consecr. dist.*) *sicut ipse est, qui baptizat, ita ipse est, qui per Spiritum-sanctum hanc suam efficit carnem, & transit vinum in sanguinem*.

Et Divus Gregorius relatus in Canone ait (*Canon. Multi* 1. *q.*): „ Heu, in quam magnum laqueum in-

„ ci-

" cidunt, ut divina & occulta Mysteria plus ab aliis " sanctificata posse fieri credant: cum unus idemque Spi" ritus-sanctus in Ecclesia diffusa per totum orbem ter" rarum incomprehensibiliter ea Mysteria & occulte at" que invisibiliter, & operando sanctificet, & benedi" cendo benedicat ".

Discrimen igitur inter veteris legis Sacerdotes, qui parentibus succedebant, & Sacerdotes Legis novæ, est, quod Sacerdotes antiquæ legis progenitoribus succedentes, non erant eorum Ministri, sed eorum successores in officio Sacerdotali, quod pari authoritate administrabant, qua prædecessores: at in lege Evangelica, Christus solus est principalis Sacerdos, qui semper actu offert Sacrificium, ubicumque offeratur: & qui Sacerdotum nomen, & munus habent, non sunt Christi successores, neque illud exercent proprio nomine, neque eadem cum Christo authoritate, sed solum *Pro Christo legatione funguntur*, ut ait Apostolus 1. ad Cor. cap. 1.

Et ut ait Divus Thomas (3. *p. q.* 8. *art.* 5.); *Sacerdos consecrat hoc Sacramentum, non virtute propria, sed sicut Minister Christi, in cujus persona consecrat hoc Sacrificium*. Denique Concilium Florentinum in Decreto Unionis, *Sacerdos in persona Christi loquens, hoc Mysterium conficit*.

CAPUT II.

De Ministro Sacrificii Missæ, & de Dispositionibus ad illud requisitis.

Quæst. 1. QUisnam est Minister Sacrificii Missæ?

Resp. Sacerdos solus est Minister legitimus Sacrificii Corporis, & Sanguinis Christi Domini, quod in Altari offertur, ut patet ex variis Ecclesiæ Conciliis: Nicæno (*Can.* 14.), in quo legitur: *Pervenit ad sanctum Concilium, quod in locis quibusdam & civitatibus, Presbyteris Sacramenta Diaconi porrigant: hoc neque regula, neque consuetudo tradidit, ut hi, qui offerendi Sacrificii potestatem non habent, his, qui offerunt Corpus Christi, porrigant*. Ex quo patet, quod Diaconi, qui primi sunt ministri post Presbyteros in Ecclesia, non habent potestatem offerendi Sacrificium.

Et Concil. Tridentinum (*sess.* 22. *de Sacrific. Missæ, Can.* 2.) ait: *Si quis dixerit illis verbis*, Hoc facite in meam commemorationem, *Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus & sanguinem suum, anathema sit*.

Sanctus Cyprianus ait (*ep.* 63.): *Nam si Jesus-Christus Dominus* & Deus noster, ipse est summus Sacerdos Dei Patris, & seipsum primus Sacrificium Patri obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit:

uti-

utique ille Sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur.

Ex quo patet, solum Sacerdotem esse legitimum ministrum Sacrificii Missæ, quod Dominus noster Jesus Christus instituit, præcipiendo Sacerdotibus, ut illud offerrent in sui memoriam.

Quæst. 1. Omnes Christiani debent-ne offerre Sacrificium Deo?

Resp. Cum duplex sit Sacrificium, interius scilicet, & exterius: certum est, quod Sacrificium interius, quod in integra & universali oblatione, quam Deo exhibemus in cordibus nostris, consistit, non solum offerri debeat a Sacerdotibus, sed etiam ab omnibus fidelibus, qui quantum in ipsis est profitentur hoc modo supremum creatoris dominium. At Sacrificium Religionis exterius, quod peragitur ad solemniter repræsentandum Sacrificium internum, perfectamque erga Deum subjectionem, quodque nihil aliud est, quam Missæ Sacrificium, non debet, neque potest visibiliter & externo ministerio offerri, nisi a ministris ad id specialiter deputatis. Debent quidem omnes Christiani corde & voluntate cum Sacerdote uniri, & una cum illo interius & modo invisibili eamdem offerre victimam, quam externo ritu Sacerdos Deo offert; quare Sacerdos ante consecrationem conversus ad Fideles, ipsos admonet his verbis; *Orate Fratres, ut meum ac vestrum Sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem*. Et, ut ait S. Petrus Damiani in opusculo de Dominus vobiscum, cap. 8. *A cunctis Fidelibus, non solum viris, sed mulieribus, Sacrificium illud laudis offertur, licet ab uno specialiter offerri Sacerdote videatur*. Et in hoc sensu S. Augustinus (*lib. 10. de Civit. Dei cap. 6.*) Missam vocat *Sacrificium Christianorum*.

Et summus Pontifex Innocentius III. (*de Myst. Missæ, lib. 3. c. 6.*) *Non solum offerunt*, inquit, *Sacerdotes, sed & universi Fideles. Nam quod specialiter adimpletur ministerio Sacerdotum, hoc universaliter agitur voto Fidelium*. Et hac de causa Fideles omnes dicuntur Sacerdotes in multis locis Scripturæ. In Apocalypsi cap. 1. *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum & Sacerdotes Deo & Patri suo*. Et 1. Petri c. 2. *Ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales Hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum*. Unde videmus, quod Sacro-sanctum Missæ Sacrificium offertur ab omnibus Fidelibus modo spirituali & invisibili; sed illud idem Sacrificium impletur exterius a solis Sacerdotibus, qui vices Christi gerunt, cujus sunt Ministri visibiles, qui consecrant super Altare illam divinam Hostiam per verba, quæ præscripsit illis Dominus Jesus-Christus, & illud offerunt solemniter Patri æterno propriis manibus.

Quæst. 3. Sacerdos degradatus potest-ne valide Sacrificium Missæ offerre?

Resp. Certum est, posse, quia, ut ait Divus Thomas (3. *p. q.* 82. *ar.* 8.), *Potestas consecrandi* Eucharistiam, pertinet ad characterem Sacerdotalis Ordinis: character autem quilibet, quia cum quadam consecratione datur, indelebilis est: sicut & quarumcumque rerum consecrationes perpetuæ sunt, nec amitti, nec reiterari possunt. Unde manifestum est, quod potestas consecrandi non amittitur per degradationem; & sic patet, quod Sacerdos degradatus potest conficere hoc Sacramentum. Quod tamen non potest sine gravi peccato.

Quæst. 4. Sacerdos qui patitur morbum comitialem, seu caducum, debet-ne celebrare Missam?

Resp. D. Thomas sic respondet (2. *p. q.* 82. *ar.* 10. *ad* 3.): *Dicendum quod* debilitas vel ægritudo superveniens Ordini Sacerdotali, Ordinem non tollit: executionem tamen Ordinis impedit, quantum ad consecrationem Eucharistiæ. Quandoque quidem propter impossibilitatem executionis, si privetur oculis, aut digitis, aut usu linguæ. Quandoque autem propter periculum, sicut patet de eo qui patitur morbum caducum, vel etiam quamcumque alienationem mentis. Quare Alexander II. relatus in Canone (*in litteris* 7. *q.* 2.) consultus a Gebonardo Vivariensi Archiepiscopo, utrum Presbyter posset Missarum solemnia celebrare, qui morbum patiebatur caducum, *Consulimus*, inquit, „ ut si frequenter hoc
„ morbo tangitur, a Missarum celebratione modis omni-
„ bus prohibeatur: indecens enim est, & periculosum,
„ ut in consecratione Eucharistiæ morbo victus epilepti-
„ co cadat ".

Quæst. 5. Quid agendum est, cum Sacerdos moritur ante vel post consecrationem, aut propter aliquam infirmitatem nequit Hostiam consumare?

Resp. His incommodis occurrit Ecclesia in Rubricis Missalis de defectibus accident., dum ait: *Si Sacerdos* ante consecrationem graviter infirmetur, vel in syncopen inciderit, aut moriatur, prætermittitur Missa: si post consecrationem Corporis tantum, ante consecrationem Sanguinis, vel utroque consecrato, id accidit, Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desiit: & in casu necessitatis, etiam per non jejunum.

Quod etiam determinatum fuit in Concilio Toletano relato in Can. *Nihil*, 7. quæst. 1.

Quæst. 6. Sacerdos, qui consecrat Sacramentum Eucharistiæ, tenetur-ne Sacramentum percipere?

Resp. Certum est, teneri, ut definitum fuit in Concilio Toletano relato in Canone (*Can. Relatum de consecr. dist.* 2.) in quo sic habetur: „ Quotiescumque sa-
„ crificans Corpus & Sanguinem Jesu-Christi Domini no-
„ stri in Altari immolat, toties perceptionis Corporis,
„ & Sanguinis Christi participem se præbeat ".

Quæst. 7. Quomodo se gerere debet Sacerdos, cum ante vel post consecrationem recordatur se aliquid manducasse, aut bibisse, vel esse in peccato mortali, imo aliqua vinctum excommunicatione, quarum rerum non meminerat, priusquam Missam inciperet?

Resp. „ Dicendum, *ait Divus Thomas* (2. *p. q.* 83. „ *ar.* 6. *ad* 2.), quod ubi difficultas occurrit, semper „ est accipiendum illud quod habet minus de periculo: „ maximum autem periculum circa hoc Sacramentum „ est, quod est contra perfectionem hujus Sacramenti, „ quia hoc est immane sacrilegium: minus autem est il- „ lud quod pertinet ad qualitatem sumentis. Et ideo „ si Sacerdos recordetur se aliquid comedisse, vel bibis- „ se, nihilominus debet perficere Sacrificium, & sume- „ re Sacramentum: similiter si recordetur se peccatum „ aliquod commisisse, debet pœnitere cum proposito „ confitendi & satisfaciendi. Et sic non indigne, sed „ fructuose sumet Sacramentum. Et eadem ratio est, si „ meminerit se excommunicationi cuicumque subjacere; „ debet enim assumere cum proposito humiliter absolu- „ tionem petendi; & sic per invisibilem Pontificem Je- „ sum-Christum absolutionem consequeretur, quantum ad „ hunc actum, quod peragat divina Mysteria. Si vero „ ante consecrationem alicujus prædictorum sit memor, „ tutius reputarem (maxime in casu manducationis & „ excommunicationis) quod Missam incœptam desere- „ ret, nisi grave scandalum timeretur “.

Ex hac Divi Thomæ doctrina sequitur: Primo, quod si Sacerdos per errorem, aut incogitantiam, aquam, non vinum, in Calicem se infudisse & consecrasse, in ipsa communione, etiam post aquæ sumptionem, deprehenderit; tenetur vinum cum aqua, ut fieri solet, in Calicem infundere, & incipiendo ab hujusce Canonis verbis: *Simili modo*, &c. consecrare, & licet non jejunus bibere: quia consecratio vini pertinet ad Sacrificii consummationem & integritatem, quæ quidem cum ad jus divinum pertineat, legi Ecclesiasticæ, qua jejunium naturale Sacerdotibus & Laicis communicantibus indicitur, præponderat.

Præterea potest Sacerdos non jejunus sumere Eucharistiam, si id debita Sacramento reverentia postulet: Si, v. g. prospiciat, Hostias in Tabernaculo inclusas ab Infidelibus, aut Hæreticis, aut a Militibus conculcandas esse, eas omnes, quas aliter ab imminentibus contumeliis præservare non potest, etiam fracto naturæ jejunio sumere poterit.

Quæst. 8. Potest ne Sacerdos absque peccato abstinere omnino a celebratione Missæ?

Resp. Non potest, quia, ut ait Divus Thomas (*p.* 3. *q.* 82. *art.* 10.), „ Unusquisque tenetur uti gratia sibi „ data, cum fuerit opportunum, secundum illud 2. ad „ Corinth. 6. Hortamur, ne in vacuum gratiam Dei reci-

„ pia-

„ piatis. Opportunitas autem Sacrificium offerendi, non „ solum attenditur per comparationem ad Fideles Christi, quibus oportet Sacramenta ministrari, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione „ hujus Sacramenti Sacrificium offertur. Unde Sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet „ omnino a celebratione cessare".

Quare Concilium Tridentinum (*Sess.* 23. *de ref. c.* 14.) ait: Curet Episcopus, ut Sacerdotes saltem diebus Dominicis, & Festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent".

Et Divus Carolus, fidelissimus Concilii Tridentini observator, ait (*Actor. p.* 1. *de frequenti divini Sacrificii obl.*): „ Tridentini etiam Concilii authoritatem secuti, „ præcipimus Sacerdotibus, cujuscumque gradus, conditionis & dignitatis illi sint, ut Dominicis, & reliquis „ Festis diebus, Missam celebrare non omittant; Curatis „ vero ut præterea ter in hebdomada, aut eo etiam sæpius, quo vel loci consuetudo, vel necessitas crebriorem „ divini Sacrificii usum postulabit".

Quæst. 9. Cum Sacerdotes in ordinatione proferunt una cum Episcopo verba consecrationis, consecrant ne omnes, an solus Episcopus.

Resp. Innocentius III. hanc difficultatem clare explicat his verbis (*dist.* 4. *de Myst. Missæ c.* 25.): „ Cum „ interdum uni Pontifici multi Sacerdotes concelebrent, „ si forte non omnes simul consecratoria verba pronunciant: Quæritur, an ille solus conficiet, qui primus „ pronunciat; quid ergo cæteri faciunt? an iterant Sacramentum? Poterit ergo contingere, quod ille non „ conficiat, qui celebrat principaliter, & ille conficiet, „ qui secundario celebravit: & sic pia celebrantis intentio, vel devotio frustrabitur. Sane dici & responderi „ probabiliter potest, quod sive prius, sive posterius proferant Sacerdotes, referri debet eorum intentio ad „ instans prolationis Episcopi, cui concelebrant".

Idem affirmat Divus Thomas (*in* 4. *sent. dist.* 23. *art.* 2. *respons. ad* 2. *q.*): „ Dicendum, *inquit*, quod sicut „ Innocentius dicit, omnes celebrantes debent intentionem referre ad illud instans, in quo Episcopus verba „ profert. Et sic Episcopi intentio non defraudatur, nec „ aliquis ibi facit, quod factum est.

Quæst. 10. Quomodo se præparare debent Sacerdotes ad sacrum Missæ sacrificium celebrandum?

Resp. Sancti Patres id nobis luculenter innunt, & exemplo suo nos docuerunt. Et primo, S. Chrysostomus (*de Sacerdot. l.* 6. *c.* 3.): „ Quantam vero, *inquit*, ab „ eo integritatem exigemus? quantam religionem? Considera enim, quales manus hæc administrantis esse „ oporteat; qualem linguam, quæ verba illa effundat: „ qua deinde re non puriorem sanctioremve esse conve-

„ niat animam, quæ tantum illum tamque dignum Spiritum receperit? Per id tempus S. Angeli Sacerdoti „ adstant, & cælestium potestatum universus ordo clamores excitat; & locus Altaris vicinus, in illius honorem qui immolatur, Angelorum choris plenus est, „ id quod credere abunde licet vel ex tanto illo Sacrificio, quod tunc peragitur".

Et Petrus Blesensis ait (*de vita & moribus Clericorum & Epist. ad Rich. Episcopum* 123.): „ Verbum „ Prophetæ est. *Mundamini qui fertis vasa Domini*: „ Quanto mundiores esse oportet, qui in manibus, & „ in corpore portant Christum, quibus Apostolus dicit: „ *Empti estis pretio magno, glorificate & portate Christum in corpore vestro*? Sacerdotem hoc sentire oportet, quod & in Christo Jesu, non solum ut se per „ humilitatem exinaniat, sed ut crucifixionem Domini „ repræsentans, stigmata ejus portet in corpore suo, & „ in ore cordis seipsum Domino crucifigat. Verbum Salomonis est: *Sedisti ad mensam divitis, scito, quia „ eidem te præparare oportet*: Nam & in Levitico Sacerdos pellem Hostiæ retinet, quia ordo Sacerdotalis „ expostulat, ut dum in mensa Altaris Hostiam immolat salutarem, quadam contritionis Cruce, Hostiæ se „ conformet. Humane explicari non potest, cum quanta „ reverentia suscipi debet Corpus Christi".

Tandem S. Dionysius convictus de sanctitate necessaria ad illud divinum Sacrificium offerendum, ait (*S. Dion. Eccl. Hierar. c.* 5.): „ Eos qui ad Sacramenta cælestia „ conficienda accedunt, ea oportet esse munditia, ut „ ipsas quoque animæ extremas imagines purgatas habeant: ideo his demum tam augusta patere Mysteria, „ qui ad divini, ac Deifici habitus immobilitatem vimque actuosam pervenere, qui soli Deo unice adhæreant, quique omnino irreprehensibiles sint atque immaculati".

Sancti Patres passim de his præparationibus diserte & fortiter loquuntur: & valde deflenda est crassa aliquorum Sacerdotum negligentia, qui nullo modo se ad tantum Sacrificium celebrandum digne disponere student: „ Curis sæcularibus indifferenter inserviunt, *ait sanctus „ Cardinalis Petrus Damiani* (*Op. 6. Contra inscit. & „ ignaviam Cler. c.* 1.), ab otiosi se sermonis ineptiis „ non compescunt: imo per lites, & jurgia frequenter „ a proximorum suorum charitate resiliunt: & cum livoris vel cujuslibet terrenæ concupiscentiæ flammas in „ suis pectoribus fervere non nesciant, venerandis tamen „ Altaribus impudentes se ingerunt, & ab offerendi sacro-sancti libaminis ministerio non recedunt.

„ Proba te ipsum, *ait Divus Bonaventura* (*lib. de „ Præpar. ad Missam c.* 5.), ex quanta charitate, & quali fervore accedis: non solum enim mortalia vitanda „ sunt, sed etiam venialia peccata per negligentiam, &

„ otium

„ otium multiplicata, & etiam per inconsiderationem, „ ac per distractionem dissolutæ vitæ & malæ consuetudinis, licet non occidant animam, tamen reddunt „ hominem tepidum, gravem, & obnubilatum, & in- „ dispositum, & ineptum ad celebrandum".

Sed in primis Sacerdotes ante celebrationem scrutari convenit, utrum vitam sancto statui conformem ducant; utrum a vitiis & desideriis sæcularibus abhorreant; utrum castitatem studiose illæsam servent: utrum in Ecclesia Dei, juxta talentum a Deo sibi creditum, fideliter operentur: ut enim ait Divus Bernardus (*de Mod. bene vivendi*, *Serm.* 51.): *Regnum Dei non dabitur otiosis, sed in servitio Dei studiosis*. Quod si illorum conscientia illis non remordet, oportet, ut per actus humilitatis & sacrificii interioris seipsos ad celebrandum sanctum Missæ sacrificium disponant, quasi victimæ.

Quæst. 11. Quænam consideratio videtur efficax ad excitandam Sacerdotis devotionem, dum ad Missam celebrandam accedit?

Resp. Debet principaliter attente considerare dignitatem Mysterii, quod ministerio suo confici debet: „ Et „ quia, *ut ait Divus Antoninus* (3 *p. tit.* 13. §. 98.), „ meditatio Passionis Christi multum est inductiva de- „ votionis super alia: unde Bernardus, Super omnia te „ mihi reddit amabilem, o bone Jesu, Calix quem bi- „ bisti, opus redemptionis nostræ: hoc & devotionem „ nostram facilius allicit, dulcius unit, & fortius strin- „ git: ideo accedenti ad Communionem multum con- „ gruit ipsa meditari".

Hujus rationem affert S. Augustinus relatus in Can. his verbis (*Can. Quia morte*, *de Cons. dist.* 2.): *Quia morte Domini liberati sumus, hujus rei memores in edendo & potando Carnem & sanguinem debemus esse*. Sacerdos debet vestimentis Sacerdotalibus supervestiri cum eisdem dispositionibus, ac si ad Calvarium ascenderet, cum Deo offerre debeat idem Sacrificium, quod Dominus noster Jesus Christus in Cruce obtulit, & quod de novo offert manibus Sacerdotum modo incruento.

„ Quanta cura adhibenda sit, *ait Concilium Tridentinum* (*Sess.* 22. *de Sacr. Missæ*, *Decr. de obser. in* „ *celeb. Missæ*), ut Sacrosanctum Missæ Sacrificium „ omni Religionis cultu, ac veneratione celebretur, „ quivis facile existimare poterit, qui cogitarit, male- „ dictum in sacris Litteris eum vocari, qui facit opus „ Dei negligenter; quod si necessario fatemur, nullum „ aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi Fide- „ libus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum „ Mysterium, quo vivifica illa Hostia, qua Deo Pa- „ tri reconciliati sumus, in Altari per Sacerdotes quo- „ tidie immolatur; satis etiam apparet, omnem operam „ & diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxi- „ ma fieri potest interiori cordis munditia & puritate,

„ atque exteriori devotionis ac pietatis ſpecie peraga-
„ tur “.

Quæſt. 12. Quaſnam alias diſpoſitiones afferre debet Sacerdos, priuſquam celebret?

Reſp. Ut ait S. Carolus (*Act. p.* 1. *tit. Quæ pert. ad celebr. Miſſæ*): „ Sacerdotes antequam celebrent, ſe
„ colligant, & orantes mentem in tanti Miniſterii co-
„ gitatione defigant. Antequam ad Altare accedant,
„ Miſſam perlegant, & ſingulas partes ita præparatas &
„ notatas habeant, ut celebrantes neque errent, neque
„ hæreant.

„ Sacris veſtibus induti cum nemine colloquantur,
„ neque loquentibus dent aures, mentemque & oculos
„ ab omnibus amoveant, quibus diſtrahi poſſunt. Neque
„ a Sacriſtia exeant, niſi cum ad Altare eundum erit;
„ quod tunc graviter & modeſte fiat. In Altari ne in
„ mora ſint Sacrificio cujuſvis expectandi gratia: neque
„ ob eamdem cauſam Miſſa inchoata ſubſiſtant, aut ejus
„ initium repetant. Neve ſi Parochi ſunt, cujuſquam
„ gratia tunc Miſſam anticipent, aut differant: ſed il-
„ lam ea potiſſimum hora celebrent, quæ populo magis
„ accommodata ſit; neve concionem, quam in ea ha-
„ bere debent, ullo modo omittant “.

Diligenter advertere debent Sacerdotes, ut Rubricas Miſſalis, & cæremonias Miſſæ exacte obſervent; ſed in primis, illud Myſterium cum tanta exterioris devotionis ac pietatis ſpecie peragant, ut adſtantes eorum exemplo ad pietatem excitentur: nam, ut ait Cardinalis Bellarminus (*l. De Gemitu Columbæ*): „ Illud eſt etiam la-
„ crymis uberrimis dignum, quod ob nonnullorum Sa-
„ cerdotum incuriam, aut impietatem, Sacroſancta My-
„ ſteria tam indecore tractentur, ut, qui illa tractant,
„ videantur non credere, Majeſtatem Domini eſſe præ-
„ ſentem. Sic enim aliqui ſine ſpiritu, ſine affectu, ſine
„ timore, & tremore, feſtinatione incredibili ſacrum
„ perficiunt, quaſi Fide Chriſtum Dominum non vide-
„ rent, aut ab eo ſe videri non crederent “.

Unde etiam in Synodo Spalatenſi (*ann.* 1688. *c.* 10. *n.* 8.) ſic habetur: „ Sacerdos ad Altare gravi, mode-
„ ſtoque inceſſu procedat, ſervatiſque in omnibus Miſ-
„ ſalis rubricis: Miſſam legat oculis ſemper in librum
„ defixis: verba clare, diſtincte, & devote pronunciet:
„ Miſſam non brevius quadrante cum dimidio contra-
„ hat; omnia demum ita decore, & apte præſtet, ut
„ adſtantes ad devotionem, non ad riſum vel contem-
„ ptum & admirationem, ut ſæpe evenit, excitentur.
„ Qui ſecus fecerint, reputent, nihil eſſe minimum,
„ ubi de re maxima agitur; eumque impium reputari,
„ qui auguſtiſſimum myſterium ſine pietate peragit.

„ Profecto ſanguineis lacrymis deplorandum eſt, quod
„ plerique celebrantes id unum præſtare conantur, non
„ ut Miſſam celebrent, ſed ut abſolvant: non ut devo-

„ tio-

„ tionis exercitium, sed ut victus sustentationem ha-
„ beant; ita ut hoc tempore Missæ celebratio, non tam-
„ quam religionis Mysterium, sed ut lucrandi ars quæ-
„ dam, cum fidelium scandalo & hæreticorum derisio-
„ ne, exerceatur. Ea propter Nos curam omnem inten-
„ demus, ut Sacerdotes novi quam exactissime sacrificium
„ celebrare incipiant; & veteres, quibus parvus usus vel
„ celeritatis vel negligentiæ inolevit, ad sacrorum rituum
„ observantiam reducantur".

Et in præclara Synodo Derthonensi (*ann.* 1687. *de Missæ Sacrificio*) habetur, quod „ si Sacerdotes, Sa-
„ crum facturi attente considerarent, quanta sit dignitas
„ hujus Sacrificii, quanta sublimitas mysterii, procul
„ dubio non adeo irreligiose rem tantam peragerent:
„ sunt enim aliqui, qui nihil aliud student, nisi ut quam
„ citissime se expediant, sacras cæremonias confunden-
„ do, ut non in alium finem rem Divinam facere vi-
„ deantur, quam ut inde lucrum consequantur; quos
„ acri illa reprehensione objurgat D. Bernardus, nimi-
„ rum quod *ordinant cœlum ad ventrem*. Quare Sacer-
„ dotes, qui in hac nostra Diœcesi degunt, paterna
„ charitate admonemus, ut Missæ sacrificium illa qua
„ decet reverentia offerre studeant; qui vero in tanta
„ re negligenter se gesserint, pœna etiam suspensionis,
„ præter alias, punientur: ut ea mysteria non attingant,
„ quæ indigne tractare non exhorrescunt".

Jam dictum est Tom. 2. c. 9. q. 3. quod vestis in celebratione Missæ omnino debet esse talaris, etiam in itinere; & in Concilio Provinciali Neapolitano (*ann.*1699. *tit.* 1. *c.* 2. *n.* 3.) expresse cavetur: *Ne ullus audeat ad sacrum faciendum accedere sine veste talari, sub pœna ducatorum sex, piis usibus applicandorum, in singulas transgressiones: quam etiam dabunt Sacristæ, qui Sacerdotes contrafacientes ad rem Divinam peragendam admiserint*.

Ad decorem tanto mysterio debitum pertinere videtur illud, quod in Synodo Æsina (*an.* 1683. *tit.* 13.) statuitur his verbis: *Ante Missæ celebrationem, districte, sub pœna suspensionis pro solo ejusdem sumptionis die ipso facto incurrendæ, tabacchum sumi a Sacerdotibus prohibemus*. Quod & in Synodo Derthonensi ann. 1687. sub gravi pœna prohibetur.

CAPUT III.

De Institutione & partibus essentialibus Sacrosancti Missæ Sacrificii.

Quæst. 1. QUandonam Christus instituit Sacrosanctum Missæ Sacrificium?

Resp. Declarat Tridentina Synodus (*Sess.* 21. *D. Sacrif. Missæ c.* 1.), Christum Dominum instituisse Missæ

 sa-

sacrificium *In Cœna novissima, qua nocte tradebatur.* Quod Concilium Senonense (*ann.* 1614. *Decretum* 1. *de Sacrificio Missæ*), explicat, & probat authoritate Scripturæ sacræ, dum ait: „ Porro etsi Christus assiduus pro „ nobis Pontifex, non per sanguinem hircorum, aut „ vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit se- „ mel in sancta, æterna redemptione inventa, negari „ tamen non potest Sacerdos in æternum secundum or- „ dinem Melchisedech, ac proinde, ejus exemplo, Sa- „ crificium aliquod obtulisse, quod exteriore panis & „ vini forma, veteri illi Melchisedech oblationi respon- „ deret; erat enim Sacerdos Dei Altissimi, quod utique „ fecit in suprema illa Cœna; nam accepto Pane, & „ gratias egit, & fregit, deditque discipulis suis, di- „ cens: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur,* „ & ab Evangelicis Sacerdotibus jugi semper observan- „ tia præcepit iterari: *Hoc facite*, inquit, *in meam* „ *commemorationem*. Hoc enim Holocaustum, hæc vi- „ ctima pro peccato, hæc Hostia pacifica, hoc juge Sa- „ crificium, hæc munda oblatio, quam in omni loco „ Malachias prædixit offerendam, cum repudiatis Legis „ antiquæ cæremoniis, ab ortu solis usque ad occasum, „ magnum esset nomen Domini in Gentibus".

Quæst. 2. In quanam re, vel actione, posita est incruenti Sacrificii essentia?

Resp. Constat primo, in oblatione vocali, quæ consecrationem vel antecedit, vel subsequitur, non consistere essentiam incruenti Missæ Sacrificii: etenim essentia cujuslibet Sacrificii consistit in oblatione rei in ipso offerendo, cum intentione colendi Deum, veluti supremum dominatorem vitæ, & necis, & tamquam authorem bonorum omnium. Per vocalem autem illam oblationem, sive consecrationem antecedat, sive subsequatur, non offertur, quod offerendum est in Sacrificio Missæ; neque enim per utramvis hujusmodi oblationem Corpus Christi, & ejus sanguis, præsens sistitur in Altari, quod tamen fieri oporteret: neutra igitur talium oblationum pertinet ad essentiam talis Sacrificii. Præterea per duplicem illam oblationem nihil immutatur, nam per priorem materia dumtaxat Sacrificii præparatur ad consecrationem: per alteram vero, quæ consecrationem subsequitur, nihil pariter immutatur: sed immutatio, quæ dumtaxat per ipsa Christi verba reipsa facta est, nec aliter fieri potest, supponitur.

Secundo, neque Hostiæ fractio, neque mixtio, neque distributio pertinet ad essentiam hujus Sacrificii: „ Di- „ cendum, *ait Divus Thomas* (3.*p.* q.83. *art.*6. *ad*6.), „ quod fractio Hostiæ consecratæ, & quod una sola pars „ mittatur in Calicem, respicit mysticum Corpus, sicut „ admixtio aquæ significat populum. Et ideo horum præ- „ termissio non facit imperfectionem Sacrificii, ut pro- „ pter hoc sit necesse aliquid reiterare circa celebrationem

„ hujus

„ hujus Sacramenti". Et per consequens, ex Divo Thoma, illa omnia non sunt de essentia Sacrificii Missæ.

Unde videtur dicendum, quod consecratio & consummatio Hostiæ facta a Sacerdote, sunt de essentia Sacrificii Missæ, quod satis patet ex eo, quod præscribit Ecclesia in Rubricis Missalis supra relatis, videlicet, quod *Si Sacerdos ante consecrationem graviter infirmetur, vel in syncopen inciderit, aut moriatur, prætermittitur Missa; si post consecrationem Corporis tantum, aut consecrationem sanguinis, vel utroque consecrato, id accidit, Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desiit: & in casu necessitatis, etiam per non jejunum.* Quod tamen non præscriberet Ecclesia, si Communio non esset de essentia Sacrificii Missæ, sicut non vult, quod alius Sacerdos perficiat Missam, quando primus moritur ante consecrationem, quia tunc nullum est Sacrificium, cum cæremoniæ, quæ præcedunt consecrationem, non sint de essentia Sacrificii Missæ, ut mox diximus.

Et ut ait Concilium Toletanum relatum in Canone (*Can. Relatum, de Consecr. dist. 2.*): *Nam quale erit illud Sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?* Et ex hoc innuens, quod illud Sacrificium nullum esset.

Quæst. 3. Si Communio est de essentia Sacrificii, quomodo dici potest, quod Fideles offerunt Sacrificium simul cum Sacerdote, quando non communicant?

Resp. Fideles semper cum Sacerdote sacrificant, quia semper debent in omnibus Missis, quibus intersunt, communicare, saltem spiritualiter, ut ait Concilium Tridentinum (*Sess. 2. de Sacrificio Missæ, c. 6.*) his verbis: *Nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas damnat, sed probat atque adeo commendat: siquidem hæ quoque Missæ vere communes censeri debent, partim quod in eis populus spiritualiter communicet.* Hæc autem Communio spiritualis fit, dum Fideles ad recipiendum in se Christum disponuntur ex ferventi quod concipiunt desiderio illi se intime uniendi, & ejus se voluntati in omnibus conformandi.

CAPUT IV.

De Obligatione audiendi Missam.

Quæst. 1. Est-ne peccatum mortale, non audire Missam diebus Dominicis & festivis?

Resp. Quicumque ex negligentia mera omittit audire Missam diebus Dominicis & festivis, cum possit, peccat mortaliter: facit enim contra præceptum Ecclesiæ. Ita D. Antoninus 2. p. tit. 9. §. 1. c. 12.

Quæst. 2. Ad satisfaciendum præcepto audiendi Missam, tenemur ne distincte audire quod dicit Sacerdos?

Resp. Ex eodem Sancto loco citato, „ Non est necesse „ sensim & distincte audire verba Missæ: nam tunc se„ queretur hoc inconveniens, quod qui audiret Missam „ ab his qui submisse dicunt, cum multitudo adest, qui „ remoti sunt, non implerent præceptum: similiter & „ qui surdi essent, vel hebetem auditum haberent. In„ tentio ergo Ecclesiæ in illo Decreto est, quod præsens „ sit in Missa, & vacet Deo; si etiam intelligens est, „ dignum & justum est, ut intendat & conetur intelli„ gere, quæ dicuntur populo in Missa ".

Quæst. 3. Qui omittit audire aliquam Missæ partem, v. g. Introitum, satisfacit-ne Ecclesiæ præcepto?

Resp. Licet ex Ecclesiæ præcepto teneantur Fideles integram Missam audire, Sanctus Antoninus nihilominus respondet: *De eo qui dimittit aliquam partem Missæ, puta Introitum, videtur, quod non satisfaciat, quia* Can. *Missas*. De Consecratione dist. 2. dicitur: Missas die Dominico sæcularibus totas audire speciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat: *Respondeo, quod modicum pro nihilo reputatur, nec verba legis ita amare interpretanda sunt: ideo dicendum est, quod talis judicandus est servator præcepti; sed si dimitteret notabilem partem puta mediam, vel tertiam partem, secus.*

Quæst. 4. Quinam excusantur a præcepto audiendi Missam?

Resp. Ut asserit Divus Antoninus (*S. Ant.* 2. *p. tit.* 9. *c.* 10. §. 1.) „ Excusantur a præcepto audiendi Missam, „ infirmi qui non possunt domo exire, & servitores in„ firmorum, qui non possunt dimittere infirmos propter „ periculum, & Matres quæ non possunt dimittere par„ vulos sine periculo; & alii qui impedimenta legitima „ habent, vel ardua negotia, quæ non possunt dimittere „ sine magno detrimento, scandalo, vel periculo. Et „ illi qui justo impedimento audire non possunt Missam, „ debent saltem pro aliquo spatio in domo vacare ora„ tioni, loco Missæ, ex congruitate ".

Quæst. 5. Sufficit ne ad satisfaciendum præcepto audiendi Missam, adesse, dum celebratur?

Resp. Non sufficit, sed insuper requiritur attentio, & circa Deum occupatio; ut enim ait S. Cyprianus relatus in Canone (*Quando autem*, *de consecr. dist.* 1.): „ Quando autem stamus ad orationem, Fratres dilectis„ simi, vigilare & incumbere ad preces toto corde de„ bemus; cogitatio omnis carnalis & sæcularis abscedat, „ nec quidquam tunc animus, quam id solum cogitet, „ quod precatur, ideo & Sacerdos ante orationem, præ„ fatione præmissa, parat fratrum mentes, dicendo, „ *Sursum corda*: ut dum respondet plebs, *Habemus ad* „ *Dominum*, admoneatur, nihil se aliud quam Domi-

„ num

„ num cogitare debere ; claudatur contra adversarium „ pectus, & soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei tem- „ pore orationis venire patiatur “.

Et Conc. Trid. (*sess.* 22. *de Sacr. Missæ*) præcipit Episcopis : „ Ut non patiantur Missas peragi, nisi prius „ qui intersint, decenter composito corporis habitu, de- „ claraverint se mente etiam, ac devoto cordis affectu, „ non solum corpore adesse “.

Quæst. 6. Tenentur-ne Fideles audire Missam Parochialem diebus Dominicis & festivis ?

Resp. Cum Missa Parochialis instituta sit ad gratias agendum Deo pro omnibus Beneficiis per hebdomadam acceptis, curare debent omnes Fideles, ut illi intersint, nisi legitime excusentur, ut audiant vocem & instructiones salutares Pastorum suorum : & hoc expresse præcipitur in Canone, ubi sic legitur (*Cap. Ut Dominicis de Paroch.*) : „ Ut Dominicis vel Festivis diebus, Pres- „ byteri, antequam Missam celebrent, plebem interro- „ gent, si alterius Parochianus in Ecclesia sit, qui, pro- „ prio contempto Presbytero, velit Missam audire : „ quem si invenerint, statim ab Ecclesia ejicient.

Et ut ait Concilium Tridentinum (*Sess.* 25. *de Sacr. Missæ*) : „ Parochi moneant etiam eumdem populum, „ ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Domi- „ nicis & majoribus festis, accedant “. Et ita sessione 22. de reformatione c. 4. ait : „ Moneatque Episcopus „ populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ „ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audien- „ dum verbum Dei “.

Idcirco S. Carolus, fidelis & prudens ejusdem Concilii observator (*act. p.* 3. *tit. Suum etiam munus diligenter obeant Parochi*) : „ Missam audiant Fideles, *inquit*, „ Festis diebus, idque in Parochiali propria, munusque „ sit Reverendissimi Archiepiscopi operam dare, Roma- „ ni etiam Pontificis implorata, si opus sit, authorita- „ te, ut impedimenta amoveantur, si quæ obstent De- „ creto huic saluberrimo de Missa audienda in propria „ Parochia Festo die “.

Summus quoque Pontifex Sixtus IV. in Constit. relata in Can. sic habet (*in can. Vices illius*, *de tregua & pace in Extrav. communibus*) „ Quodque Fratres non „ prædicent, populos Parochianos non teneri audire Mis- „ sam in eorum Parochiis diebus Festivis & Dominicis : „ cum jure cautum sit, illis diebus Parochianos teneri „ audire Missam in eorum Parochiali Ecclesia, nisi for- „ sam ex honesta causa ab ipsa Ecclesia se absentarent.

Unde etiam in Concilio Provinciali Urbinatensi (*an.* 1669. *de Parochiis*, *c.* 1. *pag.* 14.), a Felice Tiranno Archiepiscopo, paulo post Concilii Tridentini finem, congregato, & Romæ authoritate Apostolica comprobato, sic statuitur : „ Mandamus insuper, animarum saluti „ consulentes, ut omnes & singuli fideles, in Ecclesia

„ illius Parochiæ, in qua pro tempore domicilium habuerint, donec ibi eos commorari contigerit, Missas audire, quantum commode fieri poterit; sacramenta recipere, eique decimas de jure debitas, juxta formam Concilii Tridentini, persolvere omnino teneantur: & consequenter ejusdem Ecclesiæ Rectorem veluti proprium observent & agnoscant". Quapropter in Synodo Cæsenatensi (*anno* 1693. *l.* 2. *c.* 1.) Cardinalis Denoff, sic habetur: *Hortentur Parochi*, ut omnes festis diebus Missam audiant in Ecclesia Parochiali, in qua regenerati per baptismum, hæredes Regni cælestis facti sunt. Moneantque diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi id commode fieri potest, ad audiendum verbum Dei.

Et in Concilio Provinciali Beneventano (*an.* 1631. *c.* 68.), relato in Synodicon ab Eminentissimo Cardinali Ursino, anno 1695. in lucem edito, sic habetur: „ Quia, sicut ab experto didicimus, plurimi parochiani utriusque sexus, suas parochiales Ecclesias contemnentes, ad easdem diebus Dominicis & festivis accedere non curant ad audiendum Divina Officia, sicut tenentur: quinimo vel in domibus propriis remanent ut brutales, aut ad alienas confluunt Ecclesias, in quibus per sacerdotes parochiales sustinentur, contempto proprio Presbytero, Missas audituri, attendentes talia a juris ordine deviare, mandamus, statuimus, & ordinamus, quod de cætero talia facere non attentent: præcipientes omnibus & singulis Presbyteris, quod antequam in suis Ecclesiis Missam celebrent, publicent & interrogent, si alterius parochianus in Ecclesia sit; quod si invenerint, aut sciverint, statim ab Ecclesia abjiciant, seu cessent a Divinis, donec ibi fuerint. Quod si exire contempserint, Nobis, aut Vicario nostro, seu suffraganeis nostris, aut eorum Vicariis denunciare, cum primum potuerint, procurent, de inobedientia justitiam nostro, seu dictorum Suffraganeorum judicio, recepturi". Vide quæ dicta sunt Tom. 6. c. 2. q. 5.

Quæst. 7. Ecclesia præcepit-ne semper Fidelibus, ut suas Parochias frequentarent?

Resp. Parochiæ nomen notum est a primis sæculis Ecclesiæ, & ipsi fere coævum; verum tamen est, quod antiquitus hoc *Parochiæ* verbo aliquando significabatur Diœcesis tota, ut videre est in Canone Apostolis tributo (*Can.* 14. *Apost.*), in quo sic habetur: „ Si quis Presbyter, aut Diaconus, aut quicumque tandem de Clericorum consortio, relicta Parochia sua, in aliam concesserit, & omnino transmigratione facta, præter voluntatem sui Episcopi, in alia Parochia moram traxerit: hunc jubemus, ne porro in Ministerio publico sit Ecclesiæ". Id etiam constat ex Can. *Lugdunensis* (9. *q.* 2.). Aliquando Parochiæ verbum aliquam tantum Diœcesis partem designabat, ut nunc etiam intelligitur. In

iis

iis temporibus, in quibus pauci erant Christiani, & in quibus persecutiones quasi continuæ vix dabant modum omnia sigillatim ordinandi; sæpius una tantum Parochia constituta erat pro regione satis ampla, & ita fervens erat zelus Fidelium, ut facile superarent omnia itineris incommoda, ut Parochiam adirent diebus Dominicis & Festivis, & in Synaxibus & conventibus sacris cultui Divino vacarent. Postmodum decretum est, ut in vicis & castellis a civitate Episcopali remotioribus Ecclesiæ construerentur; ut a Sacerdotibus deserviri possent, qui velut locum tenentes Episcopi haberentur, & portionis Fidelium sibi commissæ specialem curam gererent. Procedente tempore, cum Christianorum numerus valde augeretur, in civitatibus amplioribus plures Ecclesiæ Parochiales, & iis Parochi, seu Rectores & Curati fuerunt constituti. Juxta Anastasium, qui Bibliothecarius vulgo vocatur, sanctus Evaristus Papa Romam in varias Parochias divisit anno centesimo-duodecimo; & ne Fideles privatis Parochis commissi, procedente tempore, ab authoritate Episcopi segregati viderentur, neve unio aliquo modo hac occasione minueretur; quoties summus Pontifex celebrabat, ad eas Ecclesias partem Panis in Sacrificio oblati post consecrationem ad Parochos mittebat, ut per illorum manus Fideles Parochiales communicari possent: aut saltem, juxta sensum, quem plures authores voci *Fermentum* dederunt, panem benedictum Curatis mittebat, ut fidelibus distribueretur: ut videre est in Epistola Innocentii primi, in qua sic habetur (*ep.* 1. *ad Decentium Episcopum Eugubin.*): „ Cum omnes „ Ecclesiæ nostræ intra Civitatem sint constitutæ, qua„ rum Presbyteri, qua die ipsa propter plebem sibi cre„ ditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fer„ mentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt, „ ut se a nostra Communione, maxime illa die Domi„ nica, non judicent separatos". Dionysius postea Pontifex majori etiam cum cura Parochias plures divisit (*Can. Ecclesias*, 13. *q.* 1.): „ Ecclesias singulas, *inquit*, „ singulis Presbyteris dedimus, Parochias, & cœmete„ ria eis divisimus, & unicuique jus proprium habere „ statuimus; ita videlicet, ut nullus alterius Parochiæ „ terminos aut jus invadat: sit unusquisque terminis suis „ contentus, & taliter Ecclesiam & plebem sibi com„ missam custodiat, ut ante Tribunal æterni judicis de „ omnibus sibi commissis rationem reddat".

Et ideo Episcopi satagebant, ut Fideles assidue propriæ Parochiæ interessent, nec alibi Missas audirent; unde Sanctus Augustinus relatus in Canone: „ Et hoc „ attendendum, *inquit*, ut Missæ peculiares, quæ per „ dies solemnes a Sacerdotibus fiunt, non ita in publico „ fiant, ut propter eas populus a publicis Missarum so„ lemnibus (quæ hora tertia canonice fiunt) abstraha„ tur: sed Sacerdotes, qui in circuitu urbis, aut in ca-

 „ dem

„ dem urbe sunt, & populus in unum ad Missarum pu-
„ blicam celebrationem conveniant “.

Eadem de causa statutum reperitur in Concilio Nannetensi relato in Canone (*Can. Nullus 9. q. 1.*), quod *Nullus Presbyter, aut Diaconus, alterius plebanum, nisi in itinere fuerit, vel placitum*, id est litem, *habuerit, ad Missam recipere audeat*. Et ita constat, Ecclesiam semper desiderasse, ut Fideles in propria Parochia Missam audirent, in qua etiam Sacramenta Baptismi & reliqua suscipere maxime convenit; præsertim quia Parochia propria a Deo & ab Ecclesia unicuique Fidelium primitus assignatur, *in his quæ sunt ad Deum*; reliquæ vero sunt tantum in subsidium & secundario constitutæ.

C A P U T V.

De Retributionibus, seu eleemosynis pro Missarum celebratione, & de applicatione fructus Sacrificii, ut prosit iis, pro quibus offertur.

Quæst. 1. Licet-ne Sacerdoti accipere pecuniam pro celebratione Missæ?

Resp. Certum est in primis, ut ait Concilium Tridentinum (*Sess. 22. de Sacrific. Missæ*), curare diligenter debere Sacerdotes, ut devitent quidquid avaritiam redolet; sic enim ait: „ Atque, ut multa paucis comprehen-
„ dantur, in primis quod ad avaritiam pertinet, cujus-
„ vis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid
„ pro Missis novis celebrandis datur; necnon importunas,
„ atque illiberales eleemosynarum exactiones, potius
„ quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a simo-
„ niaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt,
„ omnino prohibeant Episcopi “. Et ut ait Divus Tho-
„ mas (*in 4. sent. dist. 23. q. 3. art. 2. q. 1. ad 4.*):
„ Dicendum, quod facere pactionem de Missa celebran-
„ da, est simoniacum semper; si tamen Sacerdos non
„ habet alios sumptus, & non tenetur ex Officio Mis-
„ sam cantare, potest accipere denarios, sicut conducti
„ Sacerdotes faciunt, non quasi pretium Missæ, sed
„ quasi sustentamentum vitæ “.

Quæst. 2. Licet-ne Sacerdoti celebrare Missam, ut habeat, unde vivat?

Resp. Non potest tamen, inquit D. Thomas (*Opusc. 1. de Offic. Sacer. c. 1.*), *Sacerdos illa intentione celebrare, ut ex hoc pecuniam consequatur, quia peccaret mortaliter*.

Sanctus Bernardus hanc sordidam Sacerdotum avaritiam deplorat, dum ait (*in Ps. 10.*): *Ipsa quoque Ecclesiasticæ dignitatis officia in turpem quæstum, & tenebrarum negotium transierunt: nec in his salus animarum, sed luxuria quæritur divitiarum; propter hoc ton-* *den-*

dentur, propter hoc frequentant Ecclesias, Missas celebrant, Psalmos decantant.

Unde etiam Eminentissimus, & numquam satis laudatus, Cardinalis Denhoff, in sua Synodo Cæsenatensi (*anno 1693. lib. 2. c. 5.*): *Sedulo sacerdotes attendant*, inquit, *ne dum Missas sola spe mercedis illecti celebrant, gravibus culpis conscientias suas illaqueent: docet enim S. Thomas*, non posse Sacerdotem illa intentione celebrare, ut ex hoc pecuniam consequatur; quia peccaret mortaliter. *An vero hac præcipua intentione Missæ sacrificium offerat; viderint ii qui Sanctissimæ Communionis in ægritudine, nullo aut perexiguo tenentur desiderio; cum tamen, recuperata valetudine, vix aliquam prætermittant diem, qua ad altare non accedant.*

Quæst. 3 Qui tenetur Missam celebrare ratione Beneficii, Cappellæ, aut Legati, potest-ne eandem Missam offerre pro alio, qui sibi stipendium dedit?

Resp. Non potest, ut censuit Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, authoritate sibi a summo Pontifice attributa, his verbis (*Gavantus in addit. ad Manuale Episc. n. 3.*): „ Sacerdotes, quibus diebus „ tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Cap- „ pellæ, Legati, aut Salarii, si eleemosynas pro aliis „ etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem „ Missa utrique obligationi satisfacere “. Patet etiam ex Divo Thoma supra citato, quia una ex conditionibus quam requirit Divus Thomas, ut Sacerdos possit aliquid accipere pro celebratione Missæ, est, quod non teneatur ex officio Missam cantare.

Ratio est, quia semper præsumendum est, quod ille, qui nobis onus imposuit celebrandi Missam, voluit ad suam intentionem celebrari, nisi expresse oppositum declaraverit; in quo casu videtur posse Sacerdotem applicare Missam pro alio, & recipere eleemosynam pro hac applicatione.

Videatur Constitutio Innocentii XII. in fine hujus Tomi.

Quæst. 4 Parochi tenentur-ne Missas applicare diebus Dominicis & Festivis pro commissis sibi populis: & possunt-ne aliquam eleemosynam pro applicatione Missæ recipere? Et quid dicendum de Capitulis?

Resp. Sequitur ex supra citata declaratione, non posse Parochos eleemosynam accipere pro applicatione Missarum illis diebus, cum ratione Beneficii teneantur Missam celebrare Dominicis & Festivis diebus. Et Concilium Tridentinum (*sess. 23. de refor. c. 1.*) ad id etiam illos obligat, dum ait: *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre &c.* Cum enim ratione Beneficii teneantur Missas illas celebrare, sequitur ex S. Thoma supra relato, quod nihil possunt accipere pro applicatione illarum Missarum.

Et ut ait Gavantus (*p. 3. tit. 12. num. 5.*) in Rubricas

bricas Missalis: „ De Parochis, quod quibus diebus te-
„ nentur Missam celebrare, non possunt manualem elee-
„ mosynam recipere, censuit expresse Sacra Congregatio
„ Concilii die 1. Septembris 1629." . Adsunt etiam aliæ declarationes, & præsertim pro Ecclesia Vasionensi, quæ non solum Cathedralis est, sed etiam Parochialis. Cum enim Episcopus, occasione visitationis Liminum sanctorum Apostolorum, & relationis status Ecclesiæ, quæ sacræ Congregationi Concilii offertur, varia dubia proposuisset, inter quæ secundum his verbis conceptum erat:
„ 2. Quærit, an Missæ Conventuales, quæ diebus fe-
„ rialibus cantantur, applicari debeant pro communibus
„ populi necessitatibus? vel an applicari possint solum-
„ modo in favorem illius qui stipendium seu eleemosy-
„ nam obtulit, sicut fieri solet? " Respondit Sacra Congregatio die 14. Novembr. 1693. „ Mandet, Missam
„ Conventualem applicari pro populo: ut re mature di-
„ scussa, resolutum fuit in dubio applicationis Sacrificii
„ 10. Maji 1692. & in Hydruntina 1. Martii ejusdem
„ anni ". Tertium dubium propositum erat his verbis:
„ 3. Quærit, an dum dici debent duæ Missæ Conven-
„ tuales propter officium alicujus Sancti occurrens in
„ Quadragesima, aut aliis feriis majoribus, Missa de
„ Sancto applicari possit pro Anniversario fundato; quod
„ passim fieri solet in dicta Ecclesia? " Respondit Sacra Congregatio his verbis: „ Ad tertium negative, quia
„ Missa de Sancto est satisfactoria, & ex obligatione
„ Festi currentis: Conventualis vero applicanda pro po-
„ pulo; & Missa de feria ex præcepto Ecclesiæ ubi
„ viget consuetudo, nec pro hac aliud stipendium recipi
„ potest ". Debitam obedientiam præstitit his Decretis Capitulum nostrum Vasionense, & sine mora executioni demandata sunt, & in Actis capitularibus registrata. Videatur Bulla Innocentii XII. in fine Tomi hujus.

Quæst. 5. Licet-ne accipere certam eleemosynam pro Missa celebranda, & parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, alteri celebrandam committere?

Resp. Certum est, in proposito casu esse mortale peccatum. Quod probatur 1. ex Bulla Urbani VIII. in qua sic legitur (*Bulla* 23. *quæ incipit*, *Sæpe contingat*):
„ Prohibetur etiam Sacerdoti, qui Missam suscipit cele-
„ brandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam
„ alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, cele-
„ brandam committat: ita ut administratores Ecclesiæ
„ ex eleemosynis Missarum celebrandarum nullam ut-
„ cumque minimam portionem retinere possint, ratione
„ expensarum quas subeunt in Missarum celebratione,
„ pro paramentis, luminibus, vino, Hostia, & simili-
„ bus; nisi cum Ecclesia & loca ipsa alios non habent
„ reditus, quos in usum earumdem expensarum erogare
„ licite possint. Et nunc eam portionem quam retine-
„ bunt, nullatenus debere excedere valorem expensa-

„ rum,

„ rum, quæ pro ipsomet tantum Missæ Sacrificio neces-
„ sario sunt subeundæ. Et nihilominus eo etiam casu
„ curandum est, ut tot Missæ celebrentur, quot præ-
„ scriptæ fuerunt ab offerentibus eleemosynam ".

Probatur 2. ex summo Pontifice Alexandro VII. damnante sequentem propositionem (*Propos. 9. damnata*): „ Post Decretum Urbani, potest Sacerdos, cui „ Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, „ collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi „ retenta ". Videatur Bulla Innocentii XII. in fine hujus Tomi.

Quæst. 6. Quando Episcopus præscripsit eleemosynam pro Missarum retributione, Sacerdos tenetur ne totidem celebrare Missas, quot celebrandas suscepit, si accepit minorem eleemosynam, quam præscripta fuerit ab Ordinario?

Resp. Tenetur, ut patet 1. ex dicta Bulla 43. Urbani VIII. in qua sic legitur: „ Præcipitur Sacerdotibus, ubi „ pro pluribus Missis, plura stipendia quantumcumque „ incongrua & exigua collata fuerint, tot Missæ cele- „ brentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præ- „ scriptæ fuerint: etiamsi Ordinarius præscripserit elee- „ mosynam congruam juxta qualitatem loci, persona- „ rum, ac temporum; ita ut alioquin ii, ad quos per- „ tinet, suæ obligationi non satisfaciant, quinimo gra- „ viter peccent, & ad restitutionem teneantur ".

Probatur 2. authoritate summi Pontificis Alexandri VII. qui damnavit hanc propositionem (*Pr. 10. damnata*): *Non est contra justitiam, pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre.*

Ratio est, quia cum quis aliquid dat cum conditione aliquid faciendi, injustitia est acceptare eleemosynam, si acceptans nolit implere conditionem, cum constet, id, quod tantummodo datum est sub conditione, non posse ad donatarium pertinere, nisi velit satisfacere conditioni positæ.

Quæst. 7. Licet-ne iis, quibus impositum est onus Missarum celebrationis, cum nullus occurrit, qui det eleemosynas, curare, ut anticipate celebrentur pro iis, qui postea erogabunt eleemosynas pro Missarum celebratione?

Resp. Ut ait Bartholomæus Gavantus in Manuali Episcoporum verbo *Missa* num. 33. *Anticipata celebratio pro incerto eleemosynam oblaturo, est prohibita a Paulo V. & Congregatione Concilii* 15. *Novembris* 1605.

Ratio est, quia fit directe contra intentionem erogantium eleemosynam pro celebratione Missarum, qui ut plurimum volunt offerri Sacrificium, ut ipsis impetretur auxilium aliquod a Deo pro urgenti aliqua necessitate?

Quæst. 8. Sacrificium pro pluribus oblatum, prodest-ne tantumdem singulis, ac si pro uno tantum oblatum fuerit?

Resp. Respondet Divus Thomas negative (*in 4. dist. 45. q. 2. art. 4. arg. sed contra*): „ Sed contra, *ait*, „ me-

„ melius est, plures particulares juvare, quam unum; „ si ergo suffragium pro multis factum, tantum valeret „ singulis, ac si pro uno tantum fieret, videtur quod „ Ecclesia non debuit instituisse, ut pro aliquo singula- „ riter Missa vel oratio fieret: sed quod semper dicere- „ tur pro omnibus Fidelibus defunctis; quod patet esse „ falsum “.

Et Divus Thomas ibidem in responsione ad 3. q. 2. ait: „ Dicendum, quod quamvis virtus Christi, quæ „ continetur super Sacramento Eucharistiæ, sit infinita; „ tamen determinatus est effectus, ad quem illud Sa- „ cramentum ordinatur “. Quare distributum inter plures, singulis prodest minus, quam si pro uno offerretur.

Quæst. 9. Sacrificium prodest-ne iis solum, pro quibus offertur?

Resp. Sanctus Thomas loco citato in responsione ad 1. quæst. huic quæstioni solidissime respondet: „ Valor, „ *inquit*, suffragiorum potest pensari ex duobus. Valent „ enim non modo ex virtute charitatis, quæ facit o- „ mnia bona communia; & secundum hoc verum est, „ quod magis valent ei, qui magis charitate est plenus, „ quamvis pro eo specialiter non fiant. Alio modo suf- „ fragia valent ex hoc, quod per intentionem unius al- „ teri applicantur: & sic satisfactio unius alteri compu- „ tatur; & hoc modo, non est dubium, quod magis „ valent ei, pro quo fiunt; imo sic ei soli valent; sa- „ tisfactio enim proprie ad pœnæ dimissionem ordina- „ tur: unde quantum ad dimissionem pœnæ, præcipue „ valet suffragium ei, pro quo fit “.

Et ibidem in responsione ad 3. quæst. ad 2. „ Credi- „ bile tamen, quod per divinam misericordiam, si ali- „ quid de spiritualibus suffragiis supersit iis, pro quibus „ fiunt, ut scilicet eis non indigeant, aliis dispensetur „ pro quibus non fiunt, si iis indigeant: ut patet per „ Damasum in sermone de Dormientibus, sic dicentem: „ Deus tamquam justus commetietur in potenti possibili- „ tatem: tamquam suscipiens defectuum commutatio- „ nem, negotiabit: quæ quidem negotiatio attenditur, „ quod id, quod deest uni, alter supplet “.

Quæst. 10. Quomodo Sacerdos debet suam dirigere intentionem, antequam celebret?

Resp. Id egregie explicat sanctus Carolus (*Act. p.* 4. *Instruzione alli Sacerdoti*), his præcisis verbis vulgari lingua Italica expressis: * „ Quando Sacerdos exa- „ minat

---

* Nel discutere ed esaminare la sua intenzione, deve il Sacerdote esser diligente in avvertire, massime se egli celebra per obbligo di qualche Cappella o Beneficio in qualsivoglia modo, che non si mova per rispetto umano, o di avarizia, o di vanagloria: ovvero lo faccia per una

„ minat suam intentionem, maxime dum celebrat propter obligationem ortam ex Cappellania, seu alio Beneficio, debet diligenter advertere, ne id agat ex aliquo motivo humano avaritiæ, aut vanæ gloriæ, aut ex aliquo timore, vel pudore, aut consuetudine ductus potius, quam motivo spirituali. Sed potius attendere convenit, antequam celebret, ut suam intentionem recte dirigat, ita ut velit unire suam voluntatem intentioni Jesu-Christi & Ecclesiæ, cujus est Minister, & ita consecrare & offerre verum Corpus & sanguinem Domini, ad gloriam & honorem sanctissimæ Trinitatis, utilitatem sanctæ Ecclesiæ, & auxilium omnibus Fidelibus procurandum. Deinde sigillatim applicet suam intentionem, & oret pro his quibus tenetur, vel propter eleemosynam acceptam, vel propter Beneficium, aut certe quia illorum animæ sibi commissæ sunt; & eodem tempore applicet etiam pro necessitatibus Ecclesiæ, pro hæresum extirpatione, & conversione infidelium: pro suis Superioribus, pro Dominis & Magistratibus temporalibus, pro parentibus, benefactoribus, amicis, inimicis: pro illis qui in peccato mortali vivunt, pro afflictis, & generaliter pro omnibus Fidelibus defunctis".

CAPUT VI.

De iis pro quibus offerri potest Missæ Sacrificium.

Quæst. I. Potest-ne Missæ Sacrificium offerri pro defunctis?

Resp.

---

una certa vergogna o timore riprensibile, o per una certa usanza, o senza spirito: ma procuri prima di celebrare di riferire la sua intenzione, pretendendo di voler fare quello che Cristo Gesù Signor nostro con la santa Chiesa, de' quali è Ministro, intendere vuole che egli faccia, cioè di consecrare ed offerire il vero Corpo e sangue di nostro Signore a gloria ed onore della santissima Trinità, benefizio di santa Chiesa, ed ajuto di tutti i fedeli; ed in particolare poi applichi la sua intenzione a pregare poi per quelli per i quali è obbligato, o per limosina ricevuta, o per obbligo di Cappella, ovvero per aver cura delle anime loro: e giustamente le applichi per i bisogni di santa Chiesa, per la estirpazione delle eresie, e conversione degli infedeli, per i suoi superiori, per li Signori temporali e quelli che governano: per i parenti, benefattori, amici, inimici, per quelli che sono in peccato mortale, per i tribulati, e finalmente per tutti i fedeli defonti.

Resp. De fide est, Missæ Sacrificium pro defunctis offerri posse: etenim vivorum suffragia illis prodesse possunt, cum in statu gratiæ decedentibus, superest aliqua pœna eorum peccatis debita, expianda in Purgatorio. Probatur primo ex eo, quod dicitur lib. 2. Machabæorum, c. 12. *Sancta & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Hinc colligit Divus Thomas in 4. dist. 45. q. 2. art. 2. has preces futuras esse inutiles, nisi defuncti possint adjuvari vivorum suffragiis. Ideoque Concilium Tridentinum sess. 22. de Sacrificio Missæ, c. 2. hic: *Quare non solum pro Fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite, juxta Apostolorum traditionem, offertur.*

Apostolicam autem hanc traditionem facile erit ad suum fontem revocare. Tertullianus de hac re loquitur variis in locis, præcipue de corona Militis c. 3. *Oblationes pro defunctis annua die facimus.* Et lib. de Exhortatione castitatis c. 11. loquens ad maritum de uxore mortua, ait: *Pro cujus spiritu postulas, pro qua oblationes annuas reddis per Sacerdotem.*

Et S. Cyprianus Ep. 66. ad Furnitanos; „ Episcopi, „ *inquit*, antecessores nostri censuerunt, ne quis Frater „ excedens ad tutelam vel curam Clericorum nominaret; „ ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec Sa„ crificium pro dormitione ejus celebraretur; neque enim „ apud Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, „ qui ab Altari Sacerdotes & Ministros avocare voluit ".

Et S. Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus Catechesi 5. Mystagogica, qui vivebat in 4. sæculo loquens de Sacrificio Missæ, ait: „ Rogamus te, inquam, nos omnes, „ & hoc Sacrificium tibi offerimus, ut meminerimus et„ iam eorum, qui ante nos obdormierunt, primum Pa„ triarcharum, Prophetarum, Apostolorum, ut Deus o„ rationibus illorum & deprecationibus suscipiat preces „ nostras. Deinde pro defunctis sanctis Patribus & Epi„ scopis. Denique pro omnibus oramus, qui inter nos „ vita functi sunt; maximum esse credentes animarum „ juvamen, pro quibus offertur precatio sancti illius, „ & tremendi, quod in Altari positum est, Sacrificii ".

Et ab hac traditione accepit Ecclesia hanc in Missa Liturgiam: „ Offerimus hoc Sacrificium pro omnibus Or„ thodoxis, atque Catholicæ & Apostolicæ fidei cultori„ bus, &c. Et pro omnibus in Christo quiescentibus, qui „ nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in so„ mno pacis ".

Et Divus Augustinus (*lib. De Cura pro mortuis, c. 1.*): „ Non parva est, *inquit*, universæ Ecclesiæ, quæ in hac „ consuetudine claret, authoritas, ut in precibus Sacer„ dotis, quæ Domino Deo ad ejus Altare funduntur, „ locum suum etiam habeat commendatio mortuorum ".

„ Quæ quidem consuetudo, *ait S. Thomas* (in 4. dist.

„ 47.

„ 47. q. 2. art. 1.), ab ipsis Apostolis inchoavit, ut di-
„ cit Damasus in quodam sermone de suffragiis mortuo-
„ rum, sic dicens; Mysteriorum conscii Discipuli Salva-
„ toris, & sacri Apostoli, in tremendis, & vivificis My-
„ steriis memoriam fieri eorum, qui fideliter dormierunt,
„ sanxerunt ".

Et idem Divus Augustinus in alio loco ait (*ser.* 31. *de verbis Apost. c.* 2.): „ Hoc enim a Patribus traditum
„ universa observat Ecclesia, ut pro eis, qui in corporis
„ & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad
„ ipsum Sacrificium loco suo commemorantur, oretur,
„ ac pro eis quoque id offerri commemoretur ".

„ Non temere, *ait S. Chrysostomus* (hom. 69. ad po-
„ pul. Antioch.), ab Apostolis hæc sancita fuerunt, ut
„ in tremendis Mysteriis defunctorum agatur commemo-
„ ratio. Sciunt enim, illis inde multum contingere lu-
„ crum, utilitatem multam. Cum enim totus constiterit
„ populus, extensis manibus, Sacerdotalis plenitudo, &
„ tremendum proponatur Sacrificium, quomodo Deum
„ non exorabimus, pro his deprecantes "?

„ Sacrificium, *ait S. Isidorus* (de Off. Eccl. c. 18.),
„ pro defunctorum Fidelium requie offerri, vel pro eis
„ orari, quia per totum hoc orbem custoditur, credimus,
„ quod ab ipsis Apostolis traditum est ".

Quæst. 2. Potest-ne Missæ Sacrificium pro iis offerri, qui absque Baptismo decesserunt?

Resp. Non potest, neque etiam pro iis, qui in hæresi mortui sunt, cum nullum possint a Sacrificio fructum percipere. „ Noli credere, *ait S. Augustinus* (l. 3. de O-
„ rigin. anim. c. 12.), nec docere, nec dicere, Sacrifi-
„ cium Christianorum pro his, qui non baptizati de cor-
„ pore exierunt, offerendum, si vis esse Catholicus ".

Quæst. 3. Potest-ne Missæ Sacrificium offerri pro peccatoribus, pro hæreticis, pro schismaticis, & infidelibus?

Resp. Responderi potest cum S. Thoma, posse offerri Sacrificium pro iis, qui actu sunt, vel possunt esse membra Ecclesiæ, cujusmodi sunt omnes in quæsito relati, nisi id expresse ab Ecclesia prohibeatur (*in* 4. *dist.* 12. *q.* 1. *art.* 2. *q.* 2. *ad* 4.): „ Eucharistia, *inquit*, in quan-
„ tum est Sacrificium, habet effectum etiam in aliis, pro
„ quibus offertur; in quibus non præexigit vitam spiritua-
„ lem in actu, sed in potentia tantum; & ideo si eos
„ dispositos inveniat, eis gratiam obtinet virtute illius
„ veri Sacrificii, a quo omnis gratia in nos influit, &
„ per consequens peccata mortalia in eis delet, non sicut
„ causa proxima, sed in quantum gratiam contritionis eis
„ impetrat; & quod in contrarium dicitur ex Divo Au-
„ gustino: *Quis offerat Corpus Christi, nisi pro his, qui*
„ *sunt membra Christi?* intelligendum est pro membris
„ Christi offerri, quando offertur pro aliquibus, ut sint
„ membra Christi ".

Quæst. 4. Potest-ne offerri Sacrificium pro nominatim ex-

excommunicatis, ac proinde non toleratis inter Fideles?

Resp. Numquam pro iis offerri potest Sacrificium; neque pro notoriis Clericorum percussoribus, donec obtinuerint absolutionem excommunicationis, in quam inciderunt, ut patet ex cap. *A nobis*, De sententia excommunicationis, ubi id expresse prohibetur his verbis: *Non communicetur mortuo, cui non est communicatum & vivo*. Idem decreverat S. Leo Papa in Can. his verbis (*Can. De Communicantibus*, 24. *q.* 2.): *Nos autem quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus*. Licitum tamen est, secundum doctrinam Divi Thomæ supra relatam, rogare Deum pro illis, ut illos ad pœnitentiam reducat per veram contritionem.

CAPUT VII.

De Tempore, & loco, aliisque necessariis ad Missæ Sacrificium.

Quæst. I. QUanam hora potest Missa celebrari?

Resp. Juxta sacros Canones (*Conc. Prov.* I. *tit. Quæ pertinent ad celebr.*); *Missæ nec ante auroram, nec post meridiem, nisi ex causa jure permissa celebrentur*, ut ait S. Carolus, nisi die Nativitatis Domini, quia hac nocte annunciatus fuit Pastoribus ab Angelo adventus ejusdem Jesu-Christi Domini nostri, ut habetur in Can. *Nocte sancta*, De consecr. dist. 1.

Et expresse legitur in Rubrica Missalis 15. *Missa privata*, *saltem post Matutinum & Laudes*, *quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest*.

Hoc autem explicat D. Thomas, dum ait: „ Dicendum, „ quod communiter loquendo Missa debet dici in die, & „ non in nocte; quia hoc Sacramentum ad tempus gra- „ tiæ pertinet, quod per diem significatur, Rom. 13. „ *Nox præcessit*, *dies autem appropinquavit*. Dies autem „ judicatur non solum ab ortu solis, sed ex quo inci- „ piunt ortus solis signa manifestari per aliquam aeris il- „ lustrationem “.

Ratio convenientiæ hujus sanctæ consuetudinis habetur in Bulla 22. Pauli III. quæ incipit, *In eminenti*, in qua sic legitur: „ Quodque indulto celebrandi seu cele- „ brare faciendi ante diem, parce utantur. Quia cum „ Altaris Ministerio immoletur Dominus noster Jesus- „ Christus Dei Filius, qui candor est lucis æternæ, con- „ gruit hoc in noctis tenebris non fieri, sed in luce “.

Quæst. 2. Est-ne peccatum celebrare Missam, non recitato prius Matutino cum Laudibus?

Resp. Cum in Rubricis Missalis expresse præcipiatur tribus in locis, ut Missa saltem post Matutinum & Laudes dicatur, idque conforme sit consuetudini semper in Ecclesia observatæ, videtur esse peccatum, eam transgredi

gredi absque rationabili causa; imo ex Divo Antonino (*p. 3. tit. 23. c. 6. §. 4.*): „ Missa non debet dici ab eo „ qui non dixit Matutinum, licet possit audiri: alias „ dicendo, esset mortale, quia contra consuetudinem „ generalem Ecclesiæ ".

Quæst. 3. Missa potest-ne celebrari extra Ecclesiam, vel Oratorium ad cultum Dei dedicatum?

Resp. Ut ait Felix Papa relatus in Canone (*Can. Consecrationem, de Consec. dist.* 1.): „ Consecrationem Ecclesiarum, & Missarum celebrationem non alibi, quam „ in sacratis Domino locis, absque magna necessitate, „ fieri debere, liquet omnibus, quibus sunt nota veteris „ & novi Testamenti præcepta ".

Et Concilium Tridentinum (*Conc. Trid. sess.* 22. *decreto de observandis & evitandis in celebr. Missæ*,) monet Episcopos: „ Neve patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad Divinum tantum „ cultum dicata Oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda & visitanda, sanctum hoc Sacrificium a sæcularibus „ aut regularibus quibuscumque peragi "

„ Nullus Sacerdos, *inquit Concilium Mediolanense* I. „ quemadmodum a Tridentina Synodo statutum est, in „ privatis ædibus, & omnino extra Ecclesiam, & Oratoria, quæ divino tantum cultui dicata, & a locorum „ Episcopis designata, ac visitata sint, Missam celebret ".

Quæst. 4. In quanam Ecclesiæ parte esse deberent, seu adstare Laici, dum Missa celebratur?

Resp. Sacri Canones determinaverant locum, in quo adstare deberent Laici, dum Missa celebratur; optandum esset, ut Episcopi cogerent Laicos illorum Decreta observare. Synodus Romæ habita sub Eugenio II. & Leone IV. relata in Canone (*Can. sacerdotum, de consecr. dist.* 2.), ait; „ Sacerdotum, aliorumque Clericorum Ecclesiis servientium honores a Laicorum discrete „ apparere convenit. Quamobrem nulli Laicorum liceat „ in eo loco, ubi Sacerdotes reliquive Clerici consistunt, „ quod Presbyterium nuncupatur, quando Missa celebratur, consistere, ut libere ac honorifice possint sacra „ Officia exercere ".

Et Concilium Turonense relatum in Canone ait (*Cap.* 1. *De vita & honest. Cler.*): „ Laici secus Altare, quo „ sancta Mysteria celebrantur, inter Clericos, tam ad „ Vigilias, quam ad Missas stare penitus non præsumant; sed pars illa quæ a cancellis versus Altare dividitur, Choris tantum psallentium pateat Clericorum ".

In Concilio denique recentiori Beneventano sic statuitur (*anno* 1593. *tit.* 17. *c.* 24.): „ Laici, quando sacra „ Mysteria celebrantur, stare, vel sedere inter Clericos „ non præsumant, ut Concilii Moguntini Constitutione „ sancitum; sed pars illa, quæ cancellis ab altari dividitur (& ubi non est divisa, omnino discriminetur) „ tantum psallentibus pateat Clericis: ut quamplurimis

„ san-

„ sanctæ Sedis decretis, cujusvis conditionis laicis hominibus, etiam in sublimitate constitutis, inhibitum est; quam inhibitionem sancta Synodus præcipit adamussim servari".

Quæst. 5. Licet-ne aliquando Missam celebrare extra loca Deo dicata?

Resp. Felix Papa, relatus in Canone (*Can. Sicut de consecr. dist.* 2.), huic quæstioni clare sic respondet: „ Sicut non alii quam sacrati Domino Sacerdotes debent Missas cantare, nec Sacrificia super Altare offerre, sic nec in aliis quam Domino sacratis locis, id est, in tabernaculis, divinis precibus a Pontificibus dedicatis, Missas cantare, aut Sacrificia offerre licet, nisi summa coegerit necessitas. Satius ergo est Missam non cantare, aut non audire, quam in illis locis ubi fieri non oportet, nisi pro summa contingat necessitate; quoniam necessitas legem non habet. Unde scriptum est: *Vide, ne offeras Holocausta tua in omni loco quem videris, sed in omni loco quem elegerit Dominus tuus*".

Quæst. 6. In quibusnam casibus licet celebrare in locis Deo non consecratis?

Resp. Illi casus referuntur in Canone (*Can. Concedimus etiam, de cons. dist.* 1.), in quo sic legitur: „ Concedimus etiam, ut si Ecclesiæ fuerint incensæ & combustæ, in Cappellis cum tabula consecrata Missas interim celebrari permittimus, donec Ecclesiæ ipsæ restaurari queant: in itinere vero positis, si Ecclesia defuerit, sub diu, seu in tentoriis, si tabula Altaris consecrata, cæteraque Ministeria ad id officium pertinentia ibi adfuerint, Missarum solemnia celebrari concedimus, aliter omnino interdicimus".

Quæst. 7. Quisnam potest concedere, ut celebretur Missa in Cappellis domesticis?

Resp. Certum est, Episcopos id posse concedere, ut patet ex Canone (*Can. Missarum de Consecr. dist.* 1.), in quo sic legitur: *Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebranda esse censemus. Non tamen*, ut ait Div. Thomas (3. *p. q.* 13. *art.* 3. *ad* 2.), *sine Altari portatili per Episcopum consecrato*, & omnibus aliis ad Sacrificium necessariis.

Statuit autem S. Carolus, in Concilio Mediolanensi I. (*Tit. Quæ pertinent ad celebr. Missar.*): *Oratoriorum autem ædificationem, aut usum, ne facile, sed magna de causa permittant iidem Episcopi*.

Quæst. 8. Quid observari debet ab Episcopis, priusquam facultatem concedant Missam celebrandi in Cappellis domesticis?

Resp. Ex Divo Carolo ibidem: „ In eis autem designandis, vel probandis hæc servent: ne sint in interiorum ædium partibus, in quibus domini, vel familia frequentius versetur; sed commodo, & honesto loco,

„ a cu-

„ a cubiculis, triclinis, & ab aula separato, ad templi „ formam, & regulam propius accedant: nec ita angu- „ sta sint, ut qui Missam audierint, ad ostium, vel „ fenestram stare cogantur; aut denique ibi sacris inter- „ esse, ubi promiscue profanum aliquod exerceatur: quod „ fieri omnino prohibemus. Cum autem id permissum „ fuerit, is eo rarius utatur: ne distracti homines illa „ commoditate, Ecclesiam Dei minus frequentent, quod „ exemplo etiam noceat aliis “.

Quæst. 9. Cujusnam magnitudinis, & quales esse debent lapides consecrati?

Resp. Ex Rubricis Missalis, de præparatione Altaris, & Ornamentorum ejus, debent esse sufficientis magnitudinis, ut in iis pes Calicis, & Hostia consecranda possit collocari.

S. Carolus ait (*Acta Mediol. lib.* 1. *tit. de Lap. de Altarium portat.*): *Quod Lapis longe uncias* 20. *late sexdecim pateat, præter capsæ dimensionem, cui insertus est.*

Quare S. Antoninus ait (*l.* 3. *tit.* 13. §. 4.): „ Debet „ cavere, qui celebrat, quod sit tanta latitudo, & lon- „ gitudo lapidis in capsula, quod in ea possit capi pes „ Calicis, & Hostia consecranda: vel quod in conficien- „ do cum manibus Panem, vel Calicem super lapidem „ teneat, ut sic super lapidem conficiat; uti præscribi- „ tur in Rubricis Missalis “.

Quæst. 10. Quid requiritur ad hoc, ut lapis consecratus censeatur amittere consecrationem?

Resp. Si Altare motum fuerit, aut lapis ille solummodo supra positus, qui sigillum continet, confractus, aut etiam diminutus, debet denuo consecrari; ut habetur in Can. *Ad hæc*, de consecr. Ecclesiæ. Sicut etiam, si lapis ita diminutus esset, ut non posset commode supra illum consecrari.

Quæst. 11. Quandonam Altare fixum censetur amisisse consecrationem?

Resp. Altare, in quo tabula cui consecrationis benedictio Pontificali Ministerio adhibetur, sit mota, vel enormiter fracta fuerit, debet non immerito consecrari; ut dicitur in Canone: *Quod in dubiis*. Ibidem. Amittit etiam consecrationem, quando mutatur ab uno loco in alium: sicut dicitur in Canone, (*Canone, Si motum, de consecrat. dist.* 1.); *Si motum fuerit Altare, denuo consecretur.*

Quod tamen intelligi debet eo modo, quo explicat Sanctus Carolus, dum ait (*Acta Med. p.* 4. *l.* 1. *t. De Lapide Altarium portatilium*): „ Cum vero Altare „ consecratum transferri contigerit; quod ut ne iterum „ consecrari opus sit, ea transferendi ratio adhiberi pote- „ rit, ut primo illud totum asseribus, tabulisque ligneis „ recte, apteque conclusum, e loco ita moveatur accura- „ te, ut stipes a solo Ecclesiæ convulsus, ne minimum „ quidem ab Altaris mensa disjungatur; sed totus affixus „ ei inhæreat, ne consecratio violetur “.

Quæst.

Quæst. 12. Quot modis Ecclesia potest profanari, ita ut egeat reconciliari?

Resp. Quatuor in casibus profanatur Ecclesia, & indiget reconciliari, ut in ea possint divina celebrari Mysteria. Primus casus est, cum in Ecclesia commissum est aliquod homicidium, aut multum sanguinis effusum, ut habetur in Canone (*Can. Proposuisti, de consecr. Ecclesiæ*): *Respondemus*, inquit summus Pontifex, *quod manente Ecclesia, & Altari, ipsa reconciliari poterit per aquam cum vino, & cinere benedictam, quando homicidia contingunt, vel vulnera inferuntur.* Ut autem habetur ibidem Canone *Aqua*; *Aqua per Episcopum benedicta Ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum, non negamus: per Sacerdotes simplices hoc fieri prohibentes.*

Attamen ut notavit Sanctus Antoninus (3. *p. tit.* 12. *c.* 6. §. 4.): „ Ecclesia non violatur ex levi effusione „ sanguinis: ut si sanguis casu de naribus emittatur, & „ si quis ungues aliquantulum excoriet, & sanguinem „ emittat. Quod si ex lapide cadente ex ædificio Ecclesiæ aliquis moriatur, vel ex fatuitate furiæ quis se „ occidat, non est necessaria reconciliatio; quia non est „ per contentionem, vel malam voluntatem facta. Item „ si ex vulnere extra Ecclesiam accepto, in Ecclesiam „ fugiens moriatur, non violatur Ecclesia, quia non accepit ibi causam mortis. Secus si in Ecclesia vulneretur, & extra moriatur, quia tunc violatur.

„ Secundus casus violationis est propter adulterium, „ & qualemcumque seminis emissionem voluntarie procuratam, sive cum aliis, sive per se solum. *Extra de adulter. cap.* Significasti, *de Consecrat. dist.* 1. *Can.* Ecclesiis. Etiam per actum conjugalem, ut si vir cognoscat uxorem in Ecclesia: Ex pollutione autem, „ quæ accidit in somnis, non polluitur, vel violatur. „ Sed nota, quando vitia hæc in Ecclesia commissa sunt „ occulta, ut dicit Guillelmus, & Hostiensis in Summ. „ non indiget reconciliatione.

„ Tertius casus est, si excommunicatus est ibi sepultus, *de Consecrat. dist.* 1. *Can.* Ecclesiam, *Et extrav. eodem cap.* Consuluisti.

„ Quartus casus est, si Ecclesia ab Episcopo publice „ excommunicato consecrata fuerit. Nam, ut dicit Hostiensis, si corpus defuncti Ecclesiam polluit, multo „ magis cum consecrationis officium peragitur per eorum „ os, & manus, qui excommunicationi subjacent.

Quæst. 13. Quot nam in casibus debet Ecclesia iterum consecrari?

Resp. Ex Divo Antonino (3. *p. tit.* 12. *c.* 6. §. 8.); „ Tres sunt casus, in quibus Ecclesia consecrata debet „ iterum consecrari. Primus est, si Ecclesia combusta „ fuerit, ita quod parietes sint combusti, vel diruti, „ vel notabiliter decrustati, in toto, vel in majori „ parte, *de consecr. dist.* 1. *Can.* Ecclesiis. Secus si to-

„ tum

„ tum tectum solum combustum fuerit, *ut in cap. Li-*
„ *gneis, de consec. Ecclesiæ.*
„ Secundus est, si tota Ecclesia, vel major pars de-
„ structa, vel diruta est, secus est, si solum tectum de-
„ structum fuerit, vel disruptum. Si vero parietes suc-
„ cessive fuerint reparati, eadem Ecclesia intelligitur:
„ & ideo sufficit, si tantum reconcilietur cum aqua exor-
„ cizata, & cum solemnitate Missæ. Secus, si primo
„ tota destructa, etiamsi eisdem lapidibus reparata; con-
„ secranda est enim. *Can.* de Fabrica, *de cons. dist.* 1.
„ Tertius casus est, quando dubitatur, utrum fuerit
„ consecrata, nec apparet aliqua probatio. *Can.* Sole-
„ mnitates, *de cons. dist.* 1.

Quæst. 14. Quis-nam potest reconciliare Ecclesiam, quæ non fuerat consecrata, sed solum benedicta, cum contingit eam profanari?

Resp. Simplex Sacerdos potest eam reconciliare, ut ait Gregorius IX. (*Can. Si Ecclesiæ, de cons. Eccles. vel Altaris.*) „ Si Ecclesia, *inquit*, non consecrata,
„ cujuscumque fuerit seminis, aut sanguinis effusione
„ polluta, aqua protinus exorcizata lavetur, ne divinæ
„ laudis organa suspendantur: est tamen, quam citius
„ fieri poterit, consecranda ".

Glossa ibidem verbo, „ Lavetur, *ait*: Sed per quem
„ debet lavari? Credo, quod per simplicem Sacerdotem
„ possit lavari; quia si intellexisset Papa, quod per E-
„ piscopum deberet lavari, illud dixisset, sicut dixit in
„ proximo capite præcedenti, cum in utroque capite
„ scribat eidem, & quia dixit, aqua exorcizata lavetur,
„ quæ fit per simplicem Sacerdotem, & non cum aqua
„ benedicta cum vino, & cinere; cum qua reconcilia-
„ tur Ecclesia consecrata ".

Quæst. 15. Ex quanam materia debent esse Calices?

Resp. Ut habetur in Rubricis Missalis (*De Præpar. Sacerdotis celebraturi*): *Calix debet esse vel aureus, vel argenteus: aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam, simul cum patena itidem inaurata, ab Episcopo consecratus.*

Quæst. 6. Quando-nam Calix amittit consecrationem?

Resp. Juxta Sanctum Antoninum (3. *p. tit.* 13. *c.* 6. §. 5.): *Si scyphus Calicis a pede ex toto separatus est, licet fractus non sit, ut puta quia junctura tornatilis consecratione indiget. Hæc Petrus de Palude. Idem secundum Archidiaconum, si Calix argenteus consecratus, deauratur postea, quia aliam superficiem habet, & consecratio fit in superficie, indiget consecratione.* Idem dici potest de Calice consecrato, cum pes separatur a cuppa.

Fortassis, dum adest antiqua consuetudo utendi his Calicibus tornatilibus, quorum pes a cuppa separatur, ut passim fit a Missionariis in India, in Anglia, & alibi; dici potest, ob talem consuetudinem a Superioribus

Ecclesiasticis cognitam, & non improbatam, hanc consecrationem non esse denuo faciendam, licet quotidie hæc separatio fiat; maxime quia nulla adest lex positiva, expresse contraria huic usui.

Quæst. 17. Ornamenta, quibus utimur ad Missam celebrandam, debent-ne necessario esse benedicta?

Resp. Ex Sancto Antonino ibidem: „ Specialiter ista „ sex requiruntur ad celebrandam Missam; scilicet Stola, „ Manipulum, Alba, Amictus, Cingulum, Casula, id- „ est, Planeta: ista enim benedicuntur, & sacrantur. „ Unde videntur esse de necessitate præcepti: non sic de „ camisia, quæ non benedicitur. Videtur, quod de longo „ Manipulo liceat facere stolam, & e converso de brevi „ stola Manipulum, vel Cingulum, quia omnia hæc una „ benedictione consecrantur".

Quæst. 18. Quando nam ornamenta, quibus utuntur Sacerdotes in Altari, amittunt benedictionem?

Resp. Ut ait Sanctus Antoninus ibidem: „ Cum Ca- „ sula est duplicata, cum possit esse simpla, super quam- „ libet partem fit benedictio; unde in celebrando verti „ potest ex utraque parte, & si una pars amoveatur ab „ alia, remanet benedicta, & potest in ea celebrari. Et „ similiter de dupla stola. Item quando vestimenta re- „ parantur propter paupertatem, & videtur distinguen- „ dum: quia aut tanta pars amota fuit, quod sine illa „ non diceretur, vel celebraretur, ut tota manica, vel „ pars superior; & tunc debet esse benedicta. Si au- „ tem modica particula, cujus defectus nec benedictionem „ impediret, nec celebrationem, tunc licet celebrare". Sic restaurari potest Cingulum, antequam omnino fractum sit, nec amisit benedictionem; quam tamen amisisset, si restauraretur post scissionem, quia eo amplius uti non poterant.

Utile erit hic advertere, quod licet ornamenta non amiserint benedictionem; nihilominus aliquando ita vilia & sordida sunt, ut non possint in tremendo Mysterio adhiberi sine magna indecentia: videtur, quod Sacerdotes, quibus similia ornamenta porriguntur, deberent in spiritu lenitatis, ut ait Apostolus, repræsentare Sacristis, aut aliis, quibus cura commissa est, ut huic malo remedium afferrent.

Quod amare deplorat Cardinalis Bellarminus his verbis (*l.* 2. *de gemitu Columbæ c.* 5.): „ Alicubi vasa sa- „ cra, & vestes, quibus Mysteria celebrantur, vilia & „ sordida inveniuntur, indigna prorsus quæ ad tremenda „ Mysteria adhibeantur. At forte, qui hæc adhibent, „ pauperes sunt? Id quidem fieri potest: sed si pretiosa „ non possunt, saltem munda & nitida procurent. Fon- „ tibus lacrymarum prosequendi sunt, qui exteriori tur- „ pitudine, & sordibus, animi sui impietatem, sordes- „ que testantur".

Quæst. 19. Ornamenta Ecclesiæ cum amplius ob vetu-
sta-

statem, aut alias inservire nequeunt converti-ne possunt in usus profanos?

Resp. Constat ex Canone (*Can. Altaris, de consecr. dist.* 1.), quod non licet: „ Altaris pallia (*id est, ut* „ *ait Glossa, vestimenta Altaris*) si fuerint vetustate „ consumpta, incendio dentur, quia non licet ea, quæ „ in sacrario fuerint, male tractari: sed incendio uni- „ versa tradantur. Cineres quoque eorum in Baptisterium „ inferantur, aut in pariete, aut in fossis pavimentorum „ jactentur, ne introeuntium pedibus inquinentur.

Quæst. 20. Potest-ne una eademque die duplex Missa celebrari?

Resp. Non licet, juxta Decretum Alexandri II. relatum in Canone (*Can. Sufficit, de cons. dist.* 1.), qui ait: „ Sufficit, Sacerdoti unam Missam in die una cele- „ brare, quia Christus semel passus est, & totum mun- „ dum redemit. Non modica res est unam Missam facere: „ & valde felix est, qui unam digne celebrare potest ".

Et summus Pontifex Honorius III. relatus in Canone (*Cap. Te referente, de cel. Miss.*), ait: „ Cum cuili- „ bet Sacerdoti, quacumque dignitate præfulgeat, unam „ in die celebrare Missam sufficiat, num & valde felix „ est, qui celebrat digne unam ".

Ecclesia tamen ab hac regula generali excepit diem Nativitatis Domini, in quo die licitum est Sacerdoti ter Missam celebrare, ut præscribitur in Jure Canonico, in quo sic habetur (*Cap. Consuluisti, de celeb. Missæ*): „ Respondemus: quod excepto die Nativitatis Domini- „ cæ, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti „ semel in die unam Missam solummodo celebrare ".

Et Sanctus Carolus in Concilio Mediolanensi V. (*tit. Quæ ad divina officia pertinent*), id expresse & absolute prohibet his verbis: „ Gravia pericula, offensiones, „ atque adeo sæpe injurias sanctissimo Missæ Sacrificio „ fieri compertum est, quod quidam Sacerdotes non semel „ tantum, sed pluries in die illud offerant: quod ne im- „ posterum fiat, præter quam salutari illo die Dominicæ „ Nativitatis, quo unusquisque Sacerdos non sine magna „ Mysteriorum significatione ter celebrare debet, Decre- „ ti hujus authoritate vetitum sit, ne ob ullam necessa- „ riam causam, neque etiam ob Parochialis alteriusve „ Ecclesiæ egestatem, neque ob Sacerdotum penuriam, „ nec vero ob locorum distantiam, Episcopus cuiquam „ Sacerdoti pluries in die divinum illud Missæ Sacrifi- „ cium offerendi facultatem det aut permittat ".

Et in Can. *Sufficit*, de cons. dist. 1. sic habetur: *Qui vero pro pecuniis, aut adulationibus sæcularium, una die præsumunt plures facere Missas, non existimo evadere damnationem*; ait summus Pontifex Alexander II.

Hic autem advertendum est, quod die Nativitatis Domini in duabus primis Missis non sumitur ablutio; si enim per inadvertentiam ut alias sumeretur, non posset

illa die amplius Missa celebrari, nisi forte Sacrificium remaneret imperfectum per mortem, aut maximam Sacerdotis alicujus imbecillitatem post consecrationem: in quo casu, ut supra diximus, si alius non occurreret, Sacerdos etiam non jejunus posset perficere Sacrificium, licet eadem die Missam celebrasset.

Ut enim dicitur in Can. (*Can. Ex parte, de cel. Miss.*) „ Semper Sacerdos vino perfundere debet, postquam totum acceperit Eucharistiæ Sacramentum, nisi cum eodem die aliam Missam debuerit celebrare, ne si forte „ vinum perfusionis acciperet, celebrationem impediret".

Quæst. 21. Possunt-ne dari aliqui alii casus, in quibus Sacerdos possit duas Missas eadem die celebrare?

Resp. Illud raro admodum fieri potest, & nisi necessitate aliqua urgenti, & improvisa cogente, talis Missæ duplicatio in praxi fieri non debet, idque eo magis vitandum est, quod res adeo nunc inusitata magnam admirationis & scandali occasionem in populo præberet. Attamen si, in aliquo casu extraordinario, nulla reperiretur Hostia consecrata in quadam Parochia, & aliunde haberi non posset ad deferendum sanctissimum Viaticum infirmo in extremis constituto; tunc juxta mentem S. Raymundi, posset Sacerdos, qui jam celebravit, aliam Missam dicere: *Potest*, inquit S. Raymundus (*in summa*, *l.* 7. *tit. de Sacr. iterandis* §. 15.), *cantare duas in casibus sequentibus, si necesse fuerit propter necessitatem peregrinorum, hospitum commeantium, & infirmorum*. Et ita si in die Dominica, aut festiva, concurrente magna populi turba, nullus alius reperiri posset Sacerdos, quia scilicet Parochus, aut alius infirmitate impeditur; tunc etiam ut devotioni tot Fidelium satisfieri posset, secunda Missa celebrari posset ab eo, qui ablutionem non sumpsisset.

Idem dicendum est, si Episcopus in magna Sacerdotum penuria, aliquem in duabus Parochiis constitueret; tunc, juxta Canonem (*Can. Clericus*, 21. *q.* 1.), duas Missas qualibet Dominica celebrare posset in his duabus Parochiis suæ curæ in necessitate commissis: *Clericus ab instanti tempore non connumeretur in duabus Ecclesiis: & hoc quidem in hac urbe servandum: cæterum in villis, quæ foris sunt, propter inopiam hominum, indulgeatur.*

CON-

CONFIRMATIO DECRETORUM

Congregationis S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, super celebratione Missarum, etiam cum declarationibus, & innovatione Decretorum ab eadem Congregatione, auctoritate felic. rec. Urbani Papæ VIII. desuper alias factorum.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

NUper a Congregatione venerabilium Fratrum nostrorum, S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, prodierunt Decreta tenoris infrascripti, videlicet:

Alias super celebratione Missarum, ac prohibitione illas moderandi, seu reducendi absque Sedis Apostolicæ licentia, nec non super earundem oneribus perpetuis suscipiendis, & Religiosorum numero ultra reditus, & consuetas eleemosynas locorum Regularium non habendo, emanarunt ab hac Sacra Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate per felic. rec. Urbanum Papam VIII. illi specialiter attributa, quamplura Decreta tenoris sequentis.

Cum sæpe contingat in quibusdam Ecclesiis, tam magnum Missarum celebrandarum numerum, ex variis Defunctorum relictis, aut piorum eleemosynis impositum esse, ut illis pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri, & tamen nova onera Missarum in dies suscipiantur, indeque fiat, ut depereant piæ Testantium voluntates, obstricta Benefactoribus fides violetur, Defunctorum animæ suffragiis priventur, Ecclesiis debitus subtrahatur cultus, ac Christi fideles gravi scandalo affecti, plerumque a similibus charitatis operibus retrahantur; cumque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quod ii, qui Missas super vires celebrandas suscipiunt, sperent illas brevi ad pauciorem numerum a Superioribus reductum iri, aut quod Ecclesiis, sorte pecuniarum absumpta, plerumque nuda remaneant onera Missarum, absque ullo emolumento; aut quod eleemosyna pro illis celebrandis sit adeo tenuis, ut non facile inveniantur, qui velint huic se muneri subjicere, & reditus Ecclesiæ, aut Monasterii adeo exigui, ut Sacerdos pro necessaria sua sustentatione novis se oneribus obstrin-

gere compellatur, Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum animadvertens, facturam se rem Deo gratissimam, charitatique, ac justitiæ maxime consentaneam, si pro viribus satagat, hunc teterrimum abusum e Christiana Republica convellere, atque eradicare, SS. D. N. Urbani divina Providentia Papæ VIII. auctoritate sibi specialiter attributa infrascripta Decreta edidit.

Ac primo districte prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel alias quoquo modo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur, alioquin reductiones, moderationes, & commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit.

Deinde ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis, celebrandis, stipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, sive ab una, sive a pluribus personis, collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus, ac Locis Piis quibuscumque, tam Sæcularibus, quam Regularibus; Sacra Congregatio sub obtestatione divini Judicii mandat, ac præcipit, ut absolute tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint; ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant; quinimo graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.

Id vero ut deinceps observetur exactius, sacra Congregatio eadem auctoritate revocat Privilegia, & Indulta omnia quibusvis personis, Ecclesiis, ac Locis Piis, tam sæcularibus quam Regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

Præterea, ne in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eo tepidiores ac segniores reddantur, quod onera hujusmodi cum nulla, aut parva sint utilitate conjuncta; statuit, atque decernit, ut pecuniæ, ac bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitali-

bus,

bus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus, ac Locis omnibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab iis, ad quos pertinet, sub pœna Interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda a die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes Ædem sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum pretium, quam primum investiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa, & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur.

Ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium, sub eadem pœna, ut supra, deponi, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis, cum ejusdem oneris repetitione, atque annexione converti debeat.

Ad hæc, Sacra Congregatio quibusvis Capitulis, Collegiis, Societatibus, & Congregationibus, nec non omnibus, & singulis Ecclesiarum, ac piorum locorum, tam Sæcularium, quam Regularium, Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, districte prohibet, ne imposterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum, Sæculares quidem sine Episcopi, vel ejus Generalis Vicarii, Regulares vero sine Generalis, vel Provincialis consensu, & licentia in scriptis, & gratis concedenda; alioquin Sæcularis, qui hujus prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso; Regularis vero pœnam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque activæ, ac passivæ, absque alia declaratione incurrat.

Eleemosynas vero manuales & quotidianas pro Missis celebrandis, ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant: alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione illa: *Eleemosynis pro Missis*, vel alia simili, sub iisdem pœnis ipso facto incurrendis, ne Fideles hac ratione frustrentur.

Episcopus vero, seu ejus Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis Missarum celebrandarum obligationibus, cuique Ecclesiæ, Monasterio, aut loco pio incumbentibus, nec antea assensum hujusmodi, aut licentiam præbeant, quam eis legitime constiterit, illius Sacerdotes tam novo oneri suscipiendo, quam antiquis jam susceptis satisfacere posse; præcipuamque rationem habeant, ut reditus, qui Ecclesiis, & locis piis relinquuntur, omnino respondeant oneribus adjunctis, secundum morem cujusque Civitatis, vel Provinciæ; intelligantque, si in re tanti momenti de-

desides, aut negligentes fuerint, in novissimo die se hujus prætermissi muneris rationem esse reddituros.

Postremo Illustrissimi Patres non sine gravi animi dolore intelligentes, mala fere omnia, quæ Regularem disciplinam evertunt, ac præcipue nimiam hanc facilitatem fovent, in oneribus Missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex majori Regularium numero, quam ferant reditus, & eleemosynæ cujusque Monasterii; inhærentes summorum Pontificum, ac sacri Tridentini Concilii Decretis hac de re editis, sanctissimi Domini nostri auctoritate præcipiunt, ac mandant omnibus & singulis Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicariis, & quibuscumque aliis Superioribus Monasteriorum, Conventuum, ac Domorum Regularium, bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti existentium intra fines Italiæ, & Insularum adjacentium, ut singuli, ad quos pertinet in qualibet Provincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus sui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum usu peritioribus, bona immobilia, census, reditus, & proventus omnes, consuetas item eleemosynas, & obventiones tam communes, Monasteriorum, Conventuum, & Domorum ejusdem Provinciæ, quam etiam singularibus personis Religiosis assignatas, seu permissas, in communem usum deinceps conferendas, decem annorum immediate præcedentium habita ratione, diligenter, & mature recognoscant, iis omnibus detractis, quæ reparationes, præstationes, grandines, sterilitates, aliave cujuslibet generis onera consueverunt absorbere.

Eaque omnia scripto fideliter exarata, idem Superior, cujus interest, in proximo Capitulo, seu Congregatione generali, vel Provinciali, coram tribus Judicibus ab ipsomet Capitulo, seu Congregatione deligendis proponat, qui computatis hujusmodi reditibus, eleemosynis, & obventionibus universis, & oneribus, ut supra, detractis sedulo examinent, quot Religiosi homines connumeratis etiam Laicis, aliisque necessariis servientibus, in unoquoque Monasterio, Conventu, & Domo regulari, juxta regionis, & proprii instituti morem, victum, & vestitum, & medicinalia in communi habentes, competenter valeant sustentari. Tum eorumdem bonorum, redituum, eleemosynarum, & onerum præcisam notam ipsimet Capitulo, seu Congregationi exhibeant, ut in illo diligenter omnibus discussis, cujusque familiæ, Monasterii, Conventus, ac Domus Regularis in singula quaque Provincia certus earum tantum personarum numerus, Patrum capitularium voto, præfigatur, quæ reditibus, eleemosynis, & obventionibus, ut superius, sufficienter ali possint.

Ne vero Superiores, qui id præstare debent, serius, aut remissus, quam par est, suo muneri satisfaciant, mandat sacra Congregatio, ut infra annum, post proximum Capitulum generale, vel Provinciale, computandum, omnia hoc de genere capitulariter gesta, in authenticam formam redacta, ad sacram ipsam Congregationem Concilii singuli mittant.

Numerumque familiæ, singulorumque Conventuum, Monasteriorum, & Domorum hujusmodi Regularium, Capituli, seu Congregationis generalis, vel Provincialis sententia, & auctoritate præfinitum, iidem Superiores tam Generales, & Provinciales omnes, quam locales, perpetuo servare omnino teneantur, nec possint illum quoquo modo augere, etiam prætextu augmenti redituum, absque sacræ ipsius Congregationis licentia: Superiores autem hujusmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præstiterint, vel numerum ut supra præscriptum, quovis modo augere præsumpserint, privationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebant, vocisque activæ, & passivæ, & ad omnia suæ Religionis officia & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipso incurrere, atque aliis etiam gravioribus a Sede Apostolica infligendis pœnis, sacra Congregatio subjacere voluit, & declaravit.

Deinceps vero Monasterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium nullibi recipiatur, nisi præter alia ad id requisita, in singulis hujusmodi locis duodecim saltem Fratres, aut Monachi, seu Religiosi degere, & ex reditibus, & consuetis eleemosynis, detractis omnibus, ut supra, detrahendis, competenter sustentari valeant, ad præscriptum Decreti fel. rec. Gregorii XV. hac de re editi; alioquin Monasteria, & loca hujusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi, ut supra, sustentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitaverint, Ordinarii loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ jurisdictioni subjecta esse intelligantur.

Porro, ne ullo umquam tempore hæc in oblivionem, seu desuetudinem abeant, Superiores locales cujusque Monasterii, Conventus, ac domus Regularis, curare, atque efficere teneantur, sub pœna privationis officii, vocisque activæ, & passivæ ipso facto incurrenda, ut in perpetuum, sexto quoque mense, id est feria secunda post primam Dominicam Adventus, & feria sexta post Octavam Corporis Christi, præsentes ordinationes in publica mensa perlegantur.

Omnibus tam Ecclesiasticis personis, cujuscumque sint Ordinis, conditionis, & gradus, quam Laicis quocumque honore, & potestate prædictis, præsentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta.

Non obstantibus, quod suprascripta omnia, & singu-

la in præſentibus Decretis contenta, Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarumcumque perſonarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militarium etiam ſancti Joannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujuslibet alterius Inſtituti, etiam neceſſario & in individuo exprimendi, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hoſpitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcumque tam Sæcularium, quam Regularium locorum, nec non illorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam Mari magno, ſeu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus Decretis, etiam motu proprio, & certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens, quibus quoad ea, quæ præſentibus adverſantur, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſacra Congregatio Sanctitatis ſuæ auctoritate ſpecialiter, & expreſſe derogat, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Et ne præmiſſorum ignorantia a quoquam prætendi poſſit, voluit eadem ſacra Congregatio, ut præſentes ordinationes in Valvis Baſilicarum S. Joannis Lateranenſis & Principis Apoſtolorum de Urbe, ac in Acie Campi Floræ, ut moris eſt, affixæ, omnes ad quos pertinet, ita arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent.

Utque earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ die 21. Junii 1625.

Coſmus Card. de Torres.

Proſper Fagnanus S. Congr. Secr.

Excitatis autem ſuper præmiſſorum Decretorum intelligentia, ſeu interpretatione infraſcriptis dubiis, prodierunt

runt a memorata Congregatione, simili auctoritate illi a præfato Urbano Papa Octavo specialiter attributa, responsiones, seu declarationes inferius apponendæ.

Super primo sacræ Congregationis Decreto, de celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel alias quoquo modo, reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis;

Quæritur, quid si legatum sit ita tenue, ut non sit, qui velit onus illi injunctum subire; & si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis?

Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione, ut possit hujusmodi onera moderari?

Secundo, super secundo ejusdem Congregationis Decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint;

Quæritur, an verba illa (præscriptæ fuerint) intelligenda sint de præscriptione facta ab Offerente, vel ab Ordinario?

Tertio, an cum Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneantur Missas illis ab Offerente præscriptas celebrare?

Quarto, an Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Cappellæ, Legati, aut Salarii, possint etiam manualem eleemosynam pro Missis votivis, aut Defunctorum, recipere, & unico Missæ Sacrificio utrique oneri satisfacere?

Quinto, posito, quod Testator relinquat, ut celebrentur pro ejus anima centum Missæ absque ulla præscriptione eleemosynæ;

Quæritur, an liberum sit hæredibus, eleemosynam sibi bene visam præscribere, an vero eadem eleemosyna præscribenda sit ab Ordinario?

Sexto, super tertio Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio revocat privilegia, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat:

Quæritur, an verba (in futurum suscipiendis) intelligenda sint de oneribus suscipiendis post privilegium?

Septimo, super quarto ejusdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui suscepit Missam celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat:

Quæritur, an permittendum sit administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portio-

 nem

nem pro expensis manutentionis Ecclesiæ, Altarium, inservientium, paramentorum, luminum, vini, Hostiæ, & similium?

Octavo, an hoc Decretum habeat locum in Beneficiis, quæ conferuntur in titulum, id est, an Rector Beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redituum Beneficii?

Decimo, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major solita, pro celebratione Missæ, debeant dare eamdem integram eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committant; an vero satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?

Undecimo, super quinto ejusdem Congregationis Decreto, quo inter cætera statuitur in hæc verba: eleemosynas vero manuales & quotidianas pro Missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint ut nova quoque onera obire valeant; alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant, &c.

Quæritur, an hoc Decretum prohibeat absolute, quo minus accipiant novas eleemosynas ii, qui acceptis non satisfecerint; & quid, si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

Duodecimo, quid, si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, ut Sacerdos Missam celebret, cum primum poterit?

Decimo tertio, an pœna interdicti, & aliæ appositæ in eodem Decreto, afficiant tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi præscriptam, quam eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesiis, ut ibidem præcipitur?

Decimo-quarto, an in hoc Decreto comprehendantur illæ capsulæ, quæ apponi solent in Ecclesiis in die commemorationis omnium Sanctorum, & vulgo dicuntur (*Casse de' Morti*).

Decimo-quinto, an administratores Ecclesiæ magnæ devotionis, & concursus, possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis non nisi post longum tempus satisfacere valeant; ne alias cultus Ecclesiæ, & devotio, ac concursus Fidelium, ut ajunt, minuantur?

Decimo-sexto, quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congregationibus, nec non omnibus, & singulis Ecclesiarum, & piorum locorum, tam Sæcularium, quam Regularium, Superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem privatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali (*& aliis ad quos pertinet*) supplicatur pro opportuna declaratione.

Decimo-septimo, super septimo ejusdem sacræ Congregationis Decreto, quo cavetur, ut in singulis Monasteriis

riis Religiosorum præfigatur numerus, qui ex consuetis reditibus, aut eleemosynis commode possint sustentari.

Quæritur, an ubi hæc præfixio facta jam fuit in vim similis Decreti san. memor. Pauli V. absque tamen computatione redituum cujusque Religiosi, sit denuo facienda, nec ne?

Decimo-octavo, an Novitii, ad habitum regularem admissi, possint admitti ad professionem in Monasteriis, in quibus habita, ut supra, præfixione numeri, commode ali non possunt?

Decimo-nono, super ultimo, quo cavetur, ut nullibi recipiantur Conventus Regularium, nisi præter alia ad id requisita, duodecim saltem Fratres in eis degere, & competenter sustentari valeant, ita ut alioquin subsint Jurisdictioni Ordinarii.

Quæritur, an hoc Decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Missarum, comprehendat eas Religiones, quæ non consueverunt onera Missarum recipere, ut sunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis Jesu?

Ultimo, an idem Decretum, ubi disponit, ut nullibi recipiantur Monasteria, nisi &c. habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum Decretum proxime antecedens; an vero etiam extra Italiam?

Declarationes, seu Responsiones ad supradicta dubia.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate sibi a sanctissimo Domino nostro attributa, ad singula dubia superius proposita, ad hunc modum respondit, videlicet,

Ad primum, etsi legatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut supra, impositi, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quæ absque ulla impensa id statuet, quod magis in Domino e re esse judicaverit. Verumtamen, si in ipsa Beneficii erectione expresse cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere, ac moderari legem hanc fundatoris, quam Decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam, & observandam.

Ad secundum, esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod si tribuens eleemosynam, numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius, secundum morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad tertium, teneri.

Ad quartum, Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii seu Capellæ, Legati, aut Salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susce-

susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.

Ad quintum, censuit, ubi nullam certam eleemosynam Testator reliquit, esse ab Episcopo præscribendam eleemosynam congruam, quæ respondeat oneribus Missarum celebrandarum, secundum morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad sextum, ita esse intelligenda.

Ad septimum, respondit, permittendum non esse, ut Ecclesiæ, ac loca pia, seu illorum Administratores, ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesiæ, & loca pia alios non habent reditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licite possint; & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum Missæ Sacrificio necessario sunt subeundæ: & nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quæ supersunt, expensis, ut supra, deductis, absolute tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Ad octavum, non habere locum, sed satis esse, ut Rector Beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundum morem Civitatis, vel Provinciæ, nisi in fundatione ipsius Beneficii aliud cautum fuerit.

Ad decimum, debere absolute integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.

Ad undecimum, respondit, non prohibere absolute, ac propterea, etsi oneribus jam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad duodecimum, quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione id sciat, & consentiat, ut illæ tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, Decretum non prohibere, quo minus eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem Missis juxta Benefactoris consensum celebrandis.

Ad decimum-tertium, has pœnas non habere locum, nisi in suscepturis onera perpetua Missarum celebrandarum, sine licentia Episcopi, vel ejus Generalis Vicarii, aut Generalis, vel Provincialis.

Ad decimum-quartum, comprehendi.

Ad decimum-quintum, non posse, nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt, ut supra in responsione ad duodecimum.

Ad decimum-sextum, comprehendi etiam privatos Sacerdotes.

Ad

Ad decimum-septimum, numeri præfixionem esse iterum faciendam, servata forma ultimi Decreti hac de re editi.

Ad decimum-octavum, esse admittendos ad professionem, si alias habiles existant, ac deinde in aliquo alio Monasterio ejusdem Religionis esse collocandos, ubi commode ali possint.

Ad decimum nonum, censuit comprehendere.

Ad ultimum, habere locum extra Italiam.

Cosmus Card. de Torres.

Prosper Fagnanus Sacr. Congr. Secr.

Cum autem super præmissis diversi irrepserint abusus, illorumque occasione, quamplures querelæ, & recursus ad Apostolicam Sedem pervenerint; cupiens eadem Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, hujusmodi detestabiles abusus e Christiana Republica pro viribus evellere, ac opportune providere, ut sublatis fraudibus, ac emendata negligentia, piæ Disponentium, seu Benefactorum voluntati fides illibata servetur, Defunctorum animabus integra & prompta præstentur suffragia, itidemque Deo major gloria, & Ecclesiis præstantior cultus reddatur; prævia auctoritate per SS. D. N. Innocentium divina Providentia PP. XII. ei specialiter attributa, infrascripta Decreta, prius in particulari nonnullorum ex præfatis Cardinalibus per Sanctitatem suam deputata, & postea in generali hujusmodi Cardinalium Congregatione mature, & accurate discussa, recognita, & examinata edidit.

In primis, præinserta Decreta, cum præmissis illorum declarationibus, plenissime, & amplissime approbat, confirmat, & innovat, omniaque, & singula ibidem contenta, & expressa, iterum omni meliori modo decernit, statuit, ac ab omnibus, & singulis, etiam speciali, & individuali nota, seu expressione dignis, penitus observari, & omnimodæ executioni demandari decernit, sancit, & præcipit.

Insuper, ut in re tanti momenti consultius, ac majori, ut par est, circumspectione procedatur; si qui forsan fuerint, vel sint, qui suis pravis & erroneis intentionibus, seu opinionibus, blandiri volentes, Missarum celebrationem omittant sub malitiosa, vel irrationabili spe earundem condonationem, vel reductionem a Sede Apostolica, vel compositionem a Reverenda Fabrica sancti Petri de Urbe obtinendi; Congregatio præfata tum eosdem, tum quoscumque alios, qui posthac in adeo detestabiles abusus ausi fuerint offendere, certiores fieri, & monitos esse voluit, præfatas condonationes, & reductiones ab eadem Sede, non nisi ex rationabili causa, seu æqua commiseratione; compositiones vero a dicta Fabrica utente suis facultatibus, & privilegiis, non nisi ex causa pariter rationabili, & cum clausulis opportunis, & præsertim cum illa; *Dummodo malitiose non omiserint animo habendi*

bendi compositionem, alias gratia nullo modo suffragetur: admitti consuevisse, & solere; quapropter ut locus omnis imposterum hisce prætextibus præcludatur, memorata Congregatio tales intentiones, opiniones, seu spes, ac eleemosynarum, sive in toto, sive in parte, versiones in alium, quam præfatarum Missarum usum, seu satisfactionem, & quascumque alias directas, vel indirectas, immediatas, vel mediatas contraventiones, seu circumventiones, declarat prorsus irrationabiles, injustas, & illicitas, illasque omnino reprobat, damnat, & interdicit.

Cumque hujusmodi absurda ex eo plerumque proveniant, quod onera Missarum supra vires suscipiantur; caveant omnes, & singuli Rectores, Superiores, & Ministri quarumcumque, tum Sæcularium, tum Regularium Ecclesiarum, seu illarum Capitula, ne onera, seu Missas, tum perpetuas, tum temporales, tum etiam manuales, quarum satisfactioni impares fuerint, quoquo modo suscipiant; utque idipsum quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere, semperque in loco magis patenti, & obvio retinere Tabellam onerum perpetuorum, & temporalium, litteris perspicuis, & intelligibilibus descriptorum, quorum implemento si moraliter, & intra præscriptum, seu breve tempus satisfacere non posse, seu illa dumtaxat, & non ulteriora adimplere posse crediderint, seu credere debuerint, alias Missas, sive perpetuas, sive temporales, sive manuales per se, vel interpositas personas quoquo modo recipere, seu acceptare omnino desistant, seu abstineant, & ulterius tali casu in eadem Tabella similiter exprimant, sese propterea aliis Missis acceptandis, & celebrandis impares esse.

Iidemque teneantur pariter in Sacrario duos libros retinere, ac in eorum altero singula onera perpetua, & temporalia, in altero autem Missas manuales, & tam illorum, quam istarum adimplementum, & eleemosynas distincte, & diligenter annotare, & annotandas, seu annotanda curare, singulisque annis de supradictis adimplementis, eleemosynis, & oneribus pariter exactam rationem suis Superioribus reddere, ac omnes & singulas rationes hujusmodi in præfatis respective libris simili distinctione, & diligentia, tam præfati, a quibus rationes debent reddi, quam Superiores, quibus reddendæ erunt, describere, seu annotare, sive describendas, vel annotandas respective curare.

Quibus semper salvis, debeant ulterius Regulares prædicti, omnes, & quascumque eleemosynas, tum manualium, tum perpetuarum, & temporalium Missarum reponere in capsa particulari sub duabus clavibus, quarum una penes Superiorem localem, altera vero penes alium a Capitulo Conventuali deputandum retineatur, ac de iisdem eleemosynis, & celebratione Missarum, coram Patribus Discretis, seu Consiliariis, vel alio simili modo nuncupatis, singulis mensibus districtam rationem exigere, & respective reddere.

Quod

Quod si prædicti, ad quos cura Tabellæ, Capsæ, & librorum præfatorum respective pertinet, seu pertinere debet, suam operam præmissis, ut præfertur, minime navaverint, & Superiores, tum Sæcularium, tum Regularium Ecclesiarum, rationem prædictam non exegerint, seu non invigilaverint, quod præfati, qui in curam Tabellarum & librorum incumbunt, suo muneri, ut præfertur, satisfaciant; in singulis respective casibus Sæculares pœnam suspensionis incurrant; Regulares vero voce activa, & passiva, ac gradibus, & officiis, quæ obtinent, ipso facto, & absque alia declaratione privati sint, & intelligantur, nec non ad hujusmodi gradus, & officia obtinenda similiter inhabilitentur, & inhabilitati sint, & intelligantur.

Porro, ne ullo umquam tempore omnia, & singula Decreta prædicta in oblivionem, seu desuetudinem abeant, Rectores, Superiores, seu Capitula Ecclesiarum Sæcularium illa retineant publice exposita in eorum Sacrario; Superiores vero Locales cujuscumque Monasterii, Conventus, ac Domus Regularis, curare, & efficere teneantur sub pœna privationis officiorum, quæ obtinent, vocisque activæ, & passivæ ipso facto incurrenda: ut in perpetuum sexto quoquo mense, id est, feria secunda post primam Dominicam Adventus, & feria sexta post Octavam Corporis Christi, omnes & singulæ præmissæ, tum insertæ, seu confirmatæ, tum in præsens factæ ordinationes, una cum dictis declarationibus in publica Mensa perlegantur.

Meminerint igitur, & satagant Ordinarii, ut a personis, & in Ecclesiis quoquomodo etiam in vim Decretorum Concilii Tridentini sibi subjectis, Missæ ea, qua par est, fide, & diligentia celebrentur, & cuncta & singula Decreta hujusmodi omnimodæ executioni demandentur, nedum justitiam recurrentibus, seu instantibus reddentes; sed ex Officio tum in Visitationibus, tum in aliis actibus, & modis, quos expedire, & convenire toties quoties judicaverint, inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, differatur, vel omittatur, quod his omnibus, & singulis Decretis adversetur.

Caveant etiam respective omnes Regulares, tum subditi, tum Superiores quicumque, nedum locales, sed etiam Provinciales, & Generales, ne Missarum celebratio, & omnium Decretorum præmissorum executio, cum pernicie propriarum animarum, cum præjudicio illarum, quibus Missæ sunt applicandæ, & cum magno Christi-fidelium scandalo, quoquo modo omittantur, differantur, negligantur, seu pervertantur; alioquin ultra propriæ conscientiæ onerationem, pœnam privationis vocis activæ, & passivæ, ac graduum, & officiorum, quæ obtinent, nec non inhabilitationis ad hujusmodi gradus, & officia obtinenda prorsus incurrant.

Curent propterea præfati Superiores Regulares in omnes & singulos contravenientes debitis pœnis diligenter,

ter, & prompte etiam per inquisitionem animadvertere; & insuper teneantur omnes, & singuli Superiores locales in Provincialibus Capitulis, seu Congregationibus, exhibere attestationem, seu fidem ab omnibus Sacerdotibus Conventus, Monasterii, seu cujuscumque Domus regularis subscriptam, & juratam, quod omnibus, & singulis tum perpetuis, tum manualibus Missarum oneribus, seu obligationibus ad limites, & tenorem præsentium Decretorum, tempore eorum regiminis fuerit omnino & integraliter satisfactum; vel deficiente aliqua modica satisfactione, possit etiam hujusmodi residuali implemento Missarum distinctè referendarum intra breve tempus moraliter satisfieri, ea adjecta, & omnino adimplenda conditione, quod ante præfatæ attestationis exhibitionem quicumque Superiores locales prædicti vocem activam, seu passivam in memoratis Capitulis, seu Congregationibus, omnino habere non valent.

Præterea Provinciales, Vicarii, & Visitatores Provinciarum, seu Congregationum, debebunt in fine eorum regiminis Superioribus Generalibus in forma probante ostendere, quod executioni præsentium Decretorum sedulo invigilaverint, & ad eorum tenorem in omnibus, & singulis Conventibus, seu Monasteriis, vel Domibus Regularibus Provinciæ, seu Congregationis, de omnibus, & singulis oneribus, & obligationibus, ac insimul satisfactionibus Missarum, exactam & diligentem rationem exegerint, ac contra delinquentes ad declarationem, & executionem respective pœnarum in Decretis contentarum processerint, & de adimplemento circa ea, quæ in præmissis ad ipsos spectant legitime docuerint; alias ad vocem activam & passivam in Capitulis Generalibus nullatenus admittantur.

Cæterum, quia etiam ad quamplures Archiconfraternitates, Confraternitates, Societates, Congregationes, Hospitalia, Altaria, Cappellas, Oratoria, & Ecclesias, ac alia loca, & opera pia quomodolibet nuncupata, quæ cuicumque curæ, seu regimini, aut administrationi, vel directioni Laicorum cujuslibet gradus, status, conditionis, & præeminentiæ etiam speciali, & individuali nota dignorum dumtaxat, vel quorumcumque Ecclesiasticorum, & Laicorum hujusmodi mixtim commendata, annexa, seu quomodocumque commissa, vel attributa sunt, onus, seu cura celebrationis Missarum, sive manualium, sive ad tempus, vel in perpetuum pertinet; hinc salvis semper iis, quæ in præinsertis Decretis continentur, omnes, & quicumque hujusmodi Archiconfraternitatum, Societatum, Congregationum, Hospitalium, Altarium, Cappellarum, Oratoriorum, & Ecclesiarum, ac aliorum locorum, & operum piorum Rectores, seu Administratores, vel Directores, & alii hujusmodi Officiales, nec non ii, ad quos Cura Tabellæ, & librorum in præmissis, spectat, Tabellam, libros,

bros, & hæc Decreta respective juxta modos superius expressos, similiter retinere, nec non de oneribus, ac celebrationibus, & eleemosynis dictarum Missarum singulis rationem exigere, & respective iis, ad quos pertinet, reddere, sub pœnis arbitrio, & in subsidium excommunicationis teneantur.

Postremo omnibus, & quibuscumque tam Ecclesiasticis personis cujuscumque Ordinis, status, gradus, Regulæ, Congregationis, Societatis, conditionis, & dignitatis existant, quam Laicis quocumque honore, ac potestate præditis, omnia, & singula præmissa Decreta interpretandi, nec non Ecclesiasticis prædictis pœnas in hujusmodi Decretis relaxandi, seu quoquomodo circa præmissa dispensandi, omnis, & quæcumque facultas sit penitus interdicta.

Non obstantibus quoad supra scripta omnia, & singula in hujusmodi Decretis contenta, Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militiarum etiam S. Joannis Jerosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujuslibet alterius Instituti, etiam necessario, & in individuo exprimendi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hospitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcumque tam Sæcularium, quam Regularium locorum, nec non illorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, seu quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus Decretis etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, specialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, sacra Congregatio Sanctitatis suæ auctoritate specialiter, & expresse derogat, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ die 23. Novembris 1697.

Joseph Card. Sacripantes Præfect.
Ferdinandus Nuntius Sacr. Congr. Secr.

Qua-

Quocirca, cum dilectus filius noster Joseph Tituli S. Mariæ Transpontinæ S. R. E. Presbyter Cardinalis Sacripantes, memoratæ Congregationis Præfectus, præfata Decreta nobis retulerit, nos considerantes eadem omnia, & singula Decreta, ea qua decet maturitate digesta, & examinata, ac in vim Apostolicæ auctoritatis, eidem Congregationi specialiter, ut præfertur, attributæ peracta, perutilia fore censentes, illaque propterea perpetuo, & inviolabiliter observari, nec non Constitutionis nostræ munimine roborare volentes: Motu proprio, non ad cujusquam nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine præinserta Decreta, omniaque, & singula in eis contenta, tenore præsentium, auctoritate Apostolica confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur, & efficaciam adjicimus; quinimo motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine similibus omnia, & singula in supradictis Decretis contenta, de novo statuimus, decernimus, & ordinamus, ac ab omnibus, & quibuscumque, etiam speciali, & individua nota dignis, omnino exacte, & perpetuo servari volumus, sancimus, & mandamus.

Decernentes, præsentes litteras, cum omnibus, & quibuscumque, etiam speciali, & individua nota dignis, omnino exacte, & perpetuo servari volumus, sancimus, & mandamus.

Decernentes, præsentes litteras, cum omnibus, & singulis inibi contentis, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque, & quomodocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime, & inviolabiliter observari, sicque, & non aliter, per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, quavis authoritate, præeminentia, aut potestate fungentes & functuros, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuntios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus omnibus, & singulis, quæ præfata Congregatio, auctoritate per ejusdem recordationis Urbanum Papam VIII. & respective per nos illi specialiter attributa, decrevit non obstare, quæ pariter, & iterum nos tenore præsentium non obstare decernimus, & mandamus, quibus omnibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, etiam harum serie plenissime, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Vo-

Volumus autem, ut præsentes litteræ in valvis Ecclesiæ Lateranensis, ac Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque generalis in Monte Citorio, ac in acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, publicentur, & affigantur; sicque publicatæ, & affixæ, omnes, & singulos, quos illæ concernunt perinde arctent, & afficiant, ac si unicuique eorum personaliter intimatæ fuissent.

Pariterque ut earumdem præsentium transumptis impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat, paginam hanc nostrarum Confirmationis, Approbationis, Statuti, Decretorum, Ordinationis, Voluntatis, Sanctionis, Mandatorum, & Derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Romæ apud S. Mariam majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1697. decimo Kal. Januar. Pontificatus Nostri Anno septimo.

B. Card. Prodat. J. F. Card. Albanus.

Visa de Curia J. Ciampinus.

I. Catallus.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo octavo, Indictione sexta, die vero tertia Januarii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii divina Providentia PP. XII. anno septimo, supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateran. Principis Apostolorum, Curiæ Innocentianæ, Cancellariæ Apost. in acie Campi Floræ, & in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Joannem Baptistam de Capellis, ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursorem.

Franciscus Antonius Simoncellus Mag. Curs.

DECRETUM

S. Cong. Concilii, de diebus vacationis licitæ a celebratione Missæ, ut habetur in Concilio Neapolitano, pag. 179.

Modernus Episcopus Collensis, Diœcesim visitando, comperiit, non sine maximo conscientiarum periculo, plures irrepsisse abusus in adimplendo mentem eorum, qui Missas celebrari mandarunt. Ad eos ergo tollendos, discutiendum atque resolvendum videtur.

1. An Sacerdotes obligati ratione beneficii, cappellaniæ, legati, aut stipendii, celebrare quotidie Missam per seipsos, possint aliquando a celebratione vacare? Et quatenus affirmative.

2. Quando & quoties a dicta celebratione vacare possint?

3. An diebus licitæ vacationis possint Missam pro seipsis, vel aliis, præterquam pro fundatoribus, celebrare? Et quatenus affirmative.

4. An pro aliis celebrando, possint stipendium pro hujusmodi celebratione percipere?

5. An illis diebus, quibus licite vacant a celebratione, teneantur Missam ab aliis celebrari vacare, juxta intentionem fundatorum?

6. An Sacerdotes, ut supra, obligati celebrare Missam quotidie, absque tamen onere celebrandi per seipsos, possint aliquando a celebratione vacare?

Die 18. Septembris 1683. S. Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, ad primum & secundum respondit affirmative, concurrente aliqua rationabili causa. Ad 3. & 4. & 6. negative. Ad 5. distulit resolutionem.

Ita reperitur in Regesto autographo Decretorum ejusdem S. Congregationis. Lib. 33. fol. 311. In fidem &c. Hac die 30. Maji 1699.

F. Nuntius S. Cong. Conc. Secretarius.

D E C R E T U M

Sacræ Congregationis Concilii super applicatione Sacrificii a Parochis.

I N L U C A N A.

CUM præcepto Divino iis, quibus Animarum cura commissa est, mandatum sit, pro Ovibus suis Sacrificium offerre, sæpe alias Sacra Congr. Concilii censuit, Parochos teneri pro Parochianis Sacrificium applicare, atque ea cum distinctione, ut si reditus pingues sint, singulis diebus; si vero tenues, saltem diebus festivis. Idem nunc censet quoad Parochos istius Civitatis, & Diœcesis, &c. Romæ 10. Maii 1681.

F. Card. Columna.

Steph. Archiep. Brancaccius Sac. C. Secr.

Et hoc etiam habetur ex *Trid. sess. 23. de refor. Sac. Cong. Conc. in Civit. Castellan. 26. Aug. 1628. & 1. Septemb. 1629. ac Hydruntin. 13. Februarii 1639. Romana 17. Julii 1649. Clusin. 5. Julii 1670.*

DE-

DECRETUM GENERALE

De Reliquiis Insignibus.

CUM Sac. Rituum Congregationi innotuerit, quamplures abusus irrepsisse circa recitationem Officii, sub prætextu Decreti ab eadem Congregatione evulgati anno 1630. & in Breviario Romano impressi, in quo permittitur, posse in Ecclesia recitari Officia, & Missas celebrari de illis Sanctis, quorum Corpora, aut Reliquiæ insignes in ea asservantur: Eminentissimi Patres eidem sacræ Congregationi Præpositi, iisdem abusibus evellendis præcipue intenti, inhærendo Decretis alias in similibus editis, declararunt, prædicta Officia Sanctorum ratione Corporis, seu insignis Reliquiæ recitanda, intelligi debere de Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano descriptis, & dummodo constet de identitate Corporis, seu Reliquiæ insignis illiusmet Sancti, qui reperitur in Martyrologio Romano descriptus. De cæteris autem Sanctis in prædicto Martyrologio non descriptis, aut quibus a Sancta sede non fuit specialiter concessum, Officia recitari, & Missas celebrari vetuerunt, non obstante, quod ipsorum Corpora, vel insignes Reliquiæ in Ecclesiis asserventur. Quibus tamen ab Ordinariis locorum approbatis, debitam Fidelium venerationem (prout hactenus servatum est) exhibendam esse censuerunt, sed absque Officio, & Missa, sub pęnis de non satisfaciendo præcepto recitandi Officium, aliisque in Constitutione Beati Pii V. contentis, die 11. Augusti 1691.

Et facta de prædictis Sanctissimo per me Secretarium relatione, Sanctitas sua hujusmodi Decretum approbavit, ac ut debitæ exequutioni demandetur, locorum Ordinariis injungendum esse præcepit, die 19. Octobris ejusdem anni 1691.

A. Card. Cybo.
Loco ✠ Sigilli.

B. Inghiramus Sac. Rit. Congreg. Secr.

DECRETUM

Alexandri VIII. circa translationem Festi Annunciationis B. Virginis, & Missas privatas in Sabbato sancto.

CUM Sabbato sancto proxime futuro occurrat Festum Annunciationis B. M. V. dubitatum fuit, an debeant celebrari Missæ privatæ ad effectum, ut Christi fideles commode satisfacere possint præcepto audiendi Missam. Et Sacr. Rituum Congregatio, ad relationem Eminentissimi & Reverendissimi D. Cardinalis Colloredi, re mature perpensa, censuit, prædictum Festum Annunciationis, una cum præcepto audiendi Missam, & vacandi ab operibus, in Ecclesia Universali transferri de-

debere ad Feriam secundam post Dominicam in Albis, protractis omnibus aliis Festis, quæ non sunt altioris ritus, ad aliam diem, juxta rubricas Breviarii Romani. Celebrationem quoque Missarum dicto die Sabbati sancti omnino prohibendam in quibuscumque Ecclesiis, & Oratoriis privatis, non obstante quacumque consuetudine in contrarium, & unicam Missam Conventualem, una cum Officio ejusdem Sabbati sancti, celebrandam fore præcepit, si SS. D. N. placuerit, hac die 11. Februar. 1690.

Et facto de prædictis per me Secretarium verbo cum Sanctissimo, Sanctitas sua benigne annuit, sensum sacræ Congregationis approbavit, ac præsens Decretum edi, & imprimi mandavit, hac die 12. Febr. 1690.

A. Card. Cybo.
Loco ✠ Sigilli. *Laur. Fliscus Secr.*

ALIUD DECRETUM

super idem.

SAcrorum Rituum Congr. ad tollenda dubia exorta super celebratione Festi sanctissimæ Annunciationis B. M. V. in Feria 6. Parasceve, vel in Sabbato sancto occurrentis, declarando Decretum editum die 11. Februarii prædicti, decrevit Festum Annunciationis in casu proposito una cum præcepto audiendi Missam, & vacandi ab operibus, in Ecclesia Universali transferri debere ad Feriam secundam post Dominicam in Albis, etiam quocumque alio Festo impeditam, ita ut eadem Feria prædicto casu eveniente, perpetuis futuris temporibus pro sede propria, fixa, memorato Festo Annunciationis assignata, & stabilita intelligatur, & in illa eo prorsus modo, & forma præfatum Festum quoad Officium, & Missam celebretur, quibus propria die 25. Martii in Kalendario Romano appositum celebraretur; protractis ad aliam diem non impeditam, juxta Rubricas Breviarii Romani, omnibus aliis Festis in eadem Feria occurrentibus, quæ non sint altioris ritus. Ac ita declaravit, & si Sanctissimo placuerit, servari præcepit.

Firmo in reliquis remanente prædicto Decreto, edito die 11. Febr. nempe quod in Sabbato sancto celebrationes Missarum privatarum omnino prohibeantur in quibuscumque Ecclesiis, & Oratoriis privatis, non obstante quacumque contraria consuetudine, & unica tantum Missa Conventualis, una cum Officio ejusdem Sabbati sancti, celebretur. Die 11. Martii 1690.

Et facta de prædictis Sanctissimo per me Secretarium relatione, Sanctitas sua annuit, prædictamque declarationem laudavit, & approbavit, ac presens Decretum imprimi, & evulgari mandavit, die 11. Martii 1690.

A. Episc. Ostien. Card. Cybo.
Loco ✠ Sigilli. *Laur. Fliscus Secr.*

D E-

DECRETUM GENERALE

De Feſtivitate S. Joſephi recurrente in Feria quinta majoris hebdomadæ.

CUM anno proxime venturo occurrat Feſtum S. Joſephi in Feria 5. Majoris hebdomadæ, exortum fuit dubium, attenta univerſali conſuetudine Eccleſiæ celebrandi eo die unam tantum Miſſam, an una cum Officio ipſius S. Joſephi transferri debeat anno prædicto etiam obligatio audiendi Miſſam, ac vacandi ab operibus ſervilibus: dubioque hujuſmodi in Sacrorum Rituum Congregatione propoſito, eadem Congregatio ad relationem Eminentiſſimi & Reverendiſſimi D. Card. Albani re mature diſcuſſa, cenſuit, officium transferendum eſſe ad aliam diem juxta Rubricas Breviarii Romani, & Decreta ipſius Congregationis; cæterum præceptum audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus prædictis, non eſſe transferendum, ſed ſervandum eſſe in prædicta Feria 5. majoris hebdomadæ: adeoque per Ordinarios locorum accurate providendum, ut eo die aliquæ quidem Miſſæ privatæ ante celebrationem ſolitæ Conventualis celebrandæ pro præcepti adimplemento non deſint, ſed tamen propterea antiquus mos Communionis Cleri in Miſſa ſolemni ejus diei, quo Eccleſia Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti inſtitutionem & memoriam recolit, ſumma religione hactenus retentus nullatenus omittatur: & ita declaravit, ac Decretum hujuſmodi publicari & imprimi mandavit. Die 13. Septembris. 1692.

A. Epiſc. Oſtien. Card. Cybo.
Loco ✠ Sigilli.

I. Valemanus Sac. Rit. Congr. Secr.

DECRETUM

De non anticipanda Vigilia S. Mathiæ ratione carnis-privii.

QUæſitum fuit, a Sacrorum Rituum Congregatione declarari, an Vigilia S. Mathiæ Apoſtoli, occurrens hoc anno in Feria tertia poſt Dominicam Quinquageſimæ, poſſit ratione carnis-privii anticipari cum jejunio? Et eadem ſacra Congregatio reſpondit negative, & jejunium prædicta Feria omnino ſervandum. Die 23. Januarii 1694.

A. Card. Cybo.
Loco ✠ Sigilli.

B. Inghiramus S. Rituum Congr. Secr.

CUm non pauci desideraverint, ut Casus Practici efformarentur, & ex Theologia Morali, ad faciliorem plurium instructionem, in praxi velut eruerentur; id ab aliquibus annis peractum fuit in materia Sacramentorum, quæ in Tomo tertio continetur: cumque hi Casus non inutiles visi sint, præsertim Romæ, pro conferentiis, seu collationibus moralibus; illos hic attexere congruum duxi, ut, si ita sapientioribus visum fuerit, ex aliis etiam Theologiæ Moralis Tomis continuari possint ad Confessariorum utilitatem.

CASUS PRACTICI EX TRACTATU DE BAPTISMO.

CASUS I.

IN ea solemni clade, qua mirabili Dei judicio Turcæ Viennam obsidentes percussi sunt, cum Orchamus Turca mortem undequaque volantem fugeret, inter mortuorum acervum aliquamdiu vivus delituit. Deinde, superveniente nocte, Militis Poloni mortui vestibus, & armis furtim sublatis, eis indutus, in Christianorum exercitu per aliquot dies ignotus vixit. Demum a Milite Christiano, nescio quo linguæ errore detectus, eique crudeli morte intentata, ni subito Christianam religionem profiteretur, & Baptismum reciperet, ficte consensit Orchamus, & nullo modo intendens Mahometicam Sectam deserere, Baptismum tamen per manum Militis, solo mortis metu, suscepit. Quæritur utrum Orchamus valide baptizatus fuerit?

Resp. Dubitari de validitate posset, quia qui omnino non vult Baptismum suscipere, non est subjectum aptum ad illud valide recipiendum: & ita qui dormientes, aut non advertentes, & nolentes Judæos aqua perfunderet pronuncians formæ verba, sine dubio Baptismi Sacramentum, & characterem nullo modo conferret.

Nihilominus aliud in casu proposito dicendum est: quia licet Adultus, qui neque externum, neque internum consensum præstat, sit omnino incapax Baptismi, & subjectum plane ineptum ad tale Sacramentum, ita ut taliter disposito administratum, nullum sit; attamen quando adest consensus exterior, ut in nostro casu, quamvis talis consensus expressus sit per metum mortis, sufficit ad

ad validitatem Baptiſmi, & impreſſionem characteris; licet non ſufficiat ad recipiendam gratiam ſanctificantem, prout nec ad validitatem Sacramenti Pœnitentiæ, in quo actus Pœnitentis materiæ locum habent.

Et ita concludendum eſt, Orchamum fuiſſe valide baptizatum, juxta Decretalem Innocentii Papæ III. in cap. *Majores*, de Baptiſmo, in quo ſic habetur: „ Is qui terroribus, atque ſuppliciis violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, Baptiſmi ſuſcipit Sacramentum: talis characterem ſuſcipit Chriſtianitatis impreſſum, & ipſe tamquam conditionaliter volens, licet abſolute non velit, cogendus eſt ad obſervantiam fidei Chriſtianæ. Ille vero qui numquam conſentit, ſed penitus contradicit, nec rem, nec characterem ſuſcipit Sacramenti".

CASUS II.

Cum natus puer videretur in urgenti gravique periculo mortis conſtitutus, neque poſſet in his anguſtiis haberi Parochus, ſed ſolus Joannes laicus homo, & rudis, una cum multis fœminis adeſſet, ad illum baptizandi munus delatum eſt, & bene, quia ut ait S. Thomas: *Non debet mulier baptizare, ſi adſit copia viri, ſicut nec Laicus præſente Clerico, nec Clericus præſente Sacerdote, part. 3. ſum. q. 67. art. 4. in corp.* Cumque Joannes, talis miniſterii omnino ignarus, verba in Baptiſmo proferenda memoriter non ſciret, & inſuper multum propter rei novitatem trepidaret; docta quædam, quæ tunc temporis aderat, matrona, verba quæ formam Baptiſmi conſtituunt, alta voce protulit, dum Joannes ſilens aquam ſuper caput morientis pueri effundebat. Hoc poſito, quæritur, utrum Baptiſmus fuerit validus?

Reſp. Prima fronte videri poſſet, fuiſſe Baptiſmum validum, quia omnia Baptiſmo eſſentialia in eo reperiuntur, videlicet materia, & forma, & intentio; nam verba, quæ formam conſtituunt, prolata fuere: aqua, quæ materiæ loco eſt, fuit infuſa: demum tam Joannes, quam matrona, veram faciendi, quod facit Eccleſia, intentionem habuiſſe ſupponuntur.

Attamen concludendum eſt cum Sancto Thoma, talem Baptiſmum fuiſſe plane invalidum, & nullum, quia defuit Miniſter, & forma. Defuit Miniſter, quia neque Joannes, neque matrona, Miniſtri partes impleverunt; etenim Miniſtri munus eſt applicare, & veluti moraliter unire formam materiæ, quod a nemine factum eſt: defuit forma, quia verba a matrona prolata falſum ſenſum habebant; non enim vere dicere poterat: *Ego te baptizo*, quandoquidem a Joanne baptizabatur; & ita cum juxta eumdem Angelicum Doctorem, part. 3. ſum. q. 66. art. 6. ad 3. *Integritas Baptiſmi conſiſtat in forma verborum, & in uſu materiæ, ideo neque ille, qui tantum profert verba, baptizat, neque ille qui immergit: & ideo ſi*

unus verba proferat, & alius immergat, nulla forma verborum poterit esse conveniens. Sicque in hoc casu aut verba post matronam proferre debebat Joannes, aut tota Baptismi administratio ad illam, securitatis causa, remitti, ut Baptismus valide conferretur.

CASUS III.

Quæst. Quot sunt Baptismi species?

Resp. Licet proprie loquendo unicus sit Baptismus, juxta illud Apostoli ad Ephesios cap. 4. *Una fides, unum Baptisma*; potest nihilominus dividi, & communiter a Theologis dividitur in tres species, quæ tamen unicum Baptismum constituunt; quia, ut docet S. Th. part. 3. q. 66. art. 11. ad 1. *Alia duo Baptismata includuntur in Baptismo aquæ seu fluminis*: sunt igitur, Baptismus fluminis, Baptismus sanguinis, & Baptismus flaminis; Baptismus fluminis per aquæ ablutionem, una cum verborum formam constituentium prolatione confertur: Baptismus sanguinis recipitur ab eo, qui pro Christo occiditur: tandem Baptismus flaminis subvenit ei, qui de peccatis vere dolens, & baptizari desiderans, sine actuali illius Sacramenti receptione moritur.

In Chinæ Regno, in quo innumeri quotidie gentiles ad fidem Catholicam convertuntur, opera præsertim eorum Episcoporum, qui cum Vicarii Apostolici potestate in illas regiones non ita pridem a summo Pontifice missi sunt, cum Polus, Manillus, & Clarus Chinenses Fidem quæ est in Christo Jesu, ab Episcopo Metellopoli audiissent, & eorum Deus aperuisset corda, ut intenderent in ea, quæ ab eodem Præsule dicebantur, inter Catechumenos relati sunt, ad proximum Pentecostes Festum baptizandi. Interea Polus a Paganis, quia fidei Christianæ renunciare noluit, trucidatur. Orta autem nescio qua seditione Clarus, & Manillus, dum strenue pro Rege adversus rebelles pugnant, mortali plaga feriuntur. Petrus Christianus, qui Clarum cadentem videt, ad eum subito accurrens, enixe petentem, antequam animam emitteret, sumpta aqua baptizat; non eadem Manilli felicitas fuit; licet enim Baptismum ardenter in his angustiis desideraret, ac peteret, nemo ei adfuit, & ita mortuus est. Hoc posito, quæritur, utrum horum trium Chinensium sors æqualis fuerit quoad Baptismum, dum Polus Baptismum sanguinis, Clarus Baptismum fluminis, & Manillus Baptismum flaminis recepit?

Dubium non est, quin Baptismus sanguinis a Polo per Martyrium receptus, eumdem effectum habuerit, ac Baptismus fluminis, seu aquæ, a Claro receptus; & ideo Sanctus Thomas part. 3. q. 63. art. 2. ad 2. asserit, quod „ Universalis ablutio fit in perceptione Baptismi, & in „ Martyrio; propter quod dicitur, quod in Martyrio „ omnia Sacramenta Baptismi complentur, scilicet quan- „ tum ad plenam liberationem a culpa, & a pœna “; sed

ſed quod ad Manillum attinet, qui ardenter baptizari deſiderans, cum ſolo flaminis Baptiſmo mortuus eſt; liberatus quidem fuit a culpa, & conſequenter a pœna æterna, ſed non a pœna temporali in Purgatorio pro præteritis delictis ſuſtinenda; & hæc eſt doctrina Sancti Thomæ ibidem part. 3. Centiloquii, ſeſſ. 48. De Baptiſmo, his verbis: *Si quis Catechumenus ſit habens deſiderium Baptiſmi, talis decedens, non ſtatim perveniet ad vitam æternam, ſed patietur pœnam pro peccatis præteritis: ipſe tamen ſalvus erit, quaſi per ignem, ut dicitur*, 1. *ad Cor. c.* 3. Quod etiam dilucide explicatur a Sancto Bonaventura: *In Baptiſmo flaminis*, inquit, *qui eſt per pœnitentiam, & Spiritus ſancti gratiam, purificamur a culpa; in Baptiſmo fluminis purificamur a culpa, & a ſatisfactoria pœna; in Baptiſmo ſanguinis purificamur ab omni miſeria.*

CASUS IV.

Cum Petrus diu tanquam Chriſtianus baptizatus vixiſſet, & mortuus eſſet, in ipſo tempore, quo funerali pompa ad ſepulcrum, juxta Eccleſiæ morem, ejus portaretur corpus, accidit, ut ante vetulæ cujuſdam domum tranſiret, quæ quidnam id eſſet a vicina petens, & ab ea accipiens, mortuum Petri corpus ad ſepeliendum duci; ſubito tremebunda exclamavit: Oh me miſeram! cauſa ſum illius æternæ damnationis, quia illum in neceſſitate nulliter baptizavi; verba ſiquidem ad validitatem Baptiſmi neceſſaria non protuli, & inſuper Parocho ſciſcitanti conſtanter reſpondi, me omnia requiſita impleviſſe. Ut paucis, res ad Epiſcopum defertur, qui de facti veritate certior factus, quærit, utrum Petrus haberi debeat ab Eccleſia tamquam Chriſtianus baptizatus, ſeu utrum illius corpus in cœmeterio Fidelium ſepeliri debeat, & pro ejuſdem anima orationes, & Sacrificia offerri poſſint?

Reſp. Licet conſtet, Petrum ſine Baptiſmo aquæ mortuum eſſe; tamen cum Chriſtiane vixerit, & ita credi debeat fuiſſe diſpoſitus, ut ſi cognoviſſet, ſe non eſſe valide baptizatum, Baptiſmum haud dubie petiiſſet; dici debet, Baptiſmum flaminis, ſeu deſiderii, Petrum a peccato originali lavaſſe, & inter Dei Filios, & hæredes conſtituiſſe; ideoque in loco ſacro illius Corpus eſſe ſepeliendum, ſimulque pro animæ quiete orandum. Quæ reſolutio expreſſis verbis habetur in cap. *Apoſtolicam*, De Presbytero non baptizato: „ Inquiſitioni tuæ, *inquit*
„ *Innocentius III.* taliter reſpondemus, Presbyterum,
„ quem ſine unda Baptiſmatis extremum diem clauſiſſe
„ ſignificaſti, quia in ſanctæ Matris Eccleſiæ fide, &
„ Chriſti nominis confeſſione perſeveravit, ab originali
„ peccato ſolutum, & cæleſtis Patriæ gaudium adeptum
„ aſſerimus incunctanter. Lege ſuper hoc librum 8. Au-
„ guſtini de Civitate Dei, ubi inter cætera legitur: *Ba-*

„ *ptismus visibiliter ministratur, quem non contemptus*
„ *Religionis, sed articulus necessitatis excludit*: Librum
„ etiam B. Ambrosii de obitu Valentiniani idem asse-
„ rentis revolve. Sopitis igitur quæstionibus Doctorum,
„ Patrum sententias teneas, & in Ecclesia tua juges
„ preces hostiasque Deo offerri jubeas pro Presbytero
„ memorato“.

CASUS V.

Paulus a multis annis presbyter ordinatus, insuper ad Beneficium Parochiale promotus, deprehendit, se non fuisse baptizatum ob aliquem essentialem formæ defectum. Quæritur. Primo, utrum valide ordinatus fuerit? Secundo, utrum absolutiones, quas in Sacramento Pœnitentiæ dedit, validæ fuerint? Tertio, utrum matrimonia, quibus tamquam Parochus interfuit, irrita sint?

Resp. Cum Baptismus janua sit Sacramentorum, qui baptizatus non fuit, ad alia Sacramenta recipienda ineptus, & inhabilis est; nec refert, quod Paulus desiderium Baptismi habuerit, & ita Baptismum flaminis receperit; quia licet talis Baptismus peccatum originale delere possit, jus tamen ad alia Sacramenta recipienda non tribuit, quia ab Ecclesia, in cujus manus tradita sunt, non ministratur ille flaminis Baptismus. Unde in Concilio Compendiensi, relato in cap. *Si quis*, De Presbytero non baptizato, statuitur, *quod si quis Presbyter ordinatus deprehenderit, se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur.*

Ad 2. Resp. quod ex primi dubii resolutione facile habetur, quod absolutiones ab eodem datæ, nullæ fuerunt ob Ministri defectum; si enim ejus ordinatio nulla fuit, nullam consequenter potuit jurisdictionem habere, aut spiritualem potestatem remittendi peccata, quæ illi, qui Sacerdos non est, competere nullo modo potest. Nam declarat S. Synodus Tridentina, sess. 14. c. 6. *Falsas esse, & a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos, & Sacerdotes clavium ministerium perniciose extendunt.* Non ideo tamen credendum est, illos qui vere ad Deum conversi peccata Paulo confessi sunt, illorum veniam a Dei misericordia non obtinuisse, si bona fide partes suas impleverunt.

Quoad tertium major videtur esse difficultas: cum enim a Concilio, sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1. sic decernatur: *Qui aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi licentia, seu Ordinarii, & duobus vel tribus Testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: & hujusmodi contractus, irritos & nullos esse decernit.* Videtur igitur, quod cum Paulus, qui matrimonio tanquam Parochus interfuit, neque Parochus,

rochus, neque Sacerdos delegatus fuerit, præſentia Parochi a Concilio neceſſario requiſita defuerit, & ita ex hoc capite matrimonium fuerit nullum; attamen cum conſtet, præſentiam Parochi communiter exiſtimari ſufficere, ut matrimonium validum ſit, quia ea videtur fuiſſe mens Concilii, quod illam præſentiam ſolummodo requiſivit, ut incommodis mederetur, quæ etiam tolluntur per præſentiam illius, qui communiter exiſtimatur verus Parochus, & Parochiæ poſſeſſionem publice, licet nulliter, nactus eſt: dicendum videtur, ea matrimonia eſſe valida.

CASUS VI.

Cum Joannes Sacerdos Romæ habitans, ut melius Scripturas ſacras intelligeret, Hebraicam linguam addiſcere ſummopere deſideraret, cum Mardochæo Hebræo convenit, ut apud ſe, certo conſtituto pretio, ſingulis diebus veniret, & illius linguæ plenam notitiam traderet. Finita lectione, ſæpius loquente Joanne de Prophetiis & aliis ſignis, quibus Hebræi ad novæ Legis cognitionem veramque fidem facilius devenire poſſunt, credidit tandem Mardochæus, Meſſiam veniſſe, & eſſe Chriſtum Jeſum a Judæis traditum, & crucifixum: dumque de recipiendo in Eccleſia ſolemni Baptiſmo cogitaret, acutiſſimo morbo præventus, mortemque vicinam timens, Sacerdotem, aut Chriſtianum enixe petiit, cum intentione ab eo recipiendi Baptiſmum; videnſque cognatos Hebræos, qui tunc ſoli aderant, nullis minis, aut etiam promiſſis adduci poſſe, ut Chriſtianum vocarent, in his anguſtiis, propriæ ſalutis ſolicitudine vires corporis ſubminiſtrante, e lecto, in quo decumbebat, inopinato exiliens, aquam, quæ ibi forte vicina erat, ſubito ſumpſit, & ſuper proprium caput effundens, ſeipſum baptizavit, dicens, *Ego me baptizo*, *&c.* Convaluit Hebræus, & ideo quæritur, utrum Baptiſmus, quem ſibimetipſi miniſtravit, nullus & invalidus fuerit, ita ut ſit denuo baptizandus?

Reſp. In hoc caſu, licet non pauca videretur eſſe difficultas propter ſimilitudinem ſumptam ab Euchariſtia, quam Sacerdotes ſibi in Sacrificio Miſſæ quotidie miniſtrant, quamque etiam reliqui Fideles initio naſcentis Eccleſiæ in domum deferebant, ſibique, ingruente perſecutione, aliquoties miniſtrabant: ut etiam legitur de Maria Stuarta Scotiæ Regina, quæ tale privilegium a S. Sede obtinuerat; & etiam propter matrimonium, quod juxta magis receptam opinionem, contrahentes ſibi invicem miniſtrant; attamen quia Baptiſmus vocatur ſæpius in ſacra Scriptura, & eſt regeneratio ſpiritualis; & abſurdum eſſet dicere, quod quis ſeipſum generare poſſet: adde, quod in his præſertim Sacramentis, in quibus aliqua poteſtas ſpiritualis confertur, aut remittuntur peccata, neceſſe eſt, ut non a ſemetipſo, ſed per miniſterium

 alte-

alterius, qui Deum repræsentat, tales gratiæ in Sacramentis concedantur; Alexander III. cap. Debitum, De Baptismo, sic decrevit: „ Respondemus, quod cum in„ ter baptizantem, & baptizatum debeat esse discretio, „ sicut ex verbis Domini colligitur, dicentis Apostolis: „ Ite, baptizate omnes gentes: memoratus Judæus est „ denuo ab alio baptizandus, ut ostendatur, quod alius „ est, qui baptizatur, & alius, qui baptizat “.

CASUS VII.

Qu. Quænam verba ita sunt necessaria in forma Baptismi, ut si omittantur, Baptismus invalidus, & nullus sit?

Resp. Ut huic quæstioni dilucide respondeatur, præmittendum est: Primo, quod quocumque idiomate, & quacumque lingua proferatur forma Baptismi, id ejus validitatem non impedit; ut etiam de omnibus aliorum Sacramentorum formis dici potest: Sacerdos tamen, qui Ministri Ecclesiæ personam gerit, tenetur ea tantum lingua uti, quam Ecclesia in administratione Sacramentorum adhiberi jubet: & ita Parochus, qui in nostra Ecclesia Latina, Græca aut alia quavis lingua in talibus uteretur, peccaret: sed nihilominus Sacramentum valide conferret. Secundo, alia verba sunt de essentia formæ, alia non sunt de essentia, quia non tollunt debitum sensum formæ; unde, ut docet Sanctus Thomas, *p. 3. q. 60. art. 6. in corp. In forma Eucharistiæ, verbum, enim, sublatum, non tollit debitum sensum verborum, & ideo non impedit perfectionem Sacramenti.*

His positis, respondetur, quod invocatio sanctissimæ Trinitatis, & expressio actus, & personæ baptizatæ, sunt de essentia formæ Baptismi; ita ut si quis unum ex his omittat in prolatione formæ Baptismi, talis Baptismus nullus sit. „ Si subtrahatur, *inquit Angelicus Doctor in 4.* „ *sent. dist. 3. q. 3. in corp.* aliquid, quod sit de essentia „ formæ; certum est, quod non est Baptismus, & ille „ qui baptizat, graviter peccat: & quia apud omnes in„ vocatio Trinitatis est de essentia formæ, ideo hæc „ nullo modo subtrahi potest. Sed quidam dicunt, quod „ expressio actus non est de substantia formæ; unde si „ subtrahatur, facta sola Trinitatis invocatione, erit „ Baptismus. Sed contra hoc est Decretalis Alexandri „ Papæ III. quod si quis puerum in aqua merserit di„ cendo: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus san„ cti*, si non dicat, *Ego te baptizo*, non est puer ba„ ptizatus; oportet enim, quod per formam virtus Tri„ nitatis invocatæ ad materiam propositam determinetur; „ quod fit in expressione actus. Similiter expressio per„ sonæ baptizatæ est de substantia formæ; quia per eam „ determinatur actus ad hunc Baptismum: & ideo si sub„ trahatur, non erit Baptismus. Sed expressio personæ ba„ ptizantis dicitur, quod non est de forma, quantum ad

„ ne-

„ neceſſitatem Sacramenti, ſed ex inſtitutione Eccleſiæ, ut „ intentio magis feratur ad actum illum; & ideo ſi o- „ mittatur, erit Baptiſmus, ſed peccat omittens".

Notandum tamen eſt, expreſſionem nominis, quod baptizato imponitur, non eſſe de eſſentia Baptiſmi; & ita Baptiſmum valide conferri, etiam ſi non dicatur: Petre vel Jacobe, ego te baptizo, &c. ſufficit namque ad validitatem, ut dicatur: *Ego te baptizo, &c.* quia per illud pronomen *te*, ſufficienter exprimitur perſona baptizata.

Jacobus Sacerdos Beneficium Parochiale, promovente carnis & ſanguinis affectu, per patrui reſignationem, & Epiſcopi crudelem indulgentiam, adeptus eſt, licet ſcientia neceſſario in cura animarum requiſita careret, & præcipue linguæ Latinæ admodum ignarus eſſet. Dum igitur, ſpretis conſcientiæ ſtimulis in Sacramentorum adminiſtratione perſeveraret, cum hac verborum formula baptizare ſolitus erat: *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritua ſancta*. Demum poſt aliquot annos, in ſe tandem aliquando reverſus alteri Parocho vere pio & docto conſcientiæ latebras aperit, ab eoque ad Beneficii renunciationem, antequam abſolutionis gratiam reciperet, obligatus, humiliter, Deo adjuvante, obedivit; & inſuper interrogatus, confeſſus eſt, ſe Baptiſmi formam modo ſupradicto ſemper protuliſſe. Hoc poſito, quæritur, utrum tales Baptiſmi validi fuerint, ita ut taliter baptizati, novo baptiſmo non indigeant?

Reſp. Licet videatur prima fronte, eſſentialia in hac Baptiſmi forma deficere, quandoquidem tres ſanctiſſimæ Trinitatis perſonæ in rigore non invocantur; ſiquidem verbum *Patria* non ſignificat Patrem æternum, & ſic de cæteris; attamen quia verba ſunt relativa ad mentem proferentis, & audientium, & conſideranda ſunt juxta intelligentiam moralem, & ſenſum, quem in illis efformant, potius quam juxta rigorem Grammaticæ, dicendum eſt, quod cum conſtet, talem Parochum voluiſſe his verbis tres ſanctiſſimæ Trinitatis Perſonas appellare, & in eodem ſenſu hæc verba a circumſtantibus fuiſſe intellecta, Baptiſmi validi fuerunt cum prædicta forma, nec ullo modo iterari debent, ut conſtat ex Canone *Retulerunt*, De Conſecr. diſt. 4. in quo Zacharias Papa ſic loquitur: „ Retulerunt nuncii tui, quod fuit in eadem „ Provincia Sacerdos, qui Latinam linguam penitus „ ignorabat, & dum baptizaret, neſciens Latini eloquii, „ infringens linguam diceret: *Baptizo te in nomine* „ *Patria, & Filia, & Spiritua ſancta:* ac per hoc tua „ Reverenda Fraternitas conſideravit eos baptizare. Sed, „ ſanctiſſime Frater, ſi ille qui baptizavit, non errorem „ introducens, aut hæreſim, ſed pro ſola ignorantia „ Romanæ locutionis, infringendo linguam, ut ſupra „ fati ſumus, dixiſſet; non poſſumus conſentire, ut de- „ nuo baptizentur".

CASUS VIII.

Quæst. Licet-ne patri, aut matri filios proprios baptizare?

Resp. Id nullo modo ab iis præstari debet, nisi alius ad baptizandum non adsit, & necessitas urgeat; tum quia indecens est, ut qui temporalis generationis auctor fuit, spiritualis regenerationis minister sit: tum etiam quia inde oritur inter conjugatos spiritualis affinitas, debiti petitionem impediens. Unde S. Carolus, Actor. part. 4. de Ministro Baptismi, sic loquitur. „ Parentes omni„ no caveant, ne liberos suos baptizent absque manife„ sta necessitate, cum scilicet alii quoquo modo apti non „ adsunt, & periculi urget necessitas: quod Parochus „ etiam monebit, prout usu aliquando venerit".

Quæst. Petrus videns Filium sibi ex conjuge modo natum in extremis laborare, timensque, ne prius moreretur, quam vocatus Parochus adesset, pietate motus, illum sumpta aqua baptizavit: moxque a superveniente Parocho de spirituali cognatione contracta monitus, petit utrum, tali actione, petendi debiti facultatem amiserit?

Resp. Si nullus alius aderat, qui posset puerum baptizare, & periculum mortis urgebat; cum in hoc casu nullius culpæ reus sit Pater, justum, & conveniens non esset, ut de bono opere lapidaretur, & damnum aliquod ex laudabili actu reportaret: ideoque dicendum est, Petrum, tali administratione Baptismi, non amisisse petendi debiti facultatem: quæ resolutio sumitur ex Can. *Ad limina* 30. q. 1. in quo Joannes Papa II. Episcopo Lemovicensi sic scribit: „ Dicimus omittendum esse, & „ inculpabile judicandum, quod necessitas intulit: Un„ de si supradictus genitor Filium suum corpore morien„ tem aspiciens, ne animam perpetua morte pereuntem „ dimitteret, sacri unda Baptismatis lavit, bene fecisse „ laudatur. Idcirco suæ uxori, sibi jam legitime socia„ tæ, impune, quamdiu vixerit, judicamus remanere „ conjunctum". Et in praxi difficillimum est, ut quis, ob baptizatum Filium, in talem pœnam incidat; quandoquidem illa non habet locum, nisi dum malitiose ministratur Baptismus Filio. „ Aut, *inquit S. Thomas in* „ *supplem. 3. p. q. 56. art. 1. in corp.* spiritualis cognatio „ inducitur causa necessitatis, sicut cum Pater baptizat „ Filium in articulo mortis; & tunc non impedit actum „ matrimonii ex neutra parte: aut inducitur extra ca„ sum necessitatis ex ignorantia; & tunc si ille, ex cu„ jus actu inducitur, diligentiam adhibuit, est eadem „ ratio, sicut de primo: aut ex industria extra casum „ necessitatis; & tunc ille, ex cujus actu inducitur, „ amittit jus petendi debitum: sed tamen debet redde„ re, si petatur: quia ex culpa ejus non debet aliquod „ in-

„ incommodum alius reportare". Si autem dubitaretur, utrum adesset aliqua notabilis culpa ex parte Patris baptizantis; tunc posset, majoris securitatis causa, peti dispensatio ab Episcopo.

CASUS IX.

Quæst. Ascanius ex parentibus Mahometanis natus, nescio quo morbo acuto præventus in amentiam perpetuam lapsus est, cum jam ad virilem ætatem pervenisset: non multo post illius Parentes ab Equitibus Melitensibus, una cum Filio Ascanio, capti sunt, dum ad sepulcrum Mahometis pergerent, ut Filii sanitatem, falsi Prophetæ precibus, impetrarent: cumque per aliquot menses in insula Melita a Sacerdote de Christiana Religione edocti fuissent, Baptismum enixe petierunt. Sed eodem tempore quæsitum fuit, quid de Ascanio filio demente agendum esset; & utrum baptizari posset?

Resp. Ascanius considerandus est, perinde ac si remansisset in eodem statu, in quo erat, dum in amentiam decidit: & ita cum tunc temporis nullo modo vellet Baptismum recipere, censetur in eo perseverare eadem voluntas; & sic non potest baptizari, cum non liceat adulto renuenti, & recusanti, Baptismum administrare. Unde Innocentius III. Arch. Arelatensi scribens, in cap. *Majores*, De Baptismo „Dormientes, & amentes, *inquit*, si priusquam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione persisterent; quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, etiam si fuerint sic immersi, characterem non suscipiunt Sacramenti. Secus autem si prius catechumeni extitissent: & habuissent propositum baptizandi. Tunc ergo characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem". Id etiam fuse a Sancto Thoma declaratur his verbis, p. 3. q. 61. art. 12. in corp. „ Dicendum, quod circa amentes, & furiosos, est distinguendum. Primo, quidam enim sunt a nativitate tales, nulla habent dilucida intervalla, in quibus etiam nullus usus rationis apparet: & de talibus, quantum ad Baptismi susceptionem, videtur esse idem judicium, ac de Pueris, qui baptizantur in fide Ecclesiæ. Secundo, alii vero sunt amentes, qui ex sana mente, quam habuerunt prius, in amentiam inciderunt, & tales sunt judicandi secundum voluntatem, quam habuerunt, dum sanæ mentis existerent, & ideo si tunc apparuit in eis voluntas suscipiendi Baptismum, debet eis exhiberi in furia & amentia constitutis, etiam si tunc actu contradicant; alioquin si nulla voluntas suscipiendi Baptismum in eis apparuit, dum sanæ mentis essent, non sunt baptizandi. Tertio, quidam vero sunt, qui etsi a nativitate fuerint furiosi, vel amentes, habent tamen ali-

„ qua lucida intervalla, in quibus recta ratione uti pos-
„ sunt: unde si tunc baptizari voluerint, baptizari pos-
„ sunt, etiam in amentia constituti; & debet eis tunc
„ Sacramentum conferri, si periculum timeatur: alio-
„ quin melius est, ut tempus expectetur, in quo sint sa-
„ næ mentis, ad hoc quod devotius suscipiant Sacramen-
„ tum. Quarto, si autem tempore lucidi intervalli non
„ appareat in eis voluntas suscipiendi Baptismum, ba-
„ ptizari non debent in amentia constituti. Quinto, qui-
„ dam vero sunt, qui etsi non omnino sanæ mentis exi-
„ stant, in tantum tamen ratione utuntur, quod possunt
„ de sua salute cogitare, & intelligere Sacramenti vir-
„ tutem; & de talibus idem est judicium, sicut de his,
„ qui sanæ mentis existunt, qui baptizantur volentes;
„ non autem inviti": Id unum igitur superest, ut Ascanii Parentes, ad Fidem mirabili Dei providentia conversi, enixe a Domino petant, ut Filium ita mentis compotem reddat, ut Christianæ Fidei Mysteria percipere, fidemque voluntarie amplectens, Baptismi gratiam recipere valeat.

CASUS X.

Quæst. Cum in Philippi Prioris, seu Rectoris Parochia, monstrum ex fœmina natum sit, quod duo capita distincta habet, quærit Philippus, quonam modo se gerere debeat circa talis monstri Baptismum, & utrum unicuique capiti aquam sigillatim infundere debeat, & Baptismi formam bis pronunciare?

Resp. In hoc casu, si fieri possit, & tempus suppetat, consulendus est omnino Episcopus aut ejus Vicarius, antequam Baptismus administretur, ejusque mandatis est obtemperandum. Si vero mors immineat, ut fere accidit, nec, periculo instante, Superioris responsio possit expectari; debet Philippus considerare diligenter, utrum tale monstrum, sicut duo capita, ita etiam duo pectora habeat, & reliquas corporis partes ita compositas, ut constet, duos homines in tali monstro reperiri (in quo, si fieri possit, consulendus est Medicus, aut Chirurgus, aut certe alius homo, talium rerum peritus) tunc duo sigillatim baptizandi sunt. Sin autem id dubium remaneat, uno simpliciter baptizato, aliud sub conditione baptizetur; ut videre est in instructionibus, quas pro Parochorum utilitate, summa cum maturitate, composuit sanctus Carolus Cardinalis Borromæus, Actor. part. 4 tit. *Quæ Parochus in Baptismi ministratione animadvertat*; ubi sic loquitur: „ Si quando præterea
„ monstrum humanum Baptismo offertur, videndum est
„ antequam baptizetur, an una persona sit, an vero
„ duæ? tum masculus ne sit, an fœmina? Sique re per-
„ specta dubium est, an sint duo, utpote quia duo capita
„ non habet, nec pectora bene distincta, unus intentione

„ cer-

„ certa, neque vaga, ſimpliciter baptizetur; alter vero, „ ſeu alii ſub conditione, Si non es baptizatus, &c. Si „ vero, quia duo capita, pectora duo, aut corpora et- „ iam diſtincta in monſtro apparent, homines duos eſſe „ perſpicuum eſt, ſinguli ſimpliciter baptizentur. Quod „ ſi mortis periculum in mora erit, numero plurali ba- „ ptizentur: Ego vos baptizo in nomine Patris, &c. „ Sin autem utpote unum tantum caput habens, tam- „ quam unus baptizetur, etiamſi alia membra plura ge- „ minative habeat. At vero monſtrum, quod hominis „ ſpeciem non præſefert, non baptizetur, niſi primum „ Epiſcopus conſulatur: de cujus etiam conſilio agatur, „ quod ſupra de monſtro humano dictum eſt, ſi tempus „ dabitur.

CASUS XI.

Quæſt. Jacobus natus Hebræus, in ſua ſuperſtitione, uſque ad virilem ætatem perſeveravit: tandem cum illius uxor Sara volens Chriſtianam Religionem amplecti, ipſum vehementer hortaretur, ut eamdem ſequeretur viam, & antiquis erroribus relictis, Baptiſmum reciperet; uxoris rationibus, & precibus victum ſe fingens, Baptiſmum petiit, & una cum uxore recepit, licet Chriſtianus fieri nollet. Quæritur igitur, utrum talis Baptiſmus ficte receptus, poſſit eſſe utilis ad ſalutem?

Reſp. Per talem Baptiſmum imprimitur character indelebilis, licet in eo gratia ſanctificans non conferatur, nec remittantur peccata, ob fictionis, & voluntatis peccaminoſæ, nec ad Deum vere converſæ, impedimentum, ut habetur in cap. *Majores*, de Baptiſmo. Quando igitur illud gratiæ impedimentum tolletur per veram Pœnitentiam, & converſionem Jacobi, tunc gratiam Baptiſmalem recipiet, & Sacramentum Baptiſmi ficte receptum, illi ſtatim ad ſalutem utile erit; nam ut dicit S. Auguſtinus relatus in Can. *Tunc valere*. De Conſec. diſt. 4. *Tunc valere incipit ad ſalutem Baptiſmus, cum illa fictio veraci Confeſſione receſſerit, quæ corde in malitia, vel ſacrilegiis perſeverante, peccatorum abolitionem non ſinebat fieri.*

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

CASUS I.

Quæst. I. QUalis est materia, forma, & minister Sacramenti Confirmationis?

Resp. Licet videatur, quod ex Scriptura Sacra, Conciliis, & sanctorum Patrum doctrina aliquo modo inferri possit, impositionem manuum esse materiam, orationem vero, quæ fit ab Episcopo, constituere formam hujus Sacramenti: in actis enim Apostolorum, dum de Confirmationis ministratione agitur, sic habetur, act. cap. 8. *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum: Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum-sanctum.* Unde S. Cyprianus loquens de eodem Sacramento, quod suo tempore statim post Baptismum, ut plurimum, ministrabatur, quia sæpius baptizandus adultus erat, sic ait Epistola 73. „ Nunc „ quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizan- „ tur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per meam ora- „ tionem, ac manuum impositionem, Spiritum-sanctum „ consequantur ". Similia habet S. Hieronymus in Dia- „ logo adversus Luciferianos, Sanctus Chrysostomus in cap. 8. Actor. & in cap. 6. ad Hebræos, S. Augustinus, lib. 15. de Trinitate, cap. 26. & alibi. Præterea in Concilio Moguntino anno 1560. legitur: „ Ea vero ut erant „ a Christo in die Pentecostes exhibita, & ab eisdem per „ manus impositionem in alios transfundi cœpta, actus „ ipsorum satis testantur; unde Ecclesia Catholica Spi- „ ritum-sanctum per manus Episcoporum Fidelibus tra- „ dendi normam accepit ". Et in Concilio Narbonensi anno 1606. dicitur, quod Sanctorum Constitutionibus constat „ In Sacramento, quo per impositionem manuum „ Episcopi Spiritus sanctus diffunditur in corda Fidelium, „ robur, atque fortitudinem dari ": Attamen, juxta communem in Schola sententiam, dicitur cum sancto Carolo, quod *materia hujus Sacramenti est Chrisma, quod ex oleo, & Balsamo, solemni Episcopi consecratione conficitur.* Forma autem habetur in his verbis, quæ referuntur in Rituali, aut Pontificali Romano: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.*

Communiter autem dicitur, quod hujus Sacramenti Minister ordinarius est solus Episcopus, extraordinarius autem quilibet Sacerdos a summo Pontifice specialiter delegatus; unde S. Thomas, 3. p. quæst. 72. art. 11. ad 1. di-

dicit, quod *Ex plenitudine potestatis concessit B. Gregorius Papa, quod simplices Sacerdotes hoc Sacramentum conferrent.*

Cum Thomas, paucis post nativitatem horis, in urgenti mortis periculo versari videretur, Anna Thomæ matertera illum tremebunda cum aqua rosacea, quæ in cubiculo forte aderat, baptizavit: convaluit Thomas, & post aliquot annos ad Sacramentum Confirmationis accessit; cum autem illius matertera neptem diebus Dominicis in Ecclesiam duceret, ut Doctrinæ Christianæ, quæ a zelanti Parocho fiebat, adesset: accidit, ut de materia Baptismi loquens parochus, diceret, cum aqua rosacea, aut aliis distillatis, quas vocant, non posse ministrari Baptismum; ut paucis, re ad Thomam delata, eoque rebaptizato, quæritur utrum ab Episcopo denuo confirmari debeat?

Resp. Thomas sine dubio debet rursus ad Confirmationis Sacramentum accedere; quia prima illius administratio non baptizato facta, nulla penitus fuit. *Dicendum*, inquit sanctus Thomas, *quod si aliquis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet, sed oporteret, iterato ipsum confirmari post Baptismum.*

CASUS II.

Matthæus in ignobili oppido ab Episcopali Sede multum remoto habitans, in quo ob varias itineris difficultates, rarissime Episcopus videri solet; tempore Pastoralis Visitationis, cujus occasione Confirmationis Sacramentum ministratur, in peccati mortalis luctuoso statu reperitur, ob capitalem inimicitiam, quam ab aliquot mensibus habet cum quodam suo vicino, a quo gravissimam injuriam passus est. Attamen videns, se ad vigesimum ætatis annum pervenisse, nec similem Confirmationis percipiendæ occasionem forte unquam adfuturam, vellet Matthæus ad illud Sacramentum accedere: & ideo quærit, utrum in tali statu permanens, Confirmationem petere possit, illique profutura sit?

Resp. Debet omnino Matthæus odium adversus proximum conceptum deponere, ut gratiam, quæ in Confirmatione confertur, recipiat; quod si vere pœnitere nolit, nullo modo ad Confirmationis Sacramentum accedat, quia grande sacrilegium committeret, nec gratiam ob peccati mortalis obicem, recipere posset; sed potius in Dei inimicitia magis confirmaretur, quamvis character ei licet indigno imprimeretur, ratione cujus tale Sacramentum iterari non debet. Unde ut docet sanctus Antoninus: „ Qui renunciat gratiæ Baptismali, quod fit „ per mortale commissum, postea accedens ad Confir„ mationem cum eo, non confirmaretur in gratia, „ nec augeretur sibi gratia, imo mortaliter peccaret, & „ magis debilitaretur in anima, quamvis characterem

„ recipe-

„ reciperet indelebilem; & hoc nisi restitueretur prius „ gratia amissa, quod non fit, nisi per pœnitentiam. Si „ vero ad Deum vere postmodum conversus Sacramentum Pœnitentiæ digne reciperet, tunc remoto peccati „ mortalis obice, Confirmationis gratiam consequeretur. „ *S. Anton. p. 3. tit. 14. cap. 3. §. 1.* “

CASUS III.

Quæst. 1. Carolus susceptor seu Patrinus fuit Joannis in Sacramento Confirmationis, deinde post multos annos cum Catharina Joannis Filia matrimonium contrahere desiderans, petiit, utrum cognatio, quam cum Joanne contraxit, ad illius Filiam Catharinam extendatur, ita ut illam in uxorem habere sine dispensatione non possit?

Resp. In Sacramento Confirmationis eodem plane modo contrahitur cognatio matrimonium dirimens, ac in Baptismo, ut habetur in Decretali, cap. *Nedum*, De cognatione spirituali, his verbis: „ Ex confirmatione „ quoque seu frontis Chrismatione spiritualis cognatio „ eisdem modis contrahitur, matrimonia similiter impe„ diens contrahenda, & dirimens post contracta “. Et in Concilio Tridentino expresse definitum est, quod ea cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, *Confirmantem, & confirmatum, illiusque Patrem, & Matrem, ac tenentem non egreditur*. Et ita Patrinus cum confirmata, aut confirmatæ matre contrahere non potest; nec matrina cum confirmato, aut ejus Patre; sed ultra has personas in jure expressas extendi non potest tale impedimentum, ut patet ex Concilii verbis. Unde licet aliunde Pater, & Filia censeantur quasi una, & eadem persona: attamen concludendum est in nostro casu, Carolum posse, absque ulla dispensatione, cum Catharina Joannis Filia matrimonium contrahere.

DE EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

CASUS I.

Quæst. 1. Qualis est hujus Sacramenti materia?

Resp. *Materia Eucharistiæ est panis triticeus, & vinum de vite*, ut habetur in Decreto Eugenii IV. edito in Concilio Generali Florentiæ congregato, & constat ex Evangelio.

Quæst. Antonius Parochus Diœcesis Tridentinæ, cum in

in suæ Parochiæ Montanæ Territorio triticum non reperiatur, alterius speciei frumentum, ceu hordeum, speltam, & hujusmodi, parvæ tritici quantitati miscens, farinam inde conficiebat, ex qua postmodum panes Azymos in Missæ Sacrificio consecrandos præparabat. Cumque Episcopus Tridentinus rem in sua Pastorali Visitatione cognovisset, id ei severe prohibuit. Sed quæritur, utrum valide hoc modo consecraverit?

Resp. In hoc casu videndum omnino est, utrum quantitas tritici, an vero alterius cujuslibet grani in tali materia prævaluerit, seu quæ species fuerint in majori quantitate: nam si minor fuerit quantitas tritici, videtur, quod, juxta sancti Thomæ doctrinam, talis materia fuit indebita, & ideo Parochus valide non consecravit: „ Modica permixtio, *inquit S. Thomas*, *p. 3. q. 74.* „ *art. 3. ad 3.* non solvit speciem; quia id quod est modicum, quodammodo absumitur a plurimo: ideo si fit „ modica permixtio alterius frumenti ad multo majorem „ quantitatem tritici, poterit exinde confici Panis, qui „ est materia hujus Sacramenti; si vero fit magna „ permixtio (puta ex æquo, vel quasi) talis permixtio speciem mutat; unde panis exinde confectus „ non erit debita materia hujus Sacramenti. *Et ibid. ad* „ 2. Ex talibus frumentis, *inquit*, scilicet hordeo, spelta, & farre, quæ nullo modo possunt ex semine tritici generari, non potest confici panis, qui sit debita „ materia hujus Sacramenti ".

CASUS II.

Quæst. Debet-ne Panis Eucharisticus ex farina cum aqua naturali mixta coctaque fieri?

Resp. Debet omnino, nam alias verus panis non esset; unde ait S. Cyprianus in Can. *Sic in Sanctificando*, De Cons. dist. 2. *Nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit, & copulatum, & Panis unius compage solidatum.* Et ibid. Gloss. sic loquitur; *Quid si ex melle, vel alio liquore fuerit farina asperſa, numquid transubstantiatur ille Panis in Corpus Christi? Non.* Quod tamen ita intelligendum videtur, ut si aqua non fuerit adhibita, sed tantum mel, aut alius liquor, Panis ex tali farina confectus non mutetur in Corpus Christi: nam si parum mellis adesset cum majori aquæ quantitate, videtur, quod esset materia valida, & sufficiens, sed illicita.

Quæst. Simon Presbyter in quodam Castello habitans, cum panem azymum, seu ut vulgo dicitur, hostiam, ad manum non haberet, frustulum panis fermentati sumpsit, eumque in Missa consecravit: re postmodum ad Episcopum delata, quæritur, utrum Simon valide, & licite consecraverit?

Resp.

Resp. Valida sine dubio fuit talis consecratio, quandoquidem, ut docet S. Thomas, par. 3. quæst. 74. art. 4. in corp. *Non est de necessitate Sacramenti, quod panis sit azymus, vel fermentatus, quia in unoquoque confici potest*: Et in Decreto unionis Græcorum, edito in Concilio Florentino, sic habetur: *In azymo, sive fermentato pane triticeo, Corpus Christi veraciter conficitur*. Sed dicendum est, Simonem peccasse in talis materiæ consecratione, quia Ecclesiæ suæ ritum & consuetudinem in re gravi violavit; „ Conveniens autem est, *ut ait ib. S. Thomas*, „ ut unusquisque servet ritum suæ Ecclesiæ in Sacramenti celebratione. Super hoc autem sunt diversæ Ecclesiarum consuetudines: unde sicut peccat Presbyter in Ecclesia Latinorum celebrans de pane fermentato, ita peccaret Presbyter Græcus in Ecclesia Græcorum celebrans de pane azymo, quasi pervertens Ecclesiæ suæ ritum ".

CASUS III.

Vicarius Apostolicus, dum in quadam Regni Neapolitani Diœcesi omnes etiam Rurales Parochias, ut munus sibi delatum adimpleret exacte, Sede vacante, visitaret, tres variis in locis Parochos invenit, quorum primus, ex uvis non maturis, seu agresta, nescio quam vini speciem conficiebat, & aliquoties consecrabat. Secundus mustum, seu liquorem, qui ex uvis exprimitur, antequam per ebullitionem depuraretur, in Missæ Sacrificio adhibebat. Tertius vino acescenti, seu quod in acetum converti incipiebat, non semel usus fuerat. His positis, quæritur, quid de his Parochis dicendum sit, utrum bene, vel male egerint; utrum valide, an invalide, & nulliter consecraverint?

Quoad primum Parochum, dicendum est cum Sancto Thoma, part. 3. q. 74. art. 5. ad 3. quod „ Agresta est in „ via generationis, & ideo nondum habet speciem vi„ ni: & propter hoc de ea non potest confici hoc Sa„ cramentum ". Et ita si ex vera, & totali agresta consecraverit, graviter peccavit, & nulliter egit, id est, revera non consecravit. Quoad secundum, valide quidem ex musto consecravit, sed non licite, propter indecentiam, quæ ex impuritate hujusmodi vini oritur, maxime si absque necessitate id fecit contra Ecclesiæ suæ consuetudinem: unde sic loquitur ibid. S. Thomas; „ Mustum jam habet speciem vini, & ideo de musto „ potest confici hoc Sacramentum: prohibetur etiam, „ ne mustum statim expressum in Calice offeratur, quia „ hoc est indecens propter impuritatem musti, potest „ tamen in necessitate fieri; dicitur enim a Julio Papa: „ Si necessitas fuerit, botrus in Calice comprimatur ". Demum tertius Parochus peccavit, dum scienter vinum acescens in Missæ Sacrificio adhibuit absque necessitate; attamen valide consecravit, modo vere acetum non fuerit: „ Sicut, *inquit S. Thomas, ib. ad* 2. de pane tota„ liter corrupto non potest confici hoc Sacramentum;

„ ita

„ ita nec de aceto; potest tamen confici de vino ace-
„ scenti, sicut & de pane, qui est in via ad corruptio-
„ nem; licet peccet conficiens ".

CASUS IV.

Petrus Sacerdos alteri in Tribunali confitetur, se aquam in Calice semel in Missæ Sacrificio non posuisse; quæritur igitur, utrum invalide consecraverit?

Resp. Licet quidam Theologi aliter sentiant, attamen videtur dicendum, quod valide consecravit Petrus; quia nullum adesse videtur præceptum divinum aquam adhibendi, unde sic habetur in Rubrica Missalis, tit. de defectu vini: *Si advertat celebrans post consecrationem Calicis, non fuisse appositam aquam, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti.* Sed Petrus graviter peccavit, si de industria, aut de negligentia crassa, aquam apponere omisit; quia violavit grave præceptum Ecclesiæ. Nam in Conc. Trid. sess. 22. c. 17. *Monet sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miscerent.*

CASUS V.

Quæst. Quid est Transubstantiatio?

Resp. Transubstantiatio est conversio, aut mutatio totius substantiæ in aliam substantiam. Hæc autem fieri non potest, nisi virtute divina; nam in omnibus aliis mutationibus, quæ sine miraculo, & naturaliter fiunt, remanet semper aliquid de prioris substantiæ materia, aut forma; quod in sola transubstantiatione non occurrit. Hæc vere fit per consecrationem: unde sancta Tridentina Synodus declarat, sessione 13. c. 4. „ Per consecra-
„ tionem panis, & vini, conversionem fieri citius sub-
„ stantiæ panis in substantiam Corporis Christi Domini,
„ & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus:
„ quæ conversio convenienter, & proprie a sancta Catho-
„ lica Ecclesia Transubstantiatio est appellata ".

Jacobus Ruri habitans a vigilanti Confessario de præcipuis fidei articulis interrogatus, inter alia super Eucharistia respondit, se credere, panem remanere cum corpore, & sanguine Christi post consecrationem; quia aliquando Eucharistiam a Parocho audierat appellari panem consecratum, & illum etiam post consecrationem sumptum nutrire, sicut prius. Hoc posito, quæritur, utrum Rusticus ille erraverit in fide, & quomodo instruendus sit?

Resp. Erravit procul dubio, nam in Concilio Trident. sess. 13. Can. 2. habetur, quod *Si quis dixerit, in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis, & vini, una cum Corpore, & sanguine Domini nostri Jesu Christi, anathema sit.* Docendus autem est Jacobus ex S. Ambrosio, lib. de Initiandis, cap. 9. *Si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem e Cælo depromeret, non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum?* Et juxta expositionem Catechismi Romani; „ Miran-
„ dum

„ dum non est, si post consecrationem panis etiam vo-
„ cetur. Hoc enim nomine Eucharistia appellari con-
„ suevit; tum quia panis speciem habeat; tum quia na-
„ turalem alendi, & nutriendi corporis vim, quæ panis
„ propria est, adhuc retineat. Eam autem esse sacrarum
„ litterarum consuetudinem, ut res ita appellet, cujus-
„ modi esse videantur, satis ostendit, quod in Genesi
„ dictum est, tres viros Abrahæ apparuisse, qui tamen
„ tres Angeli erant: & duo illi qui Apostolis, ascen-
„ dente in Cælum Christo Domino, apparuerunt, cum
„ essent Angeli, Viri dicuntur ".

Species autem, seu accidentia post consecrationem remanentia nutriunt, quia juxta Sanctum Thomam, part. 3. q. 77. art. 4. in corp. „ Datur quantitati dimensivæ o-
„ mne illud, quod ad materiam pertinet: & ideo quid-
„ quid posset generari ex materia panis, vel vini, si ad-
„ esset, totum potest generari ex prædicta quantitate di-
„ mensiva panis, vel vini, non quidem novo miraculo,
„ sed ex vi miraculi prius facti ".

CASUS VI.

Quæst. Quis est Minister Sacramenti Eucharistiæ?

Resp. Potest distingui Minister confectionis, seu consecrationis Eucharistiæ, a Ministro distributionis, seu administrationis ejusdem Sacramenti: *Solummodo*, ut dicitur in Can. *Perlectis*, dist. 24. *ad Presbyterum pertinet, Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini in Altari conficere*. Olim non solum Presbyter, sed etiam Diaconus poterat esse Minister distributionis Eucharistiæ, saltem sub vini specie: sed hodie id insolitum est, & nisi in gravi necessitate fieri non debet a Diacono, prout etiam in Concilio Eboracensi ann. 1094. statuitur his verbis: *Decrevimus, ut non nisi summa, & gravi urgente necessitate, Diaconus Corpus Christi cuiquam eroget.*

Petrus Sacerdos in peccatum mortale lapsus, licet dum in eo miserabili statu esset Missæ Sacrificium non celebraverit, tamen ad communicandum vocatus, Eucharistiam administravit. Nunc vero ad Pœnitentiam recurrere desiderans, petit, utrum in ea ministratione Eucharistiæ mortaliter peccaverit?

Resp. Juxta S. Augustinum relatum in Can. *Baptismus*, De consecr. dist. 4. *Justos oportet esse ministros, si ministrare juste voluerint*. Unde etiam S. Antoninus, in Confessionali, part. 3. Interrogatorii de Clericis, c. 11. docet, quod *Quotiescumque quis exequitur officium alicujus Ordinis in mortali, id mortale est*. Et ex S. Thoma in 4. sent. dist. 13. q. 1. art. 3. quæst. 1. ad 2. *Ad reverentiam ipsius in dispensante hoc Sacramentum exigitur sanctificatio morum. Et ideo*, juxta eumdem part. 3. quæst. 64. art. 6. in corp. *non est dubium, quin mali exhibentes se Ministros Dei & Ecclesiæ in dispensatione Sacramentorum, peccent. Et quia hoc peccatum pertinet*

ad

ad irreverentiam Dei, & contaminationem Sacramentorum, quantum est ex parte ipsius Peccatoris, consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale.

CASUS VII.

Joannes a paucis diebus Sacerdos, & Parochus factus, ab antiquiori, & vere prudenti, & pio ejusdem Dioecesis Parocho petit, utrum Eucharistiam omnibus petentibus administrare teneatur.

Resp. Varii Casus occurrere possunt, in quibus, juxta Ecclesiæ disciplinam, deneganda est Eucharistia. Unde S. Joannes Chrysostomus, hom. 82. in Matth. asserit, quod *Non parva Sacerdotibus imminet pœna, si quem aliqua improbitate teneri scientes, ei hujus Mensæ participationem permittant: sanguis enim ejus ex illorum manibus requiretur.* Sanctus Bonaventura, & Sanctus Thomas, in 4. dist. 9. art. 5. in ref. ad 1. q. docent, quod *Si peccatum est manifestum, debet denegari Eucharistia, sive in occulto, sive in manifesto petat.* Cæterum ex Rituali Romano, & ex Sancto Carolo, Act. par. 4. De Sacramento Euch. habetur, quod *Non admittuntur ad Communionem Hæretici, & schismatici, excommunicati, interdicti, publici criminosi, manifesteque infames, ut meretrices, publici concubinarii, fœneratores, magi, sortilegi, blasphemi, & alii id generis facinorosi homines.* Non debet etiam administrari Eucharistia fœminis, quæ cum pectore nudo, aut brachiis nudis, ad eam accedunt, ut habetur in Decreto jussu Summi Pontificis edito 13. Nov. 1683. quia earum peccatum manifestum est; sicut etiam peccatum Histrionum; unde Sanctus Cyprianus relatus in Canone, *Pro dilect.* De consecr. dist. 1. de illis sic loquitur: *Ego puto de Histrione nec Majestati Divinæ, nec Evangelicæ disciplinæ congruere, ut pudor, & honor Ecclesiæ, tam turpi, & infami contagione fœdetur per Communionem. Occultos vero peccatores*, inquit Rituale Romanum, *si occulte petant, & non eos emendatos agnoverit, repellat; non autem si publice petant, & sine scandalo ipsos præterire nequeat.*

CASUS VIII.

Guillelmus Parochus, cum apud Scriptores Ecclesiasticos legisset, olim Eucharistiam ministratam fuisse etiam pueris usu rationis carentibus, illam aliquoties talibus ministravit; donec, re ab Episcopo cognita, severe reprehensus fuit: ille huic Superioris reprehensioni humiliter obedivit; attamen quietandi animi causa quærit, utrum in tali ministratione illicite egerit?

Resp. Etiamsi constet, antiquitus variis in Ecclesiis Eucharistiam concessam pueris fuisse; nihilo tamen minus, cum talis usus a multis sæculis non immerito sublatus sit, rem illicitam fecit Guillelmus: unde S. Carolus Actor. par. 4. De Sacramento Eucharistiæ, Parochum monet

monet his verbis: „ Pueris, qui propter ætatis imbecilli-
„ tatem nondum hujus Sacramenti cognitionem, & gu-
„ stum habent, Sacram Eucharistiam non ministrabit ".
Quod fusius explicatur a Sancto Thoma, in 4. sent. dist.
9. art. 5. in resp. ad 4. quæst. „ Pueris, *inquit*, caren-
„ tibus usu rationis, qui non possunt distinguere inter
„ cibum spiritualem, & corporalem, non debet Eucha-
„ ristia dari; quia ad Eucharistiæ sumptionem exigitur
„ actualis devotio, quam tales pueri habere non possunt;
„ Pueris autem jam incipientibus habere discretionem,
„ etiam ante perfectam ætatem, puta cum sint decem,
„ vel undecim annorum, aut circa hoc, potest dari si
„ in eis signa discretionis appareant, & devotionis ".

CASUS IX.

Jacobus Parochus, cum intra fines suæ Parochiæ tres amentes reperiantur, quorum primus non omnino mentis inops dici potest, licet cognitionem, & rationem valde debilem habeat, secundus omnino demens est a nativitate, demum tertius a paucis mensibus in amentiam incidit; petit idem Jacobus a Vicario Generali, quomodo se gerere debeat cum his tribus dementium speciebus, circa administrationem Sacramenti Eucharistiæ?

Resp. Sanctus Thomas apposite, & clare huic triplici dubio respondet, in 4. sent. dist. 9. art. 5. in resp. ad 3. quæst. his verbis: „ Dicendum, quod de amentibus di-
„ stinguendum est: quidam enim dicuntur large amen-
„ tes, quia debilem mentem habent, sicut dicitur invisi-
„ bile, quod male videtur, & tamen sunt aliquo modo
„ docibiles eorum, quæ ad fidem, & devotionem Sacra-
„ menti pertinent, & talibus non oportet Corpus Christi
„ denegari.

„ Quidam vero sunt omnino carentes judicio rationis;
„ & isti vel fuerunt tales a nativitate, & tunc eis non de-
„ bet dari, quia non possunt ad devotionem induci, quæ
„ requiritur ad hoc Sacramentum; vel inciderunt in a-
„ mentiam post fidem, & devotionem Sacramenti; & tunc
„ debet eis dari, nisi timeatur periculum, vel de vomi-
„ tu, vel de expulsione, aut aliquo hujusmodi ". Eam doctrinam, circa ultimum casum, hausit Sanctus Thomas a Concilio Carthaginensi 4. relato in Canone, *Is qui p.* 26. q. 6. his verbis: „ Is qui pœnitentiam in infirmitate
„ petit, si casu, dum ad eum sacerdos invitatus venit, op-
„ pressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus
„ fuerit; dent testimonium, qui eum audierunt, & ac-
„ cipiat pœnitentiam; & si continuo creditur moriturus,
„ reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori
„ ejus Eucharistia ". Et hæc resolutio conformis est Rituali Romano, & Decreto Sancti Caroli, Actor. part. 4. De Sacram. Euchar. in quo sic habetur: „ Amentibus
„ præterea hoc Sacramentum non ministrabit: quamvis si
„ antequam in insaniam inciderint, piam, & religiosam

„ ani-

„ animi voluntatem præfetulerint, licebit in fine vitæ „ ex Decreto Concilii Carthaginenfis, modo vomitionis, „ vel alterius indignitatis, & incommodi periculum non fit.

CASUS X.

Dum Paulus Confeffarius, de falute animarum ad fe venientium vere follicitus, in quodam Caftello, occafione Miffionis, Confeffiones audiret, Pœnitentes fuos in matrimonio conftitutos, fuper educatione familiæ interrogans, aliquos reperit, qui non adhuc curaverant, ut, poft competentem inftructionem, Euchariftiam fumerent filii, & filiæ, licet ad decimum quartum, & quintum annum perveniffent: Paulus tales ferio admonuit, ut quam primum id curarent, quia ad id tenebantur. Sed cum paulo poft abiiffet Paulus, alius Confeffarius superveniens afferuit, id nimis fcrupulofe dictum fuiffe. Hoc pofito, quæritur, utrum in hoc cafu Paulus nimis fevere Penitentes monuerit?

Refp. Conftat primo, adeffe præceptum Divinum fumendi Euchariftiam, & ex Sancto Thoma, part. 3. quæft. 1. art. 11. in corp. *Manifeftum eft, quod homo tenetur hoc Sacramentum fumere, non folum ex ftatuto Ecclefiæ, fed ex mandato Domini dicentis* Luc. 2. Hoc facite in meam commemorationem; *Ex ftatuto autem Ecclefiæ funt determinata tempora exequendi Chrifti præceptum.* Conftat etiam, quod hoc præceptum obligat, faltem femel in anno, eos qui ad annos difcretionis, id eft, ad verum ufum rationis pervenerunt; nam in cap. *Omnis*, De Pœnit. & remiffion. habetur, quod *Omnis utriufque fexus Fidelis, poftquam ad annos difcretionis pervenerit, fufcipiat reverenter ad minus in Pafcha Euchariftiæ Sacramentum.* Et in Concilio Tridentino expreffe dicitur: *Si quis negaverit, omnes, & fingulos Chrifti Fideles utriufque fexus, cum ad annos difcretionis pervenerint, teneri fingulis annis, faltem in Pafchate, ad communicandum juxta præceptum Ecclefiæ, anathema fit.* His pofitis, nullus jufte dubitare poteft, quin pater, & mater teneatur ad curandum, ut filii, & filiæ, cum ad annos difcretionis, id eft, circiter ad decimum, aut undecimum annum pervenerunt, illud præceptum debito modo adimpleant. Et ita conftat, Paulum optime feciffe, dum ferio monuit tales fuos pœnitentes de hac obligatione.

CASUS XI.

Benedictus Confeffarius, novis Cafuiftis legendis affuetus, petit, quo pacto poffit fieri, ut ille, qui facrilege communicat in Pafchate, non adimpleat Ecclefiæ præceptum, cum Cafuiftæ paffim doceant, quod Ecclefia non poteft præcipere actus internos, fed tantum externos, & aliunde facrilegus ille actum externum ab Ecclefia præceptum adimpleat?

Refp. Nunc omnino indubitatum eft, quod ille, qui facrilege communicat in Pafchate, non adimplet præceptum

ptum Ecclesiæ, cum Summus Pontifex id expresse declaraverit, damnando in suo celebri Decreto contra 65. propositiones, edito die 2. Martii 1679. propositionem 15. his verbis conceptam; *Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem*. Sed ad solvendum Benedicti dubium, dicendum est, quod etiam si Ecclesia non præcipiat directe actus internos, tamen illos indirecte præcipit, quatenus necessarii sunt ad implendos debito modo actus externos expresse ordinatos in suis præceptis; Et hoc modo Ecclesia præcipit indirecte actus internos, dum imperat, ut Fideles audiant Missam diebus Dominicis, & Festivis, ut semel in anno confiteantur, & in Paschate communicent, quia illi actus externi non possunt fieri debito modo sine actibus internis Contritionis, Fidei, & similibus.

CASUS XII.

Cum Bartholomæus Laicus circa Festum Paschæ Eucharistiam accepisset, paucis diebus elapsis, in morbum periculosum incidit, ita ut crederetur morti proximus. Illius autem morbi occasione, quæsitum fuit ab ægroti Confessario, utrum Bartholomæus teneretur in hoc vitæ periculo denuo Eucharistiam sumere?

Resp. Etsi Bartholomæus Ecclesiæ præcepto in Paschate satisfecerit, tamen dubitari non debet, quin superveniente, etiam post modicum temporis spatium, periculo mortis, teneatur præcepto divino satisfacere, sumendo Eucharistiam per modum Viatici: Nam duo adsunt præcepta distincta, unum sumendi Eucharistiam in Paschate, alterum sumendi in periculo mortis. Igitur Bartholomæus satisfaciendo primo præcepto, antequam esset in periculo mortis, non liberatur, superveniente periculo, a gloriosa, & utilissima obligatione satisfaciendi secundo præcepto, sumendo reverenter sacro-sanctam Eucharistiam per modum Viatici, ut juxta Concilii Nicæni verba: *Necessario vitæ suæ Viatico non defraudetur, cujus vigore confortatus, ex hujus miseræ peregrinationis itinere ad cælestem Patriam pervenire valeat*; ut habetur in Concilio Tridentino, sess. 13. cap. 8.

CASUS XIII.

Dominicus, homo prudens, & solide pius, lectionique sacræ Scripturæ sæpius incumbens, quærit a Theologo suæ Civitatis, unde factum sit, quod, licet Salvator noster in cœna Eucharistiæ Sacramentum instituerit, Apostolisque non jejunis sumendum porrexerit; attamen nunc aliud plane observetur, ita ut extra mortis periculum, numquam Eucharistia administretur non jejunis?

Resp. Hic usus ab Ecclesia, quæ a Spiritu-sancto regitur, sapienter introductus est, propter Corporis Christi reverentiam, & ut animus magis aptus sit ad rerum spiri-

spiritualium considerationem, dum corpus cibis vacuum est. Unde in Can. *Liquido*, De Consecrat. dist. 2. qui desumptus est ex S. Augustino, in lib. resp. ad Januarium, cap. 6. vel potius Epist. 18. sic habetur: *Placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani prius Dominicum Corpus intraret, quam ceteri cibi*. Nemini autem dubium esse potest, quin Ecclesia in talibus leges, & ordinationes novas condere valeat, quæ postmodum omnes Christianos ligant: *Et ita opus est*, inquit sanctus Carolus, Actor. part. 4. De Sacram. Euchar. *ut jejuni Fideles ad Sacram mensam accedant: ita ut saltem a dimidia antecedentis diei nocte usque ad illud temporis punctum, quo Eucharistiam accipiunt, nihil omnino comederint, aut biberint*.

CASUS XIV.

Cum in his quæ ad Corpus Christi debite sumendum aliquo modo pertinent, nihil negligendum sit, & non solum dispositiones internæ adhiberi debeant, sed etiam externæ; quærit Jacobus, ut sibi talium dispositionum externarum summa aperiatur.

Resp. Id diligenter præstitit S. Carolus, ubi supra: „Quod, *inquit*, ad corporis habitum pertinet, quem in „Sacra Communione adhibeant; hæc Parochus præmo„nebit, & curabit, ut summa reverentia, omnique hu„militate Fideles accedant, ac sumant: oculis non va„gis, sed in Christi Corpus pie conjectis, ore supra „pannum lineum suppositum modeste porrecto, capite „non demisso, lingua paululum labrum inferius intus „attingente, non tamen extra os prominente, in qua „particulam suscipiant, neque linguam ipsam retrahant, „priusquam Presbyter manum removerit: tum vero ca„put humiliter demittant: ita etiam suspiriis abstineant, „quibus particulæ possint excuti; pallio, quantum fieri „potest, adhibito, non birettis pileisve pluma inaniter „ornatis, armis depositis, toto denique corporis habi„tu, decenti, humili, & modesto, non sordido. Mu„lieres non sumptuosis, non caudatis vestibus, non „crinibus inaniter intortis, non fuco, aut pigmentis „vultu illito, non pectore nudo, aut tenui velo obte„cto; sed ita vestitæ, ut præter faciem quidquam nudum „non cernatur, velo denso bene super faciem demisso".

CASUS XV.

Cum Hilarius Confessarius pœnitentibus aliquoties dicat, ut hac ipsa die ad Sacram Communionem accedant, ei non semel responsum fuit, quod, propter copulam cum marito, aut uxore præcedenti nocte habitam, communicare non audebant. Hac igitur occasione petit Hilarius, quid in similibus casibus in praxi statuendum, & pœnitentibus præscribendum, aut consulendum sit?

Resp. Aut talis actus fuit sine ullo peccato, aut aliqua

culpa maculatus fuit: in primo casu, *Dicendum*, cum S. Thoma, part. 3. q. 80. art. 7. ad 2. *quod coitus conjugalis, si sit sine peccato (puta si fiat causa prolis generandæ, vel causa reddendi debitum) non alia ratione impedit sumptionem hujus Sacramenti, nisi propter immunditiam corporalem, & mentis distractionem. Si quis ergo*, inquit sanctus Gregorius Papa in Can. *vir cum propria*, 33. q. 4. *sua conjuge, non cupidine voluptatis captus, sed solummodo liberorum procreandorum gratia utitur, ipse profecto de ingressu Ecclesiæ seu de sumendo Corporis Dominici, sanguinisque Mysterio, suo est relinquendus judicio; quia a nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere.* Et ita in simili casu, si inde magna non oriatur mentis distractio, & adsit aliqua causa devotionis, aut Festi, aut similis, potest Confessarius talibus pœnitentibus consulere, ut ad Communionem accedant, si aliunde eos bene dispositos esse sciat. Si vero in illo actu fuerit aliqua culpa, puta, quia propter voluptatem, aut etiam causa vitandæ fornicationis in se habitus fuit; tunc ut plurimum dicendum videtur pœnitenti, ut saltem hac eadem die ad Eucharistiam non accedat. Et ita intelligendum est in praxi Canon Concilii Eliberitani, relatus in Can. *Omnis*, De Cons. dist. 2. in quo sic habetur: *Omnis homo ante Sacram Communionem a propria uxore abstinere debet, tribus aut quatuor, aut octo diebus*; quia, ut docet sanctus Hieronymus in Matth. relatus a sancto Thoma, part. 3. q. 80. art. 7. ad 2. *Si panes propositionis ab his qui uxores tetigerant, comedi non poterant; quanto magis ille panis, qui de Cœlo descendit, non potest ab his, qui conjugalibus paulo ante hæsere complexibus, violari, atque contingi?* Et ut ait sanctus Carolus, ibi supra: *Hujus præstantissimi Sacramenti dignitas hoc postulat, ut qui matrimonio juncti sunt, aliquot dies a concubitu uxorem abstineant.*

CASUS XVI.

Ex occasione illius ultimæ resolutionis, petiit idem Hilarius, utrum semper venialiter peccet, qui causa vitandæ in se fornicationis, copulam matrimonialem exercet? Hæc enim doctrina multum videtur austera, & opinioni plurium novorum Casuistarum contraria.

Resp. Licet aliqui Authores novi, qui, ut ait Scriptura, *Prophetant de corde suo, & consuunt pulvillos sub omni cubito manus, ad capiendas animas*, aliter sentiant; nihilominus constans est opinio apud sanctos Patres, & melioris notæ Theologos, quod peccet venialiter, qui debitum ab uxore petit solius fornicationis in se vitandæ causa; quod fusius probari posset; sed ne brevitatis solitæ obliviscamur, satis erit authoritates S. Augustini, S. Gregorii magni, S. Thomæ, & S. Bonaventuræ hic proferre: *Reddere debitum conjugale, nullius est cri-*

mi-

minis, inquit S. Augustinus, de bono Conjugali, cap. 7. *exigere autem ultra necessitatem generandi, culpæ venialis*. Quod c. 10. ib. & l. de Decem Chordis, c. 11. & in fin. & alibi ab eodem S. Doctore confirmatur. Idem fusius asserit sanctus Gregorius, in pastorali, part. 3. c. 28. „Dicendum, *inquit expressis verbis sanctus Bonaventura, in 4. dist. 3. art. 2. q. 2. ad 1. n. 24.* quod „qui coit causa fornicationis vitandæ, aut hoc est in „se, aut in altero; si in altero, ut reddat debitum, „hoc est puræ justitiæ, hoc est fidei, & est de bonis „matrimonii; recte ideo omnino a culpa excusatur: „Qui vero coit causa fornicationis vitandæ in se, in hoc „semper peccat venialiter". Et sanctus Thomas, in 4. dist. 3. art. 2. q. 2. ad 2. „Si aliquis, *inquit*, per actum „matrimonii intendat vitare fornicationem in conjuge, „non est aliquod peccatum, quia hoc est quædam redditio debiti, quod ad bonum fidei pertinet. Sed si in„tendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua su„perfluitas, & secundum hoc est peccatum veniale; nec „ad hoc est matrimonium institutum, nisi secundum in„dulgentiam, quæ est de peccatis venialibus". Advertendum autem est, quod ut quis utens matrimonio censeatur principaliter intendere procreationem filiorum, non est necesse, ut actualiter in ipsa copula de filiis cogitet, sed sufficit, si virtualiter, vel etiam habitualiter intendat, id est, ut aliquando generationem intenderit, nec eum finem postea expresse excluserit, & ita sit dispositus, ut si de generatione filiorum tunc cogitaret, eam vellet.

CASUS XVII.

Raymundus celebris Confessarius, cum apud quosdam novos Scholasticos auctores legisset, majorem fructum percipi ex sanctissima Eucharistia, dum per longius temporis spatium species remanent in stomacho incorruptæ; quibusdam piis mulieribus, quarum Confessiones excipere solitus erat, multas sanctissimæ Eucharistiæ particulas in Communione tradebat. Sed cum id notatum fuisset a zelanti Parocho, Raymundum primo fraterne monuit, ut a tali usu abstineret: cumque ille acquiescere nullo modo voluisset, rem ad Vicarium Generalem detulit; qui hac occasione petit, utrum Raymundus a tali usu removendus sit?

Resp. Nihil in Ecclesia a privatis Ministris innovari potest, maxime circa administrationem Sacramentorum: & in Concilio Tridentino, sess. 7. Can. 13. sancitur, quod „Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ „Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum admini„stratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine „peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos „alios per quemcumque Ecclesiæ Pastorem mutari pos„se, anathema sit". Ille autem Raymundi usus novus

est, & Ecclesiasticæ disciplinæ contrarius. Præterea: ut docet sanctus Hilarius, relatus in Can. *Ubi pars*. De Consf. dist. 2. „ Ubi pars est Corporis, est & totum: ea„ dem ratio est in Corpus Domini, quæ in manna, „ quod in ejus figura præcessit, deque ea dicitur: Qui „ plus collegerat, non habuit amplius, neque qui minus „ paraverat, invenit minus. Non est omnino quantitas „ visibilis in hoc æstimanda Mysterio, sed virtus Sacra„ menti spiritualis". Et ita nullam utilitatem habet talis usus, ut etiam infertur ex doctrina sancti Thomæ, part. 3. q. 80. art. 12. ad 3. Unde Sacra Congr. Concilii, in Decreto circa Communionem quotidianam, dato 12. Febr. 1679. sic loquitur; *Episcopi, Parochi, seu Confessarii admoneant, nulli tradendas plures Eucharistiæ formas, seu particulas; neque grandiores, sed consuetas.* Quod tamen non impedire videtur, quominus ob aliquam necessitatem occurrentem id possit prudenter fieri.

CASUS XVIII.

Bernardus a paucis mensibus Parochiæ possessionem adeptus, reperit multos ex Parochianis suæ curæ commissis, qui semel in anno, aut saltem raro admodum Sacram Eucharistiam accipere consueverunt: alios vero, præsertim ex fœminis, qui non solum singulis diebus Dominicis, & Festivis, sed etiam quotidie ad Sacram Communionem accedunt. Quærit igitur, quo pacto se gerere debeat cum utrisque?

Resp. Cum frequentatio Sacramenti Eucharistiæ ita utilis, & laudabilis sit, ut Ecclesia optaret, *Ut in singulis missis Fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, prout habetur in Concilio Tridentino*: sess. 22. cap. 6. absque dubio debet Bernardus, eos qui frequenter communicant, præferre aliis raro communicantibus, quos paterne hortari convenit, ut ad tam grande beneficium sæpius cum fructu recipiendum solicite se disponant. Nam, ut ait sanctus Thomas in 4. dist. 12. art. 2. in resp. ad 3. q. „ Cum Eucharistiam accipere sit bonum „ ex genere suo, assumere eam est bonum per se, absti„ nere, est bonum per accidens, in quantum scilicet „ timetur, ne inordinate sumatur. Et quia id, quod est „ per se, præjudicat ei, quod est per accidens; ideo „ simpliciter loquendo, melius est Eucharistiam assume„ re, quam ab ea abstinere". Eos autem, qui sæpissime ad Sacram Communionem accedunt, monere debet Bernardus, quod iste est panis fortium; & ita studiose curare debent, ut totius vitæ innocentia, & solita charitatis, humilitatis, mortificationis, & aliarum virtutum exercitatione ferventes, tam pretioso cibo non indigni habeantur, illumque cum fructu recipere frequenter possint. Hanc autem regulam assignat sanctus Thomas in 4. sent. dist. 12. q. 3. art. 1. in resp. ad 2. quod scilicet: „ Si „ ali-

„ aliquis experimentaliter cognosceret, ex quotidiana
„ sumptione fervorem amoris augeri, & reverentiam non
„ minui, talis deberet quotidie communicare. Si autem
„ sentiret, per quotidianam frequentationem reverentiam
„ minui, & fervorem non multum augeri, talis deberet
„ interdum abstinere, ut eum majori reverentia, & de-
„ votione postmodum accederet“.

CASUS XIX.

Cum Petrus Sacerdos audiisset, veram peccatorum contritionem propter Deum super omnia dilectum sufficere ad reconciliationem, & obtinendam quorumcumque peccatorum remissionem; ille talem Theologorum doctrinam male intelligens, aliquoties celebravit, etiam si peccati mortalis sibi conscius esset, difficileque ei non esset Confessarium invenire putans sufficere, quod se ad contritionem excitaret. Nunc vero in se reversus, petit, utrum in hoc graviter peccaverit?

Resp. Graviter haud dubie peccavit Petrus, maxime cum talis ignorantia in Sacerdote inexcusabilis sit: & aliunde certum est, quod non potest obtineri remissio peccatorum sine dolore, votum, & desiderium Sacramenti includente; nam ut habetur in Concilio Tridentino, sess. 14. c. 4. *Etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsa nihilominus reconciliatio ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non est adscribenda.* Præterea etiam si Petrus non habuisset copiam Confessarii, & necessitate aliqua urgente celebrasset, tenebatur confiteri quamprimum, ut habetur ib. sess. 13. c. 7.

CASUS XX.

Catharina pia matrona, cupiens Eucharistiæ Sacramentum frequenter recipere, sed timens, ne iis dispositionibus careat, de quibus multa sæpius a Concionatoribus audivit, humiliter a Confessario petit, quomodo debeat esse dispositus, qui V. G. singulis diebus Dominicis communicare utiliter desiderat?

Resp. Sanctus Franciscus Salesius paucis verbis hanc quæstionem resolvit, in introductione ad vitam devotam, part. 2. c. 19. in fine ubi sic loquitur: *Per comunicarsi ogni otto giorni, bisogna non avere nè peccato mortale, nè affetto al peccato veniale, ed avere un gran desiderio di comunicarsi.* Hanc autem doctrinam sumpsit ex Can. *Quotidie*, De Consecrat. dist. 2. qui a Gratiano adscribitur sancto Augustino; in quo Canone fuse tractatur de hac materia.

CASUS XXI.

Dum Philippus os aqua sumpta, pro more, abstergeret die Dominica, in qua ad Sacræ Eucharistiæ Mensam

reverenter accedere decreverat, accidit, ut paucas aquæ guttas imprudens transglutiret: quare non parum commotus, quærit a Confessario, utrum a Communione hac die abstinere debeat?

Resp. Hunc casum perspicue resolvit Sanctus Thomas, dum sic loquitur, part. 3. q. 80. art. 8. ad 4. „ Reliquiæ „ cibi remanentes in ore, si casualiter transglutiantur, „ non impediunt sumptionem hujus Sacramenti, quia „ non trajiciuntur per modum cibi, sed per modum sa„ livæ. Et eadem ratio est de reliquiis aquæ, vel vini, „ quibus os abluitur, dummodo non trajiciantur in ma„ gna quantitate, sed permixtæ salivæ; quod vitari non „ potest ". Idem habetur in Rubrica Missalis, tit. de Defectibus Corporis.

CASUS XXII.

Cæcilia perpetuo morbo laborans a pluribus mensibus, cum ob nescio quam stomachi debilitatem, magnam cibi quantitatem simul sumere non possit, & ita ut plurimum post trium horarum intervallum, aliquid de novo sumere cogatur, ægre admodum a media nocte usque ad horam, in qua Eucharistia a Parocho ad Ægrotos deferri consuevit, jejuna permanere potest: sicque vellet per modum Viatici sæpius communicare; sed Parochus petit, utrum id licite fieri possit?

Resp. Constat primo, quod, ut habetur in Rituali Romano, *Potest Viaticum brevi morituris dari non jejunis*; quia in hoc casu Ecclesia dispensat ab observatione præcepti ab ea introducti. Sed non videtur, quod in eodem morbo sæpius debeat dari Eucharistia per modum Viatici, nisi aliquod novum periculum urgeat, ut a sacra Congregatione Concilii declaratum fuit. Præterea advertendum, quod in talibus morbis perpetuis, sæpius non adest periculum mortis, nisi remotum, ob quod Eucharistiam per modum Viatici ministrari non convenit. Et ita in casu proposito respondendum videretur, quod Cæcilia aliquod incommodum patienter sustinere debet, ut tanti doni particeps fiat: & vicissim Parochus horam solitam prævenire potest, ut Cæciliæ infirmitati consulat, & Eucharistiam per modum viatici, sine novo periculo mortis, in eodem morbo sæpius non exhibeat.

CASUS XXIII.

Cum Bernardus Juvenis Clericus aliquoties pollutionem nocturnam dormiens patiatur, quærit, utrum ea de causa abstinere debeat a perceptione Eucharistiæ die proxime sequenti?

Resp. Hic casus a sancto Gregorio Papa resolutus fuit in responsionibus ad Augustinum Angliæ Primatem, & a S. Thoma illius sancti Pontificis sententia fuse declaratur in 4. sent. dist. 9. art. 4. q. 1. in resp. ad 2. q. Ex cujus verbis concludi posse videtur in praxi, quod dum pollutio no-

nocturna ex aliquo præcedenti peccato, præsertim gravi, ortum habuisse creditur, aut etiam dubitatur, tunc a Communione omnino abstinendum est in die proxime sequenti: & ita si quis, propter nimiam crapulam, aut ebrietatem, aut cogitationes turpes, in quibus vigilans voluntarie delectatus est, aut etiam, a fortiori, propter actus aliquos præcedentes castitati contrarios, pollutionem dormiens patiatur; a perceptione Eucharistiæ abstinere debet. Si vero sine aliqua præcedenti culpa id accidat, tunc si imaginatio seu phantasia inhonestis repræsentationibus nimium turbata remaneat, communicare non convenit, nisi aliqua necessitas adsit. Quod si neque culpa præcesserit, neque turbatio aut distractio magna, circa turpia, secuta sit, tunc suo est relinquendus judicio, qui talem pollutionem passus est, & a perceptione Eucharistiæ, ea de causa, ordinarie prohiberi non debet.

CASUS XXIV.

Petro, qui a paucis mensibus Confessiones in Magna Italiæ Civitate excipit, aliquoties evenit, ut dum pœnitentibus peccatorum mortalium reis absolutionem, juxta sancti Caroli numquam satis laudatas instructiones, differret, quia eos verum de peccatis dolorem, & firmum ea imposterum vitandi, propositum habere non putabat; illi, tam salutarem dilationem graviter ferentes, responderint, se eadem ipsa die ad Eucharistiam accedere velle; qua de causa petit Petrus, utrum expediat, ut peccatorum mortalium rei, statim post Confessionem ad Communionem accedant?

Resp. Angelicus Doctor hunc casum resolvere videtur, dum dicit, in 4.sent.dist.9.art.4. quæst. in resp. ad 2. q. *Quod non esset consulendum alicui, quod statim post peccatum mortale, etiam contritus, & confessus, ad Eucharistiam accederet; sed deberet, nisi magna necessitas urgeret, per aliquod tempus, propter reverentiam, abstinere.* Et S. Ambrosius in Can. *Nonnulli*, De Pœnit. dist. 1. sic loquitur: *Nonnulli ideo poscunt pœnitentiam, ut statim sibi reddi Communionem velint: hi non tam se solvere cupiunt, quam Sacerdotem ligare, suam enim conscientiam non exuunt, Sacerdotis induunt, cui præceptum est*: Nolite Sanctum dare canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos; *hoc est immundis spiritibus sacræ Communionis non impendenda consortia.* Quod etiam a sancto Isidoro Hispalensi, lib. 1. De Officiis Ecclesiast. magis dilucide explicatur his verbis: *Si talia sunt peccata, quæ quasi mortuum removeant ab Altari, prius agenda pœnitentia est, ac sic deinde hoc salutiferum medicamentum suscipiendum:* qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit: *hoc est enim indigne accipere, si eo tempore quis accipiat, quo debet agere pœnitentiam.*

Eadem plane habentur apud S. Augustinum, Ep. 118. & S. Anselmum, in Comment. in Epist. 1. ad Cor. c. 11. Et ita Petro respondendum videtur, quod licet, qui vere sine peccato mortali est, non teneatur necessario abstinere ab Eucharistia; tamen in praxi sæpius non expedit, ut qui peccata evidenter mortalia commiserunt, statim, etiam post Confessionem, ad Eucharistiam sumendam, aut etiam celebrandum accedant, & ut plurimum melius, & utilius est, ut per aliquod tempus peccata plangant, & se humiliter ad communicandum disponant.

DE SACROSANCTO
MISSÆ SACRIFICIO.

CASUS I.

CUM Guillelmus Laicus homo, sed doctus, & lectioni sacræ Scripturæ assuetus, legisset in Apocalypsi, c. 1. *Quod Christus lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos Regnum, & Sacerdotes, Deo & Patri suo*; Quod in Epist. 1. Petri, cap. 2. omnibus Fidelibus dicitur: *Ipsi tamquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis, Sacerdotium Sanctum, offerre spirituales hostias Deo per Jesum Christum*: petiit a suæ Civitatis Theologo, quomodo hæc sacri textus verba intelligerentur, & utrum omnes Fideles Sacrificium Missæ offerre deberent?

Resp. In oblatione Sacrificii, aliud est exterius, & visibile, aliud interius, & invisibile: id quod in oblatione Sacrificii interius est, & invisibile, competit cuilibet Christiano, & sub hac ratione omnes in locis citatis dicuntur Sacerdotes: quia omnes tenentur se, & sua offerre Deo ex toto corde, & hoc modo cognoscere supremum Creatoris in omnes creaturas dominium; Oblatio autem externa Sacro-sancti Missæ Sacrificii, qua significatur oblatio interna, non competit modo externo, & visibili, nisi Sacerdotibus constitutis a Deo tamquam Ecclesiæ Ministris; licet oblatio ejusdem Sacrificii modo invisibili, & in corde fieri debeat a cunctis Fidelibus, qui Sacro-sanctam hostiam Deo offerunt, dum se Sacerdotis, & ipsiusmet Christi offerentis intentioni conformant. Unde etiam in Missa Sacerdos ad Fideles adstantes conversus, sic loquitur: *Orate Fratres, ut meum, ac vestrum Sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem*. Et sanctus Petrus Damianus, in Opusculo de Dominus vobiscum, cap. 7. asserit, quod *A cunctis Fidelibus, non solum viris, sed etiam mulieribus, Sacrificium illud laudis offertur, licet ab uno spe-*

cia-

cialiter offerri Sacerdote videatur. Quod etiam expressis verbis habetur in Tractatu de Mysteriis Missæ ab Innocentio Papa III. composito, l. 3. c. 6. *Non solum*, inquit, *offerunt Sacerdotes, sed & universi Fideles; nam quod specialiter adimpletur Ministerio Sacerdotum, hoc universaliter agitur voto Fidelium.*

CASUS II.

Non ita pridem accidit, ut Simon Sacerdos, ob grande scelus, capitali pœna dignus, solemni ritu ab Episcopo degradaretur, & postmodum Curiæ sæculari traderetur: ille sequenti nocte, ruptis alicujus fenestræ cancellis, e carcere aufugit: cumque in longinquam regionem pervenisset, ibique plane ignotus esset, Missæ Sacrificium aliquoties celebrare ausus est: quæ res, cum postmodum a multis cognita fuisset, variarum quæstionum occasionem dedit, & in primis quæsitum fuit, utrum Simon degradatus, valide consecrasset, & celebrasset?

Resp. Dubium esse non potest, quin in tali consecratione Simon gravissime peccaverit: attamen dicendum est, eum nihilominus illicite quidem, sed valide consecrasse, & celebrasse: quia, ut docet Sanctus Thomas part. 3. q. 82. art. 8. „ Potestas consecrandi Eucharistiam „ pertinet ad characterem Sacerdotalis ordinis; character „ autem quilibet, quia cum quadam consecratione datur, „ indelebilis est, sicut & quarumcumque rerum consecratio- „ nes perpetuæ sunt, nec amitti, nec reiterari possunt. Un- „ de manifestum est, quod potestas consecrandi non amitti- „ tur per degradationem: & sic patet, quod Sacerdos „ degradatus potest conficere hoc Sacramentum “.

CASUS III.

Jacobus cujusdam Ecclesiæ Cathedralis Canonicus, cum a sex, & amplius mensibus morbo epileptico, seu, ut vulgo dicitur, morbo caduco laboraret, Missæ Sacrificium celebrare non audebat, sed cum per aliquot dies illius morbi violentia intermissa plane videretur, Jacobus liberum se putans, celebravit, & dum ultimum Evangelium legeret, epilepticam syncopem passus est, ita ut necesse fuerit, eum subito plurium manibus in locum viciniorem ferri. Hacque occasione, quæritur utrum epileptico morbo laborantes celebrare licite possint, & utrum Jacobus in tali casu peccaverit?

Resp. „ Dicendum, *cum Sancto Thoma*, *part.* 3. *q.* 82. „ *art.* 10. *ad* 3. quod debilitas, vel ægritudo superveniens „ Ordini Sacerdotali, Ordinem non tollit, executionem „ tamen Ordinis impedit quantum ad consecrationem „ Eucharistiæ, quandoque quidem propter impossibilitatem „ executionis, si privetur oculis, aut digitis, aut „ usu linguæ: quandoque autem propter periculum, sic- „ ut patet de eo qui patitur morbum caducum, vel et-

„ iam quamcumque alienationem mentis “. Et ita qui epileptico morbo laborant, licite celebrare non possunt, ut habetur etiam in Epistola Decretali Alexandri Papæ II. Canon. *In tuis litteris*, 7. q. 2. his verbis: „ Con-„ sulimus, ut si frequenter hoc morbo tangitur, a Mis-„ sarum celebratione modis omnibus prohibeatur; inde-„ cens enim est, & periculosum, ut in consecratione Eu-„ charistiæ morbo victus epileptico cadat “. Igitur in praxi videndum est, utrum adsit probabile periculum: in quo casu a celebratione abstinere omnino debet Sacerdos, nec facile se tali discrimini committere, etiamsi per aliquod tempus nihil passus sit. Et ita concludendum est, quod peccatum Jacobi in casu proposito æstimari debet secundum rationem periculi, cui se exposuit in celebrando: quia scilicet majus peccatum commisit si majori periculo se exposuit, minus vero si minori. Saltem ex tali casu hunc fructum sumere debet, ut scilicet, proprio damno cautior effectus, a celebratione Missæ omnino abstineat.

CASUS IV.

In magna Italiæ Civitate accidisse dicitur, ut intra paucos dies Joannes Sacerdos in paralysim laberetur in ipsa celebratione Missæ, antequam ad consecrationem pervenisset: Paulus vero post consecrationem, sed ante consummationem, subito moreretur. Post sedatum utcumque tumultum in Ecclesia ex talibus casibus exortum, quæritur, quid tamen in utroque faciendum sit, quidve de utraque Missa statuendum?

Resp. Utrique casui ab Ecclesia opportunum remedium assignatum est juxta mentem Concilii Toletani, relati in Can. *Nihil*, 7. q. 1. Sique Sacerdotes, in quorum Ecclesia talia acciderunt, in Missalis Rubrica versati fuissent, eamque sæpius percurrissent, ut ex officio debebant, statim sine ulteriori inquisitione, his casibus occurrentibus cum populi ædificatione providissent. Decernitur enim in prima Rubrica Missalis, tit. de Defectibus in Ministro ipso occurrentibus, „ Quod si Sacerdos ante con-„ secrationem graviter infirmetur, vel in syncopem in-„ ciderit, aut moriatur, prætermittitur Missa. Si post „ consecrationem Corporis tantum, ante consecrationem „ sanguinis, vel utroque consecrato, id accidit, Missa „ per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille „ desiit, & in casu necessitatis, etiam per non jejunum “.

CASUS V.

Quæst. Requiritur-ne necessario ad consecrationem, ut materia consecranda sit præsens Sacerdoti consecranti?

Resp. Requiritur omnino, nec materia quæ præsens non est, ullo modo consecrari potest, quia forma ei non applicatur, nisi quatenus est præsens. Præterea, ut docet Sanctus Thomas in 4. sent. dist. 1. „ Ipsa forma pronomi-„ ne demonstrativo utens, ostendit, quod materia con-

„ se-

„ secranda debet esse coram Sacerdote, unde Sacerdos
„ existens in domo sua, non posset consecrare panem,
„ qui est in altari".

CASUS VI.

Cum Gregorius Sacerdos in die Paschatis in amplæ Parochiæ Ecclesia celebraret, multæ Hostiæ in Vase, seu Pyxide inclusæ, a Ministro ei ante oblationem traditæ sunt, ut eas consecraret: ille nesciens, in Rubrica Missalis dici, quod ante consecrationem hujusmodi Hostiarum, discooperiendum est Vas, in quo continentur, illud coopertum reliquit, licet tales Hostias consecrare intenderet. Hoc posito, quæritur, utrum illæ Hostiæ censeantur ita fuisse præsentes Sacerdoti, ut illarum consecratio valida fuerit?

Resp. Ut hujusce casus resolutio clarior evadat, notandum est, requiri præsentiam moralem in consecratione cum aliqua advertentia consecrantis; præsentia autem moralis tunc adest, quando, secundum communem æstimationem, res non est multum a nobis remota: & ita Hostia, quæ est super altari, dum Sacerdos celebrat, dicitur moraliter præsens, quia moraliter loquendo non multum distat a Sacerdote, qui advertit illam esse in altari. His positis, dicendum est, Gregorium valide consecrasse; quandoquidem illæ Hostiæ, quantumcumque in vase cooperto inclusæ, vere erant ei moraliter præsentes, neque enim necesse est, absolute tales Hostias videre; unde Sacerdos cæcus Hostiam manu tenens, valide proculdubio consecraret; & ille qui magnum Hostiarum numerum consecrat, non debet necessario omnes individualiter videre, aut tangere. Attamen Gregorius peccavit, si scienter, aut ex negligentia, & ignorantia earum rerum, quæ ad proprium statum pertinent, tale Vas Hostiis plenum ante consecrationem aperire omisit; dicitur enim in Rubrica: „ Quod si adsit vas cum aliis „ Hostiis consecrandis, antequam accipiat Hostiam, di„ scooperit manu dextera Calicem, seu vas aliarum Ho„ stiarum".

CASUS VII.

Quæst. Qualis est forma, qua panis in Eucharistia consecratur?

Resp. A sanctis Evangelistis *Matthæo*, *& Luca*, *itemque ab Apostolo docemur*, *illam esse formam*, *Hoc est Corpus meum*: ut habetur in Catechismo Romano.

Hieronymus Sacerdos, Sacrum Missæ Sacrificium, in cujus conspectu Angeli contremiscunt, celeriter nimis, & festinanter celebrare, miserabiliter, & per summam cæcitatem, assuetus, ipsa consecrationis verba sine particula *Enim* aliquoties protulit. Demum post aliquot annos, raro inter Sacerdotes indevotos exemplo, de vita in melius mutanda serio cogitans, petit, quid de tali

omissione dicendum sit; & utrum, ea non obstante, valide consecraverit?

Resp. Valida fuit consecratio, quamvis particula *Enim* fuerit omissa, sed Hieronymus, qui ex nimia festinatione, & negligentia, illam omisit, graviter peccasse censendus est: *Ly enim sublatum*, inquit Sanctus Thomas, part. 3. q. 60. art. 8. in corp. *non tollit debitum sensum verborum, & ideo non impedit perfectionem Sacramenti, quamvis possit contingere, quod ille qui prætermittit, peccet ex negligentia vel contemptu.*

CASUS VIII.

In Ecclesia Cathedrali non ita pridem accidisse dicitur, ut Stephanus consecrans incogitanter, & alio distractus, diceret: Hoc est enim Corpus Christi; statimque errorem suum agnoscens, cum se turbatum omnino esse sentiret, anxius animo, Ministro injungit, ut Sacristam vocet, a quo petit, quid sibi agendum sit?

Resp. Debet Stephanus denuo consecrare, legitima verba formæ super eadem materia proferendo, quia quod antea egit, inutiliter, & nulliter egit: mutavit enim substantiam formæ, quæ pronunciatur in nomine, & ex persona Christi, non autem ex persona Sacerdotis celebrantis: *Ubi*, inquit S. Ambrosius, l. 4. de Sacram. c. 4. *venitur, ut conficiatur Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos utitur, sed utitur sermonibus Christi.* Unde etiam sic loquitur Angelicus Doctor, part. 3. q. 98. art. 1. in corp. *Forma hujus Sacramenti profertur quasi ex persona ipsius Christi loquentis, ut detur intelligi, quod Minister in perfectione hujus Sacramenti nihil agit, nisi quod profert verba Christi.*

CASUS IX.

Dum in Natalis Domini Festo Joannes celebraret, & ipso ultimæ Missæ contextu Eucharistiam fidelibus administraret; videns paucas superesse Hostias consecratas, cum tamen magna adhuc populi multitudo Communionem peteret, ad Altare conversus, magnum Hostiarum sibi a Ministro in Pyxide porrectarum numerum prolatis consecrationis verbis consecravit, & statim populo expectanti porrexit. Quæritur igitur, utrum valide, & licite egerit?

Resp. Valide consecravit Joannes, quia adfuit materia legitima, forma, & intentio; sed in hoc grande scelus admisit, quandoquidem in re tam gravi, consuetudinem & ritum Ecclesiæ temerarie violavit: Et, ut habetur in Concilio Tridentino, sess. 7. Can. 13. *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministro pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiæ Pa-*

storem mutari posse, anathema sit. Quamvis enim, inquit S. Thomas in 4. sent. dist. 11. q. 2. art. 1. quæstiuncula 1. ad 4. *consecratio panis non dependeat a consecratione vini, tamen potius deberet desistere, qui non haberet utrumque, quam conficere præter morem Ecclesiæ, in una tantum specie: quamvis etiam si in una tantum consecraret, consecratum esset; peccaret autem graviter*. Et alibi, part. 3. q. 78. art. 1. ad 4. *Graviter*, inquit, *peccaret Sacerdos sic conficiens hoc Sacramentum, utpote ritum Ecclesiæ non servans*.

CASUS X.

Accidit, ut Alphonsus paulo post consecrationem recordaretur, se aliquid eadem die manducasse; qua re plurimum commotus, auxius animo diu hæsit, tandemque Missam absolvit. Modo petit, utrum absolvere debuerit, an vero desistere, alterique perficiendam, & consummandam relinquere?

Resp. Sanctus Thomas hunc casum, ut & alios similes, pro more suo, accurate resolvit juxta numquam satis in praxi laudatum Juris Canonici principium (*Cap. ad audientiam, de homicidio*), „ *quod scilicet*: In du„ biis semitam eligere debemus tutiorem. Dicendum, *in*„ *quit Angelicus Doctor S. Thomas, 3. p. q. 83. art. 6.* „ *ad* 2. quod ubi difficultas occurrit, semper est accipien„ dum illud quod habet minus de periculo; maximum au„ tem periculum circa hoc Sacramentum est, quod est con„ tra perfectionem hujus Sacramenti, quia hoc est imma„ ne sacrilegium; minus autem est illud, quod pertinet „ ad qualitatem sumentis. Et ideo si Sacerdos recorde„ tur se aliquid comedisse, vel bibisse, nihilominus debet „ perficere Sacrificium, & sumere Sacramentum. Simi„ liter si recordetur se peccatum aliquod commisisse, de„ bet pœnitere cum proposito confitendi, & satisfacien„ di; & sic non indigne, sed fructuose sumet Sacramen„ tum: & eadem ratio est, si meminerit, se excommu„ nicationi cuicumque subjacere; debet enim assumere „ propositum humiliter absolutionem petendi, & sic per „ invisibilem Pontificem Jesum-Christum absolutionem „ consequetur, quantum ad hunc actum, quod peragat „ divina Mysteria. Si vero ante consecrationem alicujus „ prædictorum sit memor, tutius reputarem (maxime „ in casu manducationis, & excommunicationis) quod „ Missam incœptam desereret: nisi grave scandalum ti„ meretur. *Idem habetur in Rubrica Missalis* “.

CASUS XI.

Camillus Sacerdos, in magna Italiæ Civitate procuratoris muneri applicatus, & ita multiplicibus litium, & causarum undequaque ad se confluentium curis distractus, per plures annos a celebratione Missæ penitus cessavit, quia se putabat debitæ reconciliationi, & præpa-

ratio-

rationi vacare non posse. Cum demum serio a Parocho ea de re monitus fuerit, petit, utrum in hac cessatione graviter peccaverit, & quid tandem agere debeat?

Resp. Dubium non est, quin Sacerdos teneatur uti potestate in ordinatione accepta circa celebrationem Missæ, cum id sit principale ejus officium, & hæc obligatio Sacerdoti intimetur ab Episcopo nomine Ecclesiæ in ipso Ordinationis actu his verbis: *Sacerdotes oportet offerre*, ut habetur in Pontificali Romano, tit. De Ordinatione Presbyteri: *Unusquisque*, inquit S. Thomas, p. 3. q. 82. art. 10. *tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum; unde Sacerdoti, etiam si non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare.* Et in Concilio Tridentino, sess. 23. De Ref. c. 14. sic habetur: *Curet Episcopus, ut Sacerdotes saltem diebus Dominicis, & solemnibus Missas celebrent.* Ratio autem cessationis a Camillo adducta eum nullo modo excusat, quia non mirum, si, ut ait S. Thomas, 1. 2. q. 19. art. 6. ad 3. *Sicut in syllogistis, uno inconvenienti dato, necesse est alia sequi; ita in moralibus, uno inconvenienti posito, ex necessitate alia sequuntur*, valde inconveniens est, quod Sacerdos, *qui vere homo Dei vocatur, qui ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis*; (*1. ad Tim. cap. 6. ad Hebr. c. 6. 2. ad Tim. c. 2.*) implicet se negotiis sæcularibus, contra expressum Apostoli præceptum, in sacris Canonibus, & novissime Concilii Tridentini (*sess. 21. de Ref. c. 2.*) Decretis sæpius inculcatum. Non igitur mirum, si hoc inconvenienti posito (dum scilicet Camillus litium procurator est) alia inconvenientia sequantur, ita ut functionibus Ecclesiasticis attendere non possit. Sed quia ratio naturalis dictat, quod quis tenetur abstinere ab his, quæ illum a propriis obligationibus implendis impediunt; causarum forensium curam Laicis relinquere deberet Camillus, ut his quæ Sacerdotis statui conveniunt, facilius fideliusque attenderet, & insuper de præteritis gravibus erroribus Pœnitentiam ageret.

CASUS XII.

Michael Sacerdos otiosus, & solitus quasi sine ulla præparatione ad celebrandum accedere, in pium eruditumque Confessarium, Deo sic misericorditer disponente, incidit, qui magnam illi super hac præparatione quæstionem movit, cum tanto ejusdem Michaelis fructu, ut ex ea die culpam humiliter agnoscens, anxie quærat, quid ea de re sancti Patres dixerint, & quomodo se imposterum ad tam sanctam functionem parare debeat?

Resp. Qui ea, quæ fuse super hac materia a sanctis Patribus scripta sunt, colligere vellet, volumina impleret. Legere potest Michael perfectionem P. Rodriquez S. J. & librum cui titulus: *Il vero Ecclesiastico*

del

del Padre Giuseppe Mansi. Sed ut pio illius desiderio interim aliquo modo fiat satis, breviter dicam, quod nulla melior præparatio ad rite celebrandum, quam vita vere Ecclesiastica, id est, quæ in rebus spiritualibus, & quæ ad Dei gloriam & utilitatem proximi pertinent, tota insumitur. Præcipue consideret, si ex illis est, qui, ut ait sanctus Cardinalis Petrus Damianus, Opusc. 1. contra inscitiam, & ignaviam Clericorum, cap. 1. „ Curis sæcularibus indifferenter inserviunt, ab otiosi se sermonis ineptiis non compescunt, imo per lites, & jurgia frequenter a proximorum suorum charitate resiliunt, & cum livoris, vel cujuslibet terrenæ concupiscentiæ flammas in suis pectoribus fervere non nesciant, venerandis tamen Altaribus se impudenter ingerunt, & ab offerendi Sacro-sancti libaminis Ministerio non recedunt ". Fortassis, quod horrendum est, ut retributione solita non priventur, sine cujus spe raro celebrarent. „ Proba te ipsum, *inquit sanctus Bonaventura*, *de præparatione ad Missam cap.* 5. ex quanta charitate, & quali fervore accedis; non solum enim mortalia vitanda sunt, sed etiam venialia peccata per negligentiam, & otium multiplicata, & etiam per inconsiderationem, ac per distractionem dissolutæ vitæ, & malæ consuetudinis, licet non occidant animam, tamen reddunt hominem tepidum, gravem, & obnubilatum, & indispositum, & ineptum ad celebrandum ". Ut paucis verbis absolvam, præmittenda est oratio mentalis, (juxta Rubricam Missalis, tit. De præparatione Sacerdotis celebraturi), seu consideratio pia illius rei, quam facere intendimus, finis quo movemur, quia? quid? cui? facienda Confessio, ubi opus est, & preces in Rubrica Missalis notatæ, devote, & attente recitandæ.

CASUS XIII.

Non ita pridem in Ecclesia non parum frequentata accidit, ut Laurentius Sacerdos, cum juxta solitam suam in talibus negligentiam, Missam dicendam nullo modo prævidisset, antequam ad Altare accederet, aliam Missam hebdomadæ præteritæ notatam inveniens, illam legeret cum non parvo adstantium scandalo; qua de re graviter a Sacrista monitus, rem ridendo transegit. Hac occasione petitum fuit, utrum hic Laurentii error, gravis aut levis dici debeat?

Resp. Hunc errorem, e negligentia solita, & ideo valde culpabili, profectum, levem esse non credet, qui in Concilio Trid. sess. 22. Decr. de observandis in celebrat. Missæ, hæc legerit: „ Quanta cura adhibenda sit, ut Sacro-Sanctum Missæ sacrificium omni Religionis cultu, ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit, maledictum in sacris litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter; quod si

„ ne-

„ necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum, „ ac divinum a Christi Fidelibus tractari posse, quam „ hoc ipsum tremendum Mysterium, quo vivifica illa „ Hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in Altari „ per Sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam appa- „ ret, omnem operam, & diligentiam in eo ponendam „ esse, ut quanta maxima fieri potest cordis munditia, „ & puritate, atque exteriori devotionis, & pietatis spe- „ cie peragatur". Legat insuper Laurentius salubria sancti Caroli monita, Actor. p. 1. tit. quæ pertinent ad celebrationem Missæ, circa ea quæ ante celebrationem facere debet Sacerdos, ut suo munere rite fungatur. „ Sacerdotes, *inquit*, antequam celebrent, se colligant, „ & orantes mentem in tanti Mysterii cogitatione defi- „ gant. Antequam ad Altare accedant, Missam perle- „ gant, & singulas partes ita præparatas, & notatas ha- „ beant, ut celebrantes neque errent, neque hæreant. „ Sacris vestibus induti cum nemine colloquantur; ne- „ que loquentibus dent aures, mentemque, & oculos ab „ omnibus amoveant, quibus distrahi possint; neque e „ Sacristia exeant, nisi cum ad Altare eundum erit; „ quod tum graviter, & modeste fiat. In Altari ne in „ mora sint Sacrificio, cujusvis expectandi gratia; neve „ ob eamdem causam Missa inchoata subsistant, aut e- „ jus initium repetant. Neve, si Parochi sint, cujus- „ quam gratia Missam anticipent, aut differant: sed il- „ lam ea potissimum hora celebrent, quæ populo magis „ commoda sit: neve concionem, quam in ea habere „ debent, ullo modo omittant".

CASUS XIV.

Nuper accidisse fertur, ut rusticus quidam, qui plures annos Missæ vix unquam interfuerat, licet sæpius sine gravi incommodo interesse potuisset, dum a Confessario ea de causa serio reprehenderetur, ab eo petierit, utrum præceptum Missam audiendi grave esset, & revera verba, quæ a Sacerdote dicuntur, audiri necessario deberent?

Resp. S. Antoninus duplici hujus quæstionis membro apposite respondet; sic enim loquitur in Sum. part. 2. tit. 9. §. 1. c. 10. „ Quicumque ex negligentia mera omit- „ tit audire Missam diebus Dominicis, & Festivis, cum „ possit, peccat mortaliter; facit enim contra præceptum „ Ecclesiæ.... Non est autem necessarium, sensim, & „ distincte audire verba Missæ; nam tunc sequeretur hoc „ inconveniens, quod qui audiret Missam ab his, qui sub- „ misse dicunt, cum multitudo adest, qui remoti sunt, „ non implerent præceptum; similiter & qui surdi essent, „ vel hebetem auditum haberent. Intentio ergo Ecclesiæ „ in illo Decreto est, quod quis præsens sit in Missa, & „ vacet Deo: si etiam intelligens est, dignum & justum „ est, ut intendat, & conetur intelligere, quæ dicuntur „ Populo in Missa".

CA-

CASUS XV.

Cum Cæcilia mulier valde timorata, nescio quo casu, dum in Castello morabatur initio Missæ, seu dum diceba-tur Introitus, non interfuisset, subito tremebunda Confes-sarium adiit, putans, se alicujus magni sceleris ream esse; & quamquam illi a Confessario dictum sit, in hoc casu non reperiri culpam gravem; attamen difficile acquiescens ad-huc anxie petit, utrum in hoc mortaliter peccaverit?

Resp. Vix possibile est in praxi, ut persona timorata circa præceptum Missam audiendi graviter delinquat: & in hoc casu certum videtur, quod nullam culpam sal-tem gravem, imo forte nec levem, admisit Cæcilia; quia haud dubie si putasset se Missæ integræ non interfuturam, citius ad Ecclesiam accessisset, nisi forte ob aliquam ur-gentem causam excusata fuisset. Præterea in hoc præce-pto datur parvitas materiæ, quæ a culpa mortali excu-sat: *De eo*, inquit S. Antoninus, p. 2. tit. 9. c. 10. §. 1. *qui dimittit aliquam partem Missæ, puta Introitum, videtur, quod non satisfaciat, quia Can.* Missas, De Consecr. dist. 1. dicitur, Missas die Dominico sæcularibus totas *audire speciali ordine præcipimus, ita ut ante bene-dictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat. Re-spondeo, quod modicum pro nihilo reputatur, nec verba legis ita amare interpretanda sunt. Ideo dicendum est, quod talis judicandus est servator præcepti; sed si di-mitteret notabilem partem, puta mediam, vel tertiam partem, secus dicendum esse.*

CASUS XVI.

Joannis in Villa non parum ab Ecclesia distanti cum familia numerosa habitans, sæpius se in Tribunali pœniten-tiæ accusavit, quod vel ipse, vel aliquis e domesticis suæ curæ demandatis, Missæ diebus Dominicis, vel Festivis non interfuerit; cumque varie a variis Confessariis ea de re monitus fuerit, ad magni nominis Theologum se con-fert, orans, ut ei præscribat, quo pacto in hac materia se gerere debeat, & ob quam causam a Missa audienda vel ipse, vel alii excusari legitime possint?

Resp. S. Antoninus, qui ea de re fuse scripsit, asserit, (*Loco cit.* §. 2.) quod *excusantur a precepto audiendi Missam infirmi, qui non possunt domo exire, & ser-vitores infirmorum, qui non possunt dimittere infir-mos propter periculum, & matres quæ non possunt di-mittere parvulos sine periculo: & alii qui impedimenta legitima habent, vel ardua negotia, quæ non possunt dimittere sine magno detrimento, scandalo, vel pericu-lo. Et illi qui justo impedimento detenti audire non pos-sunt Missam, debent saltem pro aliquo spatio in domo vacare Orationi, loco Missæ, ex congruitate.* Et ita

Jo-

Joannes juxta hanc doctrinam, debet procurare, ut quando adest aliqua hujusmodi necessitas, cui provideri non possit, si omnes Missam aliqua die audiant; tunc ille, qui Missa privatur, vesperis interesse deberet, & Catechismo, si fieri possit; & omnino curandum est, ut sequenti Festo, aut Dominica Missam audire possit, ne diutius tanto Beneficio privetur, juxta sancti Caroli salutaria monita Actor. p. 4. nell' Instruz. a' Vicarj Foranei, pag. 797. Ogni Curato facci ben capace il suo popolo, che chi non vuole andare alla Messa le Feste di comandamento, incorre in peccato mortale. E perchè sarà forse alcuno, che si vorrà scusare con dire, che avendo li pascoli lontani dalla Terra, gli è necessario star lui, o lasciar altri alla custodia delle bestie; si avvertisca, che quel poco di tempo, che va ad udire la Messa, non impedisce, che non resti del giorno assai per governare, e pascolare anche le bestie. E però, che con questa scusa non sia chi lasci la Messa i giorni di Festa, nè permetta, che o figliuoli, o famigli, o altri la perdano. Ma quando pure in qualche luogo alpestre, la molta distanza de' pascoli, o altra evidente necessità delle bestie, alcuna volta ricercasse altramente; avvertiteli, che un vicino de' pascoli raccomandi per una Festa le sue bestie all' altro vicino, e poi l' altra Festa l' altro vicino raccomandi le sue a lui: e vadino procurando con questo, o altro modo, che nè anche questi Curatori di bestie, se sarà pur possibile, lascino passar due feste, che non ascoltino Messa.

CASUS XVII.

Guillelmus male sibi in animum inducens, satis esse ad satisfaciendum præcepto audiendi Missam, quod quis ei interesset quocumque modo, in actione adeo sacrosancta solitus erat confabulari, aut si forte socius deesset, oculis vagari, & mentem alio voluntarie distrahere. Sed cum a paucis diebus, divina favente gratia, vitam in melius mutare serio incœperit, in se reversus petit, utrum Missam taliter audiendo, præcepto satisfecerit?

Resp. Cum ille, qui voluntarie, & deliberate Deo non vacat, dum interest Missæ, sed confabulationibus aut aliis rebus profanis attendit, ad minus perinde se habere videatur, ac si abesset; Deus enim intuetur cor, vultque adorari in spiritu, & veritate: dicendum videtur, Guillelmum præcepto non satisfecisse, dum ita se habuit per notabilem Missæ partem. Nec excusari potest ex eo, quod Ecclesia non præcipiat actus internos, sed solummodo externos; nam hoc effugium omnino sublatum fuit Decretis Alexandri VII. (24. *Sept.* 1664.) & Innocentii XI. (*contr.* 65. *prop.* 2. *Martii* 1679.) quibus sequentes propositiones, quæ apud novos Casuistas frequenter inveniuntur, damnatæ sunt: *Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto. Præcepto Communionis*

nis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem. Et ratio est, quia licet Ecclesia non præcipiat directe actus internos, eos tamen præcipit indirecte, & quatenus necessarii sunt ad recte implendum opus externum, quod præceptum est directe. Et ita dum Ecclesia jubet, ut Fideles Missæ intersint, censetur etiam jubere ut non solum corpore, sed etiam spiritu præsentes esse velint, & rebus prophanis voluntarie tunc temporis non attendant; sicut dum Confessionem, & Communionem præcipit, vult etiam, ut debito modo illæ actiones peragantur.

Istruzione, ed avvertimenti per quelli, che vogliono ricevere il S. Sacramento della Cresima.

GASPARO per la misericordia di Dio Vescovo di Sabina, della S. R. C. Card. di Carpegna, della Santità di N. S. Vicario Generale, &c.

IL Santo Sacramento della Cresima, di cui è solo Ministro il Vescovo, è stato instituito da Cristo Signor nostro, affinchè gli uomini regenerati alla grazia, ed arrolati alla Cristiana Milizia per mezzo del S. Sacramento del Battesimo, restino confermati nella Fede, e fortificati in essa per la virtù di questo S. Sacramento, il quale come a valorosi Soldati, non solo gliela fa constantemente confessare, ma anche le dà forza di poter combattere, e di resistere alle battaglie de' comuni Nemici; perciò vien detto Sacramento della Confermazione, e benchè non sia assolutamente necessario per la salute eterna, non si deve però da nessun Fedele tralasciare, atteso i molti soprannaturali effetti, che produce, e li doni, che lo Spirito Santo conferisce a quell' Anime, che lo ricevono, quando però non vi sia l' ostacolo del peccato; perlochè la Santa Madre Chiesa desidera ardentemente, che tutti i suoi figli con vera intenzione, e divozione venghino a riceverlo: particolarmente gl' invita secondo l' antico Ecclesiastico costume in questo sacro tempo della Pentecoste, in cui solennizza la venuta del Divino Spirito; ed acciò sappia ciascuno quello, che deve fare per disporsi degnamente, e secondo li Sacri approvati Riti, abbiamo pubblicata d' ordine di N. S. la seguente istruzione cavata da i Sacri Canoni, da i Santi Padri, e dal Pontificale Romano; quale vogliamo che inviolabilmente si osservi.

Primo. Quelli, che sono stati una volta cresimati, si guardino molto bene di farsi cresimare di nuovo, perchè questo S. Sacramento non si può reiterare; E chi dubitasse d' esser stato confermato, o no, non ardi-

sca d' accostarsi a riceverlo, se prima non l' averà significato a Noi, o a Monsignor nostro Vicegerente, acciò considerata la qualità del dubbio, si faccia quella risoluzione, che sarà conveniente in cosa tanto importante.

Chi piglierà questo Santo Sacramento deve avere un Compare, o una Comare, acciò abbia di lui cura spirituale, perlochè conviene, che sia maggiore di età del Cresimando, nè minore di quattordici anni; con questo però, che i Maschj non siano tenuti a cresima dalle Femmine, nè queste da i Maschj; Di più nessuno tenghi a cresima, se non uno, o due, senza espressa licenza nostra, o di Monsign. nostro Vicegerente.

Chi non è stato cresimato, non puol essere Patrino, o Compare in questo S. Sacramento; nè il Padre, o la Madre possono tenere i loro figliuoli; nè il Marito la Moglie, nè la Moglie il Marito: come anco li Padrini non possono esser Monaci, o Religiosi, nè quelli, che sono stati Compari, o Comari de' medesimi confermandi nel Sacramento del Battesimo, secondo l' antichissima consuetudine di questa S. R. Chiesa.

Nessun scomunicato, interdetto, scandaloso, o pubblico peccatore, ovvero, che non si è confessato, e comunicato nella passata Pasqua di Resurrezione, come anche chi non sa li rudimenti della S. Fede, cioè il Pater noster, Ave Maria, Credo, e li dieci Comandamenti, si presenti a ricevere questo S. Sacramento, o fare l' uffizio di Compare, o Comare, sotto pena ad arbitrio nostro.

Per ricevere degnamente queste S. Sacramento, devono li Cresimandi essere in grazia di Dio; e però li Fedeli Adulti prima procureranno di riconciliarsi con S. D. M. ed è più che bene fare una buona Confessione Sacramentale; altrimente, se s' accostano in peccato mortale, non solo non riceveranno la grazia di questo S. Sacramento; ma commetteranno un gravissimo sacrilegio.

Si avverte, che nel Sacramento della Cresima, li Compari, e Comari contraggono Parentela Spirituale con quelli, che tengono, o presentano, e con il Padre, e Madre de i medesimi, siccome nel S. Battesimo; la quale impedisce di contrarre Matrimonio fra di loro, ed essendo fatto, non vale. E tal parentela spirituale si contrae anche tra il Confermato, e il Confermante.

Nessuno minore di sett' anni senza nostra espressa licenza, o di Monsig. Vicegerente vada a Cresimarsi: e questo, acciò abbia qualche capacità d' intendere l' efficacia di questo S. Sacramento, e possa riceverlo con più divozione: della quale capacità, o disposizione, e che sia ben istruito come sopra ne i rudimenti della S. Fede, dovrà ciascuno Cresimando portar attestato del proprio Parroco (da darseli gratis) senza di cui non sarà ammesso.

Se alcuno avesse qualche nome profano, ridicolo, o in-

indecente ad un Cristiano, procuri nell'atto della Confermazione farselo mutare dal Vescovo Cresimante nel nome di qualche Santo, o Santa respettivamente, per imitarne le virtù, ed ottenerne il Patrocinio.

Nessuno si accosti colla fronte imbrattata, e colli capelli scomposti: come anche li Cresimandi, e li Compari si presentino senz'armi, e tanto questi, quanto le Cresimande, e le Comari, venghino vestite modestamente.

Per togliere le confusioni, gli uomini si presenteranno dalla parte diritta del circolo, e le donne dalla parte sinistra; nè ardisca chi che sia entrare nel detto circolo.

Tutti quelli, che saranno presenti all'amministrazione di questo S. Sacramento particolarmente quando si recitano le preci, e s'invoca la grazia dello Spiritosanto, stiano ginocchioni, con divozione, e silenzio, attendendo con quella composizione di corpo, ed applicazione di mente, che potranno maggiore, alla considerazione di sì gran benefizio lasciatoci dal Signore.

I Cresimati non si partino dalla Chiesa, se non dopo ricevuta la benedizione da Monsig. Vescovo che li confermerà, e procurino far scrivere il nome, e cognome loro, del Padre, e della Madre, e del Compare, o Comare, come anco la propria Parrocchia.

La Cresima si principierà nella Sacrosanta Basilica di S. Gio. Laterano Domenica prossima di Pentecoste dopo il Vespero; e si farà ogni Domenica, ed in tutte le Feste comandate, sino la Domenica dopo la Festa delli Gloriosi Appostoli SS. Pietro, e Paolo, ed ogni volta, che si amministrerà, ordiniamo, che, prima d'incominciare la funzione, si leggano sul pulpito ad alta voce li suddetti avvertimenti.

Per ultimo incarichiamo anche da parte di S. B. alli RR. Curati di notificare al Popolo nelle Feste della Pentecoste, ed altre, tanto nella Messa Parrocchiale, che nella Dottrina Cristiana, la presente istruzione, e dichiarare la virtù, e li salutevoli effetti di questo Santissimo Sacramento, secondo la Dottrina del Catechismo Romano, e la disposizione, e divozione, con che si deve ricevere: così anche incarichiamo alli RR. PP. Predicatori annuali, acciò gli Adulti sappino, che non si deve trascurare, nè molto differire, ed affinchè possano li medesimi degnamente disporsi a riceverlo più presto, che potranno, particolarmente quelli, che son chiamati da Dio alla Milizia Ecclesiastica, o ad abbracciare lo stato Religioso.

Per quelli poi, che saranno negligenti, la Sacra Congregazione della Visita con decreto emanato sotto li 10. Decembre 1661. ordina alli RR. Parrochi, che nel fare lo stato dell'Anime, debbiano informarsi, se quelli, sotto la loro Cura, sono stati confermati, notando i negligenti in un libro particolare, con ammonirli pater-

ternamente, acciò quanto prima procurino ricevere detto Santo Sacramento: con avvertirli anche, che se per disprezzo sdegnano di riceverlo, non sono immuni da colpa mortale. Avvertiranno in oltre li Padri, e Madri di famiglia, acciò non siano trascurati in far confermare li loro figli, altrimente dovranno rendere stretto conto della loro negligenza al Tribunal di Dio. Data in Roma dalla nostra solita Residenza questo dì 12. Maggio 1703.

G. Card. Vicario.

N. A. Cugio Secr.

Modo che dovranno tenere i Curati per introdurre alla Sacra Comunione i Giovanetti, ed istruirli nelle cose necessarie ad essa,

Inserito nella Sinodo di Farfa dell' eminentiss. Card. Carlo Barberino pag. 778. e in quella d' Albano dell' Eminentissimo Car. Flavio Chigi, pag. 319.

1. PErchè ben spesso li Padri e Madri di famiglia sono trascurati in procurare, che li loro figliuoli al tempo debito incomincino a partecipare del dono inestimabile del Santissimo Sacramento dell' Eucaristia, lasciato da Cristo Signor nostro alla Santa Chiesa sposa sua per benefizio, e salute de' fedeli: onde avviene, che li medesimi figliuoli cadano nella trasgressione del precetto dell' annua comunione. Perciò ordiniamo, che si ricordino i Parrochi e Curati, ch' è debito loro, quando i fanciulli sono arrivati ad essere per l' età e discrezione capaci di questo divino ed incomparabile tesoro, d' introdurli a parteciparlo: ed a questo fine loro incarichiamo, che tengano nota speciale di tutti li fanciulli esistenti sotto la loro cura, e del tempo dell' età di ciascheduno: e quantunque non possa determinarsi il certo tempo della di loro capacità, nella quale siano obbligati a comunicarsi; pare nondimeno, che tal tempo sia dalli dodici fino alli tredeci anni, benchè alcuni più presto, altri più tardi sogliono talora acquistar la detta capacità, sopra di che deve riflettere il discreto giudizio de' Confessori, e specialmente delli Curati.

2. Prima d' ammetterli alla sacra Comunione, gli esaminino sopra li rudimenti della fede, quali ciascheduno è obbligato di sapere, e si contengono nell' esercizio quotidiano qui di sopra inserito. Dopo gli ammaestrino circa quello devono credere di questo Santissimo Sacramento, e dell' eccellenza e dignità del medesimo, contenendosi in esso il vero Corpo di Cristo Signor nostro,

per virtù delle parole della consecrazione; e con il corpo, per concomitanza, ancor il sangue, anima, e divinità dell'istesso Signore.

3. Gl'insegnino in oltre la preparazione che si deve fare avanti di andare a comunicarsi, per ricever degnamente un Signor sì grande; cioè ch'è necessario aver la coscienza libera, e netta da ogni peccato mortale, e massime da quelli che per la loro sordidezza maggiormente l'imbrattano, e più spiacciono a sua Divina Maestà, come sono li peccati sensuali; e da quelli che sono contrarj alla carità, come gli odii, e le malevolenze: e però è necessaria una esatta Confessione di essi, e di purgar l'anima da tutti i peccati mortali; perchè altrimente si commetterebbe nuovo peccato di sacrilegio: come anco, per quanto sia possibile, de' peccati veniali, quali quantunque non impediscono, come li mortali, la comunione, diminuiscono ad ogni modo il frutto di questo divinissimo Sacramento.

4. Gl'insegnino di più, che per degnamente ricevere questo Santissimo Sacramento, e con frutto spirituale dell'anima, devono avere retta intenzione d'andar a comunicarsi, non già per certa usanza, nè solo per fare, come altri fanno, o per non cadere nell'inosservanza del precetto; ma semplicemente per accettar l'invito del medesimo Cristo, che con tanta carità avendo instituito questo cibo Divino, ad esso ci convita, per dimostrarci il suo amore, ed eccitar la nostra memoria alla sua acerbissima passione, e dolorosa morte, per unirci, incorporarci, e farci una cosa medesima con esso lui, per accenderci, col mezzo di tal unione, nel Divino amore, e perchè riceviamo vigore per resistere alle tentazioni, fortezza, e consolazioni nelle tribolazioni ed avversità, e conseguiamo il perdono de' peccati, ed altri simili fini.

5. Dovranno ancora insegnare, che dopo d'essersi confessati (quando avranno imbrattata l'anima de' peccati mortali) devono per due o tre giorni astenersi da questo Divino cibo, per non ricevere il pane della vita, mentre ancor resta nell'anima la puzza e fetore della morte: e in questo tempo devono soddisfare, facendo la penitenza impostali dal Confessore, piangere col figlio prodigo a' piedi del suo buon Padre i peccati commessi, ed eccitar in se timore e riverenza di questo S. Sacramento, con la considerazione della grandezza e Maestà di quello, che in esso si riceve, e della propria indegnità, bassezza, e viltà, per la natura e per la colpa, e all'incontro confidenza ed amore, considerando la liberalità, con la quale questo Signore si offerisce e dona anco a' peccatori, e il desiderio che ha di unirsi coll'anime come sposo amantissimo di esse, per arricchirle de' suoi tesori, e grazie; e da questo anche eccitino in se fame e desiderio di questo celeste cibo, considerando il tesoro che si riceve in esso, ch'è lo stesso Dio, e li b ni che

per

per quello ci si comunicano, che sono li meriti della sua passione, la purità dell'anima, la remissione de' peccati, abbondanza di grazia, ed una strettissima unione col medesimo Dio.

6. Ma affine che possino far ciò meglio, gl'insegnino a stare in questo tempo precedente la santa Comunione, più ritirati dalle conversazioni, fuggire ogni occasione di peccato anco veniale, avendo esatta cura delle proprie azioni, e custodire i suoi sentimenti, massime la vista, udito, e lingua, esser anco temperati nel mangiare. In oltre gl' insegnino, che ottimo mezzo per disporli a ricever degnamente la sacra Comunione, è la divozione ed intercessione della Beatissima Vergine.

7. Questo desiderio e fame, congionta col timore, riverenza, ed amore suddetti, molto più si devono avere nello stesso giorno della Santa Comunione, e particolarmente da quelli che incominciano a comunicarsi, e molto più nell'atto medesimo di ricevere il Santissimo Sacramento; al che non poco gli ajuterà il leggere alcuni libri spirituali, o sentirli leggere, e l'avere alcuna buona considerazione delle cose suddette; da che anco nascerà il comunicarsi con riverenza, e decenza esterna, tenendo gli occhi bassi, il volto modesto, le mani ben composte, le ginocchia ambedue in terra, e le Donne col capo velato, con aprire, nel ricever la particola, modestamente la bocca, ricevendola sopra della lingua posta, non fuori delle labbra, ma al pari de' denti di sotto; pigliando poi anco l' abluzione che si suol dare di vino, per lavare per riverenza la bocca.

8. Finalmente insegnino che dopo d'essersi comunicato, deve trattenersi per qualche poco di tempo in orazione, ringraziando questa Maestà infinita, che si è degnata venire al suo vilissimo tugurio, abbracciandolo col medesimo Cristo, e la sua sacratissima Umanità già confitta per lui, e morta in Croce, e ora trionfante, e gloriosa in Cielo ed alla destra dell'eterno Padre; proponendogli i suoi bisogni e necessità, e chiedendogli ajuto contro le tentazioni, e massime contro quelle, dalle quali è più molestato; pregandolo, che lo faccia una cosa seco, sì come ha promesso; lo riempia della sua Divina grazia, l'accenda di carità, lo confermi nella fede, lo stabilisca nella speranza, e gli conceda grazia di spender la vita in suo santo servizio, ed al fine di essa lo conduca alla gloria.

BE-

BENEDICTI XIV.

DECRETUM,

Quo Facultas conceditur P. Guardiano Sancti Sepulchri Ord. Min. de Obser. conferendi Sacramentum Confirmationis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

CUM ad infrascriptam Cardinalium Congregationem delatum fuerit dubium: *An Custos & Guardianus Sancti Sepulchri Domini Nostri Jesu Christi, ex speciali hujus Sanctæ Sedis delegatione, & vigore nonnullorum privilegiorum per dilectos filios Superiores Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum exhibitorum, necessarias facultates habeat conferendi Sacramentum Confirmationis*: Nos pro commissa Nobis cœlitus Pastoralis Officii cura, omnes difficultates, ac in posterum dubitandi hac in re occasionem tollere cupientes, ac dilectum filium Paulum a Laurino Fratrem expresse professum dicti Ordinis, ac Custodem, & Guardianum dicti Sancti Sepulchri, specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, auditis votis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum auctoritate Apostolica deputatorum, eidem Paulo Custodi, & Guardiano ejusdem Sancti Sepulchri, durante ejus Officio, & pro Locis Terræ Sanctæ hujusmodi, ubi non erunt Episcopi Ritus Latini in propria Diœcesi residentes, potestatem, & facultatem conferendi Sacramentum Confirmationis hujusmodi Oleo, & Chrismate etiam antiquis, si nova haberi non possint, per Catholicum Antistitem gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentem benedictis, dicta auctoritate, tenore præsentium concedimus, & delegamus; salva tamen semper in præmissis auctoritate memora-

* tæ Congregationis Cardinalium. Non obstantibus præ- * missis, ac Apostolicis, & in Universalibus Conciliis e- * ditis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & * Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

* Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub * Annulo Piscatoris die 9. Januarii 1740. Pontificatus * Nostri Anno I.

BENEDICTI XIV.

CONSTITUTIO,

Quod Sacerdotes Missam celebrantes non teneantur infra actionem omnibus petentibus S. Eucharistiam administrare.

Venerabilibus Fratribus, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis Italiæ.

BENEDICTUS

PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

* CErtiores effecti, pullulare in nonnullis Italiæ Diœ- * cesibus controversiam de obligatione, qua Sacer- * dotes Missas celebrantes adstringantur Euchari- * stiam ministrare intra easdem Fidelibus iis, qui ad i- * psam accipiendam paratos se exhibent, ac petunt Sa- * crificii, cui adstant, participes fieri. Nostro proinde * animo reputavimus gliscenti malo Apostolicæ hujus * paginæ documento obviam ire, ne ulterius, haud abs- * que Fidelium eorumdem scandalo progrediatur. Ita- * que Ven. Fratres sermonem nostrum ad vos converti- * mus, ut ipsi quoque Pastoralis hac in re Officii partes * minime negligatis.

* §. 1. Ac primo quidem dicendum Nobis occurrit, * nemini ex Fidelibus in mentem venire posse, Missas * privatas, in quibus Sacerdos solus Sacram sumit Eu- * charistiam, propterea veri, perfecti, & integri Sacri- * ficii incruenti a Christo Domino instituti rationem a- * mittere, ideoque illicitas esse existimandas. Nec e- * nim ignorant Fideles, aut facile saltem edoceri pos- * sunt, Sacrosanctum Concilium Tridentinum innixum

* doctrinæ, quam perpetua Ecclesiæ Traditio servavit,
* huic adversantem novam, falsamque Lutheri senten-
* tiam damnasse sess. 22. cap. 6. can. 8. *Si quis dixe-*
* *rit Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter*
* *communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas: ana-*
* *thema sit.*
* §. 2. Nihilominus quandoquidem vetus Ecclesiæ pra-
* xis, & disciplina, juxta quam Fideles Missis adstan-
* tes participare passim, atque in publicis Conventibus
* solebant Sacrosanctum Sacrificium, institutioni, & e-
* xemplo Christi Domini omnimode convenit, verba
* ejusdem Concilii eo ipso spiritu, quo ab eodem pro-
* lata sunt, iteramus: *Optaret quidem Sacrosancta Sy-*
* *nodus, ut in singulis Missis Fideles adstantes non*
* *solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eu-*
* *charistiæ perceptione communicarent, quo ad eos San-*
* *ctissimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret.*
* Utinam autem eo ipso Christianæ pietatis fervore, quo
* primorum sæculorum Fideles exardebant, nostrorum
* quoque temporum homines inflammati, avide ad pu-
* blicam sacram Mensam advolare, Sanctorumque My-
* steriorum solemnitati non adesse tantum, sed religio-
* se eorumdem participationem exoptare conspicerentur.
* Nulla certe res est, qua utilius Episcopi, Parochi,
* Confessarii studium suum omne impendere valeant,
* quam in excitandis Fidelibus ad eam mentis purita-
* tem spectandam, unde digni reddantur frequenti ad
* sacram Mensam accessu, & non spirituali tantum,
* sed Sacramentali etiam participatione illa Sacrificii,
* quod a Sacerdote tanquam publico Ecclesiæ Ministro
* non pro se tantum, sed pro ipsis, & ipsorum nomine
* offertur.
* §. 3. Et quamvis de eodem Sacrificio participent,
* præter eos, quibus a Sacerdote celebrante tribuitur
* in ipsa Missa portio Victimæ a se oblatæ, ii etiam,
* quibus Sacerdos Eucharistiam reservari solitam mini-
* strat; non tamen idcirco aut vetuit unquam Eccle-
* sia, aut modo vetat, satisfieri ab ipso Sacerdote pie-
* tati, & justæ eorum petitioni, qui Missæ adstantes ad
* consortium admitti postulant ejusdem Sacrificii, quod
* & ipsi pariter offerunt ea ratione, quæ ipsos decere
* potest, imo probat, atque cupit, ne id omittatur, eos-
* que Sacerdotes increparet, quorum culpa, & negligen-
* tia Fidelibus participatio illa denegaretur.
* §. 4. At quoniam in Ecclesia Christiana opus est
* cuncta ordinare, & congruenter disponi, Pastores vi-
* gilantiam, & curam suam conferent, ut ex una par-
* te Fidelium pietas minime fraudetur eo accessu,
* eaque participatione; ex alia vero ita utrumque sor-
* tiatur, quin ulla in laudabilibus aliis institutis oria-
* tur perturbatio, unde facile confusio etiam, & scan-

dalum orietur. Quare Pastores monere debent eosdem Fideles, ut participes esse cupientes Sacræ Mensæ (quod maximopere probandum diximus) studeant tempus, locum, & circumstantias nancisci, quibus & ipsi justorum votorum suorum compotes evadant, nec instituta illa pietatis impediant. Hisque Pastorum suorum monitis fideles sese dociles præbentes, cavebunt, ne sibi injuriam factam querantur, si quandoque pro tempore, loco, & personis, Episcopus minime opportunum censuerit, a Sacerdote celebrante, Eucharistiam distribui iis, qui adstant; quibus scilicet eo ipso tempore facilis, & obvia suppetit ratio ad eamdem Mensam accedendi, pluribus aliis locis cuivis instructam.

* §. 5. Haud ægre Episcopi, & Parochi id fidelibus persuadebunt, quoties ipsis significent, ex Ecclesiæ disciplina, quæ modo viget, non quidem difficiliorem, sed faciliorem evasisse iisdem participationem, quam optant. Siquidem veteri more in singulis Ecclesiis passim unica Missa celebrabatur, cui fideles adstabant; indeque participabant; quin a solis propriis Pastoribus, quemadmodum reliqua Sacramenta, ita etiam Eucharistiam licite accipere valebant: hisce vero temporibus, ex Sacerdotum celebrantium, ex locorum, Altariumque, quibus ea celebratio publice peragitur, multiplicitate, patet cuilibet facile parabilis sacra Mensa, & ad sacrum Convivium admissio. Sin autem iidem fideles ita moniti, importune insisterent pro recipienda Eucharistia in iis temporis, loci, & personarum circumstantiis, quas excipiendas censuisset Episcopus, Ritualis Romani auctoritate etiam fretus; hæc illorum petitio, utpote nec justa, nec rationabilis, contumacem, ac refractarium animum demonstraret, cupidumque perturbationis, ac proinde minime compositum Eucharistiæ qua par est pietate percipiendæ.

* §. 6. Dum Pastores erga fideles ita se gerent, dumque fideles Pastorum dictis pronas ita aures accommodabunt, orietur absque ulla dubietate pax illa perfecta, atque concordia, qua capita invicem, & membra magnopere colligari decet; desinentque importunæ illæ controversiæ, quæ eo tandem tendunt, ut turbas gignant, ac scandalum, verique animarum fructus, quo nihil Pastori carius esse debet, perniciem. Verbis itaque Apostoli Pauli ad Corinthios utimur: *Obsecro Vos, Fratres, per nomen Domini Nostri Jesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in Vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia*. Quæ quidem dum Vobis, Venerabiles Fratres, per hæc Apostolica scripta nota esse volumus, in felicitatis auspicium, &

* Pa-

* Paternæ dilectionis pignus, Apostolicam Benedictio*
* nem impertimur.

* Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die
* 13. Novembris 1742. Pontificatus Nostri Anno III.

BENEDICTI XIV.

CONSTITUTIO,

Circa Missæ Parochialis pro populo, & Conventualis pro Benefactoribus applicandæ obligationem: necnon circa Cantum Divinæ Psalmodiæ in Choro.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, cunctisque Locorum Ordinariis per Italiam constitutis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

* CUM semper oblatas Nobis occasiones Apostolica
* scripta dirigendi ad Fraternitates Vestras liben-
* ter amplectimur, ut sinceræ Nostræ erga Vos
* dilectionis argumenta frequenter eluceant; tum vero
* majori animi alacritate idipsum præstamus, quum ad
* excitandum Fraternitatum Vestrarum zelum pro con-
* servatione rectæ disciplinæ in Clero regimini Vestro
* commisso, præsentibus rerum aut temporum conditio-
* nibus commovemur. Nec enim impositum imbecilli-
* tati Nostræ omnium Ecclesiarum sollicitudinis onus a-
* liter sustinere Nos posse confidimus, quam si Divini
* Cultus augmentum, atque exactam Ecclesiasticarum
* Sanctionum in singulis Diœcesibus custodiam, religio-
* sæ vigilantium Pastorum curæ, identidem inculcando,
* commendemus.

* §. 1. Hujus porro Epistolæ ad Vos scribendæ occa-
* sionem Nobis atque argumentum in primis præbet o-
* nus illud, quod omnibus animarum curam gerentibus
* incumbit, applicandi Missam Parochialem pro Populo
* ipsorum curæ commisso: tum etiam applicatio Missæ

Conventualis, quæ pro Benefactoribus in genere facienda est ab iis, qui Missas canunt in Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis; tum denique debitum psallendi, quo tenentur Canonici prædictarum Ecclesiarum Choro assistentes. Cujus quidem argumenti minime nova, sed a Scriptoribus frequenter habita tractatio est; cumque ea res in hujus Almæ Urbis Nostræ Congregationibus, & potissimum in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, cujus Secretarii munere olim in minoribus constituti multos annos perfuncti sumus, multoties discussa, ac definita fuerit; quamvis earumdem Congregationum Decreta plerumque circa eam uniformia, & sibi consona prodierint, eorumque Decretorum nonnulla etiam Pontificiam Prædecessorum Nostrorum approbationem & confirmationem meruerint; minime tamen mirandum esset, eorum notitiam ad singulos quosque Vestrum non adhuc pervenisse. Quapropter non modo opportunum, verum etiam necessarium duximus, Encyclicam hanc Epistolam ad Vos scribere, per quam, sublata demum diversarum, in quas Scriptores abierunt, opinionum varietate, constans hujus Apostolicæ Sedis sententia prædictis de rebus cuilibet innotescat; & Fraternitatibus Vestris quædam veluti norma, ac regula suppetat, juxta quam Synodales, aliasque Vestras circa præmissa Constitutiones, Ordinationes, seu Edicta, quorum publicationem Vobis injungimus, dirigere valeatis. Eorum vero exequutionem, dum, juxta ea, quæ in præsentibus tenenda atque servanda præscribimus, omni, qua decet, solicitudine, ac vigilantia urgere studebitis, minime dubitandum Vobis erit, ne Statutorum Vestrorum implemento obicem, aut moram afferre valeant recursus ad hujus Nostræ Curiæ Tribunalia forsitan habendi; utpote quos omnino rejiciendos esse præcipimus, ac jubemus: Quamobrem has ipsas Literas Nostras in singulorum Tribunalium Regestis asservari volumus, atque ad earum præscriptum, tam ipsorum Tribunalium resolutiones, quam de Vestris decretis, quæ ipsis præsentibus inhærentes edituri estis, judicia, exigi & conferri mandamus.

§. 2. Et quidem quod nuper enunciavimus, Sacrosanctum Missæ Sacrificium a Pastoribus animarum applicari debere pro Populo ipsorum curæ commisso, id veluti ex Divino præcepto descendens, a Sacra Tridentina Synodo diserte exprimitur *sess. 23. cap. 1. de Reform.* per hæc notabilia verba: *Cum præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre*: Et quamvis minime defuerint, qui per inanes, & frivolas interpretationes hujusmodi obligationem a Sancta Synodo memoratam de medio tollere, vel saltem extenuare

con-

contenderint; quum tamen relata Concilii verba satis clara & perspicua sint, quumque prædicta Congregatio ejusdem Concilii interpretationi privativæ præposita, constanter edixerit, eos quibus animarum cura demandata est, non modo Sacrificium Missæ celebrare, sed illius etiam fructum medium pro Populo sibi commisso applicare debere, nec illud pro aliis applicare, aut pro hujusmodi applicatione eleemosynam percipere posse; quodque magis interest, quum hæc intelligentia a Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus approbata fuerit, & confirmata; nihil jam amplius ulli Vestrum desiderandum superest, ut eam amplecti, eidemque obsequi, necnon illius promptam executionem in Vestris respective Diœcesibus omni studio procurare debeatis.

§. 3. Neque Nos tamen, qui, ut superius innuimus, in minoribus adhuc degentes, munus Secretarii prædictæ Congregationis Concilii Tridentini Interpretis plures annos obivimus, aliosque non paucos partim in Anconitanæ Cathedralis, partim in Metropolitanæ Bononiensis, Patriæ nostræ dilectissimæ, quam adhuc retinemus, gubernatione assidue transegimus; non inquam Nos latent multiplicis generis effugia, per quæ nonnulli prædictæ obligationis implementum declinare satagunt, quibusque proinde opportune a Nobis est occurrendum.

§. 4. Quum enim Sacrum Tridentinum Concilium, ne Animarum cura negligatur, non uno in loco Episcopis mandet, ut quotiescumque opus fuerit, idoneos Vicarios cum certorum fructuum assignatione ad eandem curam exercendam eligant ac deputent, uti videre est *in sess. 6. c. 2. sess. 7. c. 5. & 7. sess. 21. c. 6. sess. 25. can.* 16. non raro autem eveniat, ut aliqua Ecclesia Parochiali vacante, Vicarius pariter ad implenda hujusmodi Ecclesiæ onera, usque ad novi Rectoris electionem, ab Episcopo deputari debeat, eodem Concilio Tridentino id jubente *sess.* 24. *cap.* 18. *de Reform.* nonnulli ex hujusmodi Vicariis nituntur se ipsos a prædicta obligatione subtrahere, vel ex eo quod, habituali cura penes alium seu alios residente, ipsi actualem dumtaxat exerceant; vel quod ipsi sint ad nutum amovibiles; vel ad breve tempus hujusmodi curæ sint addicti: ut nihil hic loquamur de Parochis Regularibus, qui a prædicta applicatione Missæ pro Populo nonnunquam alienos se ostendunt. Itaque mens Nostra, & sententia est, sicut etiam pluries a prælaudatis Congregationibus judicatum fuit ac definitum, quod omnes & singuli, qui actu Animarum curam exercent, & non solum Parochi, aut Vicarii Sæculares, verum etiam Parochi, aut Vicarii Regulares, uno verbo, omnes & singuli, de quibus supra dictum est, atque alii quicumque, etiam specifica & individua mentione digni, æque teneantur Missam Parochialem applica-

* re pro Populo, ut præfertur, ipsorum curæ commisso.
* §. 5. Nonnulli vero ad evitandum hujusmodi obliga-
* tionis implementum, allegare solent, congruos sibi
* Parochiæ suæ redditus non suppetere; alii denique ad
* inveteratam consuetudinem confugiunt, sustinentes id
* neque sibi, neque decessoribus suis, per longum tem-
* pus, quod immemorabile affirmant, unquam in usu
* fuisse. Nos autem ad præcedentes prædictæ congrega-
* tionis Concilii resolutiones nostram approbationem &
* & confirmationem extendimus: & quatenus opus sit,
* auctoritate Apostolica, iterum tenore præsentium decer-
* nimus & declaramus, quod licet Parochi, seu alii, ut
* supra, animarum curam habentes, congruis præfinitis
* redditibus destituantur, quamvis antiqua seu etiam im-
* memorabili consuetudine ipsorum Diœcesibus, seu Pa-
* rochiis obtinuerit, ut Missa pro Populo non applicare-
* tur, eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis
* debeat applicari.
* §. 6. Dum tamen diximus, omnes animarum curam
* habentes, Missæ Sacrificium pro Populo sibi commisso
* applicare debere, non ideo statuere voluimus, eosdem
* aut quotidie, aut quotiescumque celebraverint, ad præ-
* dictam applicationem pro Populo teneri. Et quidem
* Sacrosancta Tridentina Synodus *sess.* 23. *cap.* 14. præci-
* pit Episcopis curare, ut Sacerdotes saltem diebus Do-
* minicis, & Festis solemnibus, Missarum sacra faciant,
* *si autem curam habuerit animarum, tam frequenter,*
* *ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent*; in plu-
* ribus autem Synodalibus Episcoporum Constitutionibus
* novimus provide constitutos, ac designatos esse dies,
* quibus animarum Pastores Missas celebrare debeant.
* At vero Nos id unum in præsenti suscepimus decer-
* nendum, quando nimirum iidem pro Populo celebrare
* & applicare teneantur: & quamvis compertum habea-
* mus id, quod aliis a Congregatione Concilii respon-
* sum fuit, & Parochum nempe pinguibus redditibus do-
* tatum quotidie pro Populo celebrare & applicare debe-
* re; eum vero qui uberioribus hujusmodi redditibus non
* gaudeat, festivis tantum diebus id ipsum præstare te-
* neri; quum tamen pariter Nobis perspectæ sint tum con-
* troversiæ super hoc ipso exortæ: nimirum ad quam
* summam pertingere debeant Ecclesiæ Parochialis pro-
* ventus, ut pingues, & uberes appellari possint; quo-
* niam pingues minime habendi sunt redditus, etiam co-
* piosi, quibus tamen multiplicia & gravia sint onera ad-
* nexa; tum etiam multorum querelæ adversus hujusmo-
* di decretum, tamquam plus æquo rigidum, excitatæ,
* Nobis innotescant; Idcirco opportunum censemus Fra-
* ternitatibus Vestris declarare, Nobis abunde satisfa-
* ctum fore, Vobisque proinde satis esse posse, dum ii,
* qui animarum curam exercent, Sacrificium Missæ pro
* Populo celebrent atque applicent in Dominicis aliisque

* per

* per annum diebus Festis de Præcepto; quum prædicti
* Dominici, aliique Festi dies, ii sint, in quibus, jux-
* ta præceptum Concilii Tridentini *sess.* 5. *cap.* 2., *&*
* *sess.* 24. *cap.* 4. quilibet animarum curæ præpositus Po-
* pulum sibi commissum salutaribus verbis pascere debet,
* docendo ea quæ scire omnibus necessarium est ad salu-
* tem; iidemque sint dies, de quibus eadem Sancta Sy-
* nodus statuit, *ut moneat Episcopus Populum diligen-*
* *ter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi*
* *commode id fieri potest ad audiendum Verbum Dei*;
* & quibus Parochi Subditos suos in Doctrina Christia-
* na erudire debent, juxta id quod a prædicto Concilio
* in cit. *Cap.* 4. Episcopis præcipitur, ut nempe *saltem*
* *Dominicis, & aliis festivis diebus Pueros in singu-*
* *lis Parochiis, Fidei rudimenta, obedientiam erga*
* *Deum & Parentes, diligenter ab iis, ad quos spe-*
* *ctabit, doceri* curent.

* §. 7. Et quia in nonnullis Diœcesibus numerus die-
* rum Festorum de præcepto, de Apostolica nostra au-
* ctoritate & consensu, eatenus est imminutus, ut nem-
* pe in aliquibus Festis Christifideles & Missam audire
* & ab operibus servilibus abstinere debeant; in aliis ve-
* ro Populo permissum sit opera servilia exercere, fir-
* ma remanente obligatione audiendi Missæ Sacrificium;
* Nos, ut obortæ jam dubitationes circa onus applica-
* tionis Missæ Parochialis in hujusmodi diebus Festis,
* penitus eliminentur, statuimus & declaramus, quod et-
* iam iisdem Festis diebus, quibus Populus Missæ inter-
* esse debet, & servilibus operibus vacare potest, omnes
* animarum curam gerentes Missam pro Populo celebra-
* re & applicare teneantur.

* §. 8. Quia vero propria nonnunquam experientia
* satis agnovimus, aliquos esse Parochos adeo pauperes,
* ut ferme ex eleemosynis, quas a Fidelibus pro Mis-
* sarum celebratione accipiunt, vivere cogantur; eos
* vero qui, Ecclesia Parochiali vacante, ad animarum
* curam exercendam, sub Vicarii, seu Œconomi no-
* mine, deputantur, aliquibus in locis adeo illiberaliter
* tractari, ut exigui redditus ipsis constituti, & pauca
* incerta emolumenta eisdem obvenientia, ægre ad eo-
* rum vitæ necessaria sufficiant; quod iis quoque non ra-
* ro evenire solet, qui in aliquibus Ecclesiis, habituali
* cura apud alios manente, actuali tantum exercitio sunt
* addicti; proindeque cum istis severe nimis agi videretur,
* si diebus festis, quibus potissimum hujusmodi occasio
* se offert, eisdem vetitum esset eleemosynam pro appli-
* catione Missæ recipere: Idcirco Nos tam istorum, quam
* illorum inopiam summopere miserantes, eisdemque,
* quantum Nobis integrum est, consulere volentes;
* quamvis, ut supra dictum est, omnes & singuli præ-
* dicti teneantur diebus festis Missam pro Populo cele-
* brare & applicare; attamen, quod pertinet ad prædi-

" ctos Parochos egentes, unicuique vestrum facultatem
" concedimus, cum iis, quos revera tales esse noveritis,
" opportune dispensandi, ad hoc ut, etiam diebus festis
" hujusmodi, eleemosynam ab aliquo pio offerente reci-
" pere, & pro ipso Sacrificium applicare, quatenus id ab
" eo requiratur, libere & licite possint & valeant; dum-
" modo ad necessariam Populi commoditatem, in ipsa
" Ecclesia Parochiali Missam celebrent; ea tamen adje-
" cta conditione, ut tot Missas infra hebdomadam pro
" Populo applicent, quot in diebus Festis, infra eandem
" hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentio-
" nem alterius pii Benefactoris obtulerint.

" §. 9. Quod autem spectat ad Vicarios, sive Œcono-
" mos Ecclesiarum vacantium, quum a Sacro Tridentino
" Concilio *cit. sess.* 24. *cap.* 18., cuilibet Episcopo tribua-
" tur facultas eos deputandi & constituendi, *cum con-*
" *grua, ejus arbitrio, fructum portionis assignatione*;
" vestrum erit, Ven. Fratres, cum iis agere, qui vacan-
" tis Ecclesiæ fructus exigunt, ut egenti Vicario, qui e-
" xigua hujusmodi certorum fructuum assignatione, pau-
" cisque incertis proventibus gaudeat, congruum aliquod
" augmentum præbeatur, pro onere celebrandi & appli-
" candi Missam pro populo diebus Festis. Quapropter
" pro iis locis, in quibus Ecclesiarum vacantium fructus
" ad commodum Cameræ Nostræ Apostolicæ exiguntur,
" opportuna Thesaurario Nostro Generali mandata diri-
" gimus, quæ is denunciare non prætermittet peculiari-
" bus dictorum locorum Collectoribus; cum quibus Epi-
" scopi Ecclesiasticæ Nostræ Ditionis, cæterorumque lo-
" corum, in quibus, ut præfertur, Ecclesiarum vacan-
" tium fructus ad Cameram prædictam pertinent, officii
" sui partes in eum finem, de quo supra diximus, inter-
" ponere debebunt.

" §. 10. Ac demum, quoad illos, qui tamquam Vica-
" rii, sive perpetui, sive ad tempus constituti, Anima-
" rum curam administrant, quæ apud alios habitu resi-
" det, ratione alicujus Ecclesiæ Parochialis, ipsorum Ec-
" clesiis, seu Monasteriis, Collegiis, aut Locis Piis o-
" lim unitæ; quamvis a recol. mem. Prædecessore nostro
" Pio Papa V. præfinita fuerit certa pars fructuum hujus-
" modi Vicariis assignanda, prout in ipsius Constitutio-
" ne, quæ incipit: *Ad exequendum*, data Kalendis No-
" vembris Anni MDLXVII. distincte statuitur; nihilo-
" minus ubi præscripta fructuum portio vel nullo modo,
" vel non integre Vicariis prædictis assignata reperiatur,
" vel etiam ubi ea, quæ ad normam prædictæ Constitu-
" tionis ejusdem fuerit attributa, minime sufficiens a vo-
" bis reputetur, propter temporum circumstantias, & si-
" gnanter pro implendo onere celebrandi & applicandi
" Missam pro Populo diebus Festis de præcepto; uten-
" dum vobis erit potestate, quam fecit Episcopis Syno-
" dus Tridentina *sess.* 7. *cap.* 7., dum illorum arbitrio

" per-

* permisit, juxta temporum atque injunctorum onerum
* rationem, congruam prædictis vicariis fructuum por-
* tionem assignare; quam ob causam nos etiam Frater-
* nitatibus Vestris, quatenus opus sit, necessarias omnes
* & opportunas facultates impertimur, quibuscumque ap-
* pellationibus, privilegiis, aut exemptionibus, ut in
* eodem Concilio sancitur, adversus ea, quæ salubriter
* a vobis constituta fuerint, minime suffragantibus.

* §. 11. Hæc igitur circa Missam Parochialem statuen-
* da, & Fraternitatibus Vestris denuncianda judicavi-
* mus. Indeque gradum facientes ad ea quæ pertinent
* ad Missam Conventualem, neminem vestrum latere
* putamus Sacrorum Canonum sanctiones, quibus præci-
* pitur, ut singulis diebus in Ecclesiis Patriarchalibus,
* Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis, tum
* Horæ Canonicæ debitis modo & forma recitentur, tum
* etiam Missa Conventualis celebretur, quæ adeo claræ
* sunt, ut nulla super iis oriri possit dubitatio. Eaque
* de re perspicuæ pariter & per omnia uniformes exi-
* stunt Resolutiones ab hac Congregatione Vener. Fra-
* trum Nostrorum Concilii Tridentini Interpretum re-
* petitis vicibus emanatæ, quas omnes Apostolica Au-
* ctoritate Nostra confirmamus & approbamus, earum
* executionem vobis enixe inculcantes: ut scilicet Missa
* Conventualis, quæ singulis diebus canitur a Clero præ-
* dictarum Ecclesiarum, pro earundem Benefactoribus
* in genere quotidie applicetur; eodem prorsus modo,
* quo Missam Parochialem ab iis qui curam Animarum
* gerunt, pro Populo sibi commisso, singulis saltem die-
* bus Festis de præcepto, applicari debere superius de-
* claravimus.

* §. 12. Itaque date operam, ut falsam quorundam o-
* pinionem eliminetis, quam in aliquibus Ecclesiis ejus-
* modi, sive dolo malo, sive per errorem invectam esse
* novimus: quod nempe dum Missa Conventualis pro
* certo aliquo Ecclesiæ Benefactore, vel grati animi er-
* go, vel ex vi oneris impositi, celebratur & applica-
* tur, satis impletum censeatur debitum applicationis
* Missæ Conventualis. Etenim hujusmodi debitum non
* quidem respicit singulares aliquos Benefactores, sed Be-
* nefactores in genere cujuslibet Ecclesiæ, cujus servitio
* addicti sunt quicumque in eodem sive Dignitates, sive
* Canonicatus, sive Mansionariatus, sive Beneficia Cho-
* ralia obtinent, & Missam Conventualem suis respective
* vicibus celebrant.

* §. 13. Neque minus improbandam noveritis aliorum
* sententiam, qui satis putant supradictam obligationem
* impletam esse, dum in eorum Ecclesiis pro Benefacto-
* ribus in genere aliquæ interdum preces fiunt, vel an-
* niversaria statis diebus Sacrificia pro illis peraguntur.
* Nemo enim id sibi arrogare debet, ut impositæ obli-

* gationi alia ratione satisfacere possit, quam ea, quæ a
* Lege Ecclesiastica multoties præscripta fuit; nimirum
* Missam Conventualem singulis diebus pro Benefacto-
* ribus celebrando, eandemque pro illis in genere appli-
* cando.

* §. 14. Profecto non solum prioribus Ecclesiæ sæcu-
* lis, verum etiam temporibus haud longe a nostra æta-
* te remotis, (quod Vos ex Historia Ecclesiæ didicisse
* non dubitamus) servabatur olim in singulis Ecclesiis
* series accurata omnium & singulorum, quorum libera-
* litate unaquæque aucta fuerat, eorumque nomina Sa-
* cris Diptychis, sic enim vocabantur, ideo consignata
* erant, ut eorumdem recordatio nunquam interiret, ut-
* que pro iis tum preces funderentur, tum etiam Missæ
* Sacrificium offerretur; quam ob causam etiam prædi-
* ctus Catalogus in plerisque Ecclesiis ob oculos Presby-
* teri Celebrantis apponi consuevit; licet iidem pii Be-
* nefactores in suis Donationibus nihil penitus pro se pa-
* cti essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum
* remissione se bona sua Deo offerre declarassent. Eccle-
* siarum siquidem Præsules preces pro iis imperandas esse
* duxerunt; quamvis illi propria bona offerentes ne ver-
* bum quidem ea de re fecissent. Sacrorum hujusmodi
* Diptychorum usus sensim defecit; ob idque in obli-
* vione jacent alicubi complurium Benefactorum nomi-
* na. At non idcirco deserere fas est usum & disciplinam
* orandi pro iis, & Sacrificium Missæ pro illis offerendi.
* Atque inde præceptum applicandi Missam Conventua-
* lem pro Benefactoribus in genere, originem atque ra-
* tionem desumit.

* §. 15. Quemadmodum vero, loquendo de Missa Pa-
* rochiali, superius dictum est, varias excusationes afferri
* solere, ad declinandam illius applicationem pro Populo
* diebus festis de præcepto; ita pariter usuvenit, quoad
* applicationem quotidianam Missæ Conventualis pro
* Benefactoribus in genere. Ut autem superiores illæ, sic
* etiam hæ posteriores, provide e medio sublatæ fuerunt
* per opportunas Congregationis Concilii Tridentini re-
* solutiones, quas proinde in his etiam auctoritate No-
* stra approbamus, & confirmamus.

* §. 16. Nonnulli siquidem obtentu contrariæ consuetu-
* dinis, etiam immemorabilis, in propria Ecclesia vi-
* gentis, se ab hujusmodi onere eximi posse sibi persua-
* serunt. Votum jam pluries responsum fuit, hujusmodi
* consuetudinem, licet immemorabilem, quæ potius abu-
* sus & corruptela dicenda est, nemini suffragari.

* §. 17. Alii a Missa pro Benefactoribus in genere
* applicanda se excusatos voluissent, ex eo, quod alio
* quopiam Missarum onere obstricti inveniantur, vel
* ratione proprii Canonicatus, aut alterius Beneficii
* Ecclesiastici, quod insimul cum Canonicali præbenda

* obti-

* obtinent ; vel quia, præter munus Canonici, seu
* Beneficiati, aut Mansionarii in Ecclesia Cathedrali,
* seu Collegiata, quum etiam in eadem, vel in alia
* Ecclesia Parochialem curam exerceant, dum Missam
* Conventualem canunt diebus festis de præcepto, de-
* bent pro Populo sibi commisso eam applicare; ac pro-
* inde nequeunt eandem pro Ecclesiæ Benefactoribus
* specialiter offerre. Sed his quoque obviam itum est,
* jubendo singulis prædictis, ut Missam Conventualem,
* quam canunt, pro Ecclesiæ Benefactoribus in genere
* applicent; pro aliis vero, pro quibus ipsi peculiariter
* Missam applicare tenentur, alterum substituant, qui
* ipsorum loco Missam hujusmodi celebret, applicetque.

* §. 18. Aliorum pariter exceptio fuit, quod Missa
* Conventualis non semper a Canonicis, aut Dignitati-
* bus celebretur, sed aliquando etiam a Beneficiatis, aut
* Mansionariis; quos minus æquum videtur pro Missæ
* celebratione omni eleemosyna carere, quæ unde desu-
* mi valeat, ignoratur. Cui tamen rei pariter consultum
* est, demandando, ut ea desumatur ex Massa distribu-
* tionum.

* §. 19. Alii denique obtenderunt exiguitatem hujusmo-
* di distributionum, quæ, ob detractam eleemosynam
* quotidianam pro Missa Conventuali, ad nihilum fere
* redactæ, vix foret, ut ab aliquo curarentur, cum ma-
* gno detrimento servitii Ecclesiæ præstandi. Tridentina
* quidem Synodus *sess.* 14. *cap.* 15. opportunas rationes
* ostendit, quibus Canonicalium Præbendarum inopiæ
* valeat provideri. Si vero designatam a Concilio viam,
* ut fere evenire solet, nequaquam inire posse contingat,
* reliquum erit ad Congregationem Concilii recursum ha-
* bere; cujus erit, perspecto ex Vestris relationibus re-
* rum statu, auctoritate Apostolica a Prædecessoribus No-
* stris eidem impartita, & a Nobis etiam præsentium te-
* nore confirmata, quotidianam applicationem Missæ
* Conventualis pro Benefactoribus in genere, ut alias,
* ad Festos tantummodo dies reducere.

* §. 20. Non modo Ecclesiis Patriarchalibus, Metro-
* politanis, Cathedralibus, & Collegiatis injunctum re-
* peritur, ut quotidie Missa Conventualis in eisdem ca-
* natur, sed etiam in Rubricis Generalibus, quarum exa-
* ctissimam Fraternitatibus Vestris custodiam commenda-
* mus, præscribitur, ut certis diebus non una, sed bi-
* næ, atque etiam aliquando tres Missæ Conventuales
* uno die celebrentur. Itaque quum nuper a Nobis di-
* ctum fuerit, primam Missam Conventualem quotidie
* pro Benefactoribus in genere celebrandam, & appli-
* candam esse; nunc expendendum superest, an earun-
* dem Ecclesiarum Capitula Jurisdictioni Vestræ respecti-
* ve subjecta adigere debeatis, ut alias quoque Mis-
* sas, si plures, ut præfertur, celebrari contigerit,
* pro Benefactoribus in genere similiter applicent.

* §. 21. Hujuſmodi quæſtio ab aliquibus ex Vobis
* Eccleſiaſtico zelo flagrantibus ſupradictæ Congregationi
* Venerabilium Fratrum Noſtrorum Concilii Tridentini
* Interpretum propoſita eſt. Jamque ante illius propoſi-
* tionem compertum fuerat, alias ab eadem Congrega-
* tione reſponſum fuiſſe, concedendam eſſe exemptionem
* ab onere applicandi ſecundam, ac tertiam Miſſam Con-
* ventualem pro Benefactoribus in genere, attenta Ca-
* nonicatuum, & Beneficiorum tenuitate, ex quo infer-
* ri poterat, hujuſmodi applicationis debitum manere,
* ubi de Eccleſiis pauperibus non ageretur.

* §. 22. Verum quum hanc definiendæ quæſtionis re-
* gulam apud prædictam Congregationem non admodum
* veteri obſervantia firmatam probe noverimus, cumque
* hujuſce dubii ſolutionem eadem Congregatio nuper ju-
* dicio Noſtro remittendam eſſe cenſuerit; Nos ita judi-
* camus, idque Vobis tenendum indicimus: laudandos
* nempe, & confirmandos eſſe, quotquot ſponte ſua ſe-
* cundam, aut tertiam Conventualem Miſſam pro Be-
* nefactoribus in genere applicant; qui vero idem agunt
* ex vi conſuetudinis in ipſorum Eccleſia vigentis, iis
* imperandum, ut in ea conſuetudine perſeverent; Ubi
* vero id uſu receptum non invenitur, liberam omnino
* ſecundæ, tertiæque Miſſæ Conventualis applicationem
* celebrantibus reliquendam eſſe, dummodo in comme-
* moratione pro Defunctis, Eccleſiæ Benefactorum in
* genere non obliviſcantur.

* §. 23. Huic demum Epiſtolæ noſtræ finem imponen-
* tes, Fraternitates Veſtras enixe hortamur, ut maxi-
* mam curam & vigilantiam in id conferatis, ut in Ec-
* cleſiarum Veſtrarum Choris, præter devotam celebra-
* tionem, debitamque applicationem Miſſæ Conventua-
* lis, Horæ Canonicæ non præpropere, ſed exacte, pau-
* ſa nempe interpoſita, & maxima, qua decet, reveren-
* tia, ac religione canantur.

* §. 24. Equidem ſcimus, in aliquibus Metropolitanis,
* & Cathedralibus Eccleſiis, inter Canonicos eam opi-
* nionem invaluiſſe, ut ſe munus ſuum ſatis implere con-
* tendant, dum Choro præſentes aſſiſtunt, licet ipſi ſibi
* ſilentium imperent, neque pſallentibus Beneficiatis,
* aut Manſionariis in cantu ſe adjungant. In hujuſce
* vero opinionis confirmationem, adduci ab iiſdem ſolent
* inveteratæ conſuetudines, ſtatuta peculiaria, aut et-
* iam prætenſa Eccleſiarum ſuarum Privilegia. At quum
* Synodus Tridentina *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. loquens de Di-
* gnitatibus, & Canonicis, qui Choro intereſſe debent,
* unum ex eorum officiis eſſe dicat, *in Choro ad pſal-*
* *lendum inſtituto, Hymnis & Canticis Dei nomen re-*
* *verenter, diſtincte, devoteque laudare*: quumque pau-
* ca omnino ſint Capitula, in quibus eo modo a Cano-
* nicis in Choro aſſiſtitur, ideoque receptæ in univerſa
* Eccleſia diſciplinæ paucos illos adverſari dignoſcatur;

* quum

* quum insuper opinio illa numquam in Congregatione
* Concilii Tridentini interpretationi præposita, examina-
* ta sit, quin statim explosa fuerit, & improbata; quam-
* vis præsumptis consuetudinibus aliisque fundamentis,
* & rationibus innixa perhiberetur, Canonicis etiam
* Ecclesiarum Patriarchalium hujus Nostræ Urbis super
* hoc instantibus; quum denique idem judicium prola-
* tum reperiatur a pluribus Conciliis Provincialibus, ab
* hac etiam Apostolica Sede approbatis, & confirmatis;
* nihil jam reliquum esse videtur, quominus pauciores
* universorum legi se accommodent. Equidem minime
* Nobis compertum est, quo peculiari titulo suffulti per-
* suasum habeant unius vel alterius Ecclesiæ Canonici,
* se muneri suo satisfacere per simplicem in Choro assi-
* stentiam, absque Divinæ Psalmodiæ Cantu. Verum,
* nisi illis præsto sit Apostolicum non præsumptum, vel
* abrogatum, sed legitimum, ac vigens Privilegium si-
* ve Indultum; jure ac merito verendum est, ne isti,
* dum ita se gerunt, Præbendarum, ac distributionum
* fructus minime suos faciant, & consequenter ne ad
* eorum restitutionem teneantur. Quapropter vestrum
* erit, Venerabiles Fratres, hæc omnia illis aperire, ut
* neque Nobis, neque Vobis apud Divinum Judicem
* fraudi sit, si in hujusmodi re, quæ tanti est momenti,
* utpote quæ ad ipsius Dei cultum proxime spectat, abu-
* sus & corruptelas, quas arguendo & increpando evel-
* lere debebamus, dissimulatione ac silentio nostro fo-
* visse & confirmasse inveniamur. Interea Fraternitati-
* bus Vestris, quas intimo cordis affectu complectimur,
* Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur.

* Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 19. Au-
* gusti 1744. Pontificatus Nostri Anno V.

IN-

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM

In hoc Tertio Tomo contentarum ordine Alphabetico.

A

mi-

CA-

C

D

Si

Igno-

I

In

Sa-

TA-

T

V

F I N I S.